Clarissimo ac celeberrimo Viro
Joanni Lamio
Caesareo Theologo
Ea, qua maxima potest, observantia
Auctor
D. D. D.

FLORIANI DALHAM

CLERICI REGUL. E SCHOLIS PIIS
PHILOSOPHICARUM ET MATHEMATICARUM DISCIPLINARUM, HISTORIARUMQUE PROFESSORIS VINDOBONÆ IN ACADEMIA SABAUDICA, CÆSAREÆ REGIÆQUE SCIENTIARUM ACADEMIÆ ROBORETANÆ SOCII

DE RATIONE RECTE COGITANDI, LOQUENDI ET INTELLIGENDI

LIBRI III.

IN QUIBUS
PRÆCIPUA LOGICÆ, CRITICÆ ET HERMENEVTICÆ CAPITA ILLUSTRANTUR.

AD AMPLISSIMUM ET HONORATISSIMUM

VIRUM
GEORGIUM PARKERUM
COMITEM MACCLESFIELDIUM, REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARUM LONDINENSIS PRÆSIDEM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
MDCCLXII.

Qui in Philosophia, ac contemplationibus universalibus positum omne studium inane atque ignavum arbitratur, non advertit, singulis professionibus & artibus exinde succum ac robur suppeditari. Atque certo persuasum habeo, hanc ipsam haud minimam causam fuisse, cur felicior doctrinae progressus hucusque retardatus sit, quod opera hisce fundamentalibus scientiis navata sit tantum in transitu, neque haustus pleniores sint epoti. *Baconus de Verulamio de dignitate, & augmentis scientiarum Lib. II.*

AMPLISSIMO ET HONORATISSIMO

VIRO

GEORGIO PARKERO

COMITI MACCLESFIELDIO

FLORIANUS DALHAM S. P. D.

Ex quo Baconus de Verulamio novum ſuum organum in lucem evulgavit, compertum fuit uſu & reipſa, non ſcholarum modo profeſſorumque peculiarem elegantiam, ſed publicam etiam felicitatem, &, quæ hujus ſcaturigo ſunt, artium omnium & diſciplinarum inſtaurationem atque incrementa unice dependere a recte cogitandi applicandique intellectus ratione. Nam cum difficillimum ſit, maximeque neceſſarium, veritatem videre, Democrito cum plerisque philoſophis ἐν βυθῷ reconditam: intelligere, quid ex tanta uti-

lium ſubleſtarumque rerum permiſtione deligendum ſit ſtudiis pro bono humanæ ſocietatis, & qua demum via ac methodo ad illud commodiſſime obtinendum conniti opporteat: cumque etiam humana mens præjudiciis, & ſexcentis paſſionibus a teneris innutrita, ſibi plerumque ſuiſque ludibriis pareat; ſi quis vitæ & artium curriculum ingreditur ſine prævia eorum, quæ mox attuli, cautione, ac ſine neceſſaria, tanti a Platone olim habita προπαιδεία, ille merito eruditionis loco in vulgi fabulas recidet, & converſam in ridiculum diſciplinarum dignitatem ſine ullo emolumento inſequetur. Cujus quidem tot nobis exempla recurrunt in omni anteacta hominum ætate, atque inter eos ipſos, qui magna nominis celebritate Sapientiam profeſſi ſectas condiderunt, quique quod fieri apud Græcos olim Anacharſis miratus eſt, artifices judicaverunt, cum ipſimet non eſſent artifices. Omnes hæ viciſſitudines tam moroſam imaginem antiquæ eruditionis offerunt poſterorum oculis, ut dicere liceat, cogitandi rectitudinem, & methodum ab ovo diſciplinas rite ordiendi, haberi debere pro raris quibusdam epochis, atque ſignaculis, quæ ex obſcuritate remotorum temporum & nationum belle elucent, & pretium totius antiquitatis in ſe concludunt. Atque in hoc tanto, tamque arduo negotio perſpicax Baconi ingenium mirifice enituit, dum & lumina & nævos veterum ad correctionem & emolumenta ſuorum temporum traducens, tam admirabilia conſilia ad evehendas diſciplinas palam eduxit e profundis ſuis meditationibus, ut extemplo in Britannia permulti extiterint præclariſſimi homi-

homines, qui ſpiritu illius animati, conductique; novarum artium eximia argumenta protulerunt, atque in æmulationem tanti conatus reliquas etiam Europæ Muſas evocaverunt. Rara fuit hæc equidem Comes Honoratiſſime! & vaſtiſſima intellectum dirigendi excolendique ratio, maxime quod non modo regulas adtulerit, & normam præparandi intellectum ad ſcientiarum ſemitam, feliciori auſpicio ineundam, ſed etiam quod ipſorum objectorum, quæ perpoliri debebant, naturam & difficultates, qua licet, acutiſſime diſpexerit & indicarit. Non mihi hæc eadem, fateor, neque tam ampla provincia in mente fuit, cum ad has recte cogitandi inſtitutiones, amicorum hortatu, & ſubſecivis ſtudiorum meorum horis conſcribendas animum appuli; in id duntaxat collimavi, ut præcipuos obices evellerem, qui remoras juventuti faciunt ad elegantioris vitæ genus, atque ad maturum judicium adſpiranti, imo qui veteranos etiam literarum ſectatores a veritatis aſſecutione non raro prohibuerunt, quod certo quin perutile ac ſalutare permultis futurum ſit, nullus ambigo, præſertim dum canones paſſim adjungo, quorum ope humanæ ideæ promptius evolvuntur, & mens majorem ſui extenſionem obtinet, ac firmitatem, adſperſis etiam illis reflexionibus & cautelis, quæ mihimetipſi ſtudiorum meorum tempore obvenerunt. Quem quidem conatum pertenuem Tibi Præſes Ampliſſime! eo cum majori veneratione ac fiducia offero, Tuoque Nomini dedicatum eſſe cupio, quod in præſidio Regiæ Societatis, tanquam in ſpecula humanarum ſcientiarum collocatus, eas ſapientiſſi-

me moderaris, & apertiſſime intueris eas vias, quibus nobiliſſimæ ſcientiæ & inchoantur, & ad ſummum perfectionis apicem perducuntur, ea præſertim in Britannorum gente, in qua præſtantior illa cogitandi methodus priori ſæculo veluti renata eſt, & e cujus ſinu, tanquam ex equo Trojano innumeri clariſſimi literarum heroes prodiverunt, qui in hodiernum usque diem admirabilibus in omni ſcientiarum genere inventis locupletant literatum orbem. Quod quidem ſingulare beneficium, tantum & mihi ſemper inſpiravit cultum, ut illius quin Tibi teſſeram qualem qualem offerrem, nec tumultu graſſantium bellorum, neque terrarum mariumque intervallis me coerceri patiar. Quod ſi etiam brevem hancce meam de primis recte cogitandi elementis elucubrationem a graviſſimo Tuo judicio probatam fuiſſe intellexero, tum demum maximum conatus mei præmium me aſſecutum gaudebo, animumque ad ulteriora incitabo. Vale Vir Ampliſſime & Honoratiſſime! & ſcientiarum incrementis etiam quam diutiſſime vive.

Dabam Auguſtæ apud Vindelicos III. idus Octobres anno Æræ Vulgaris 1761.

AD

AD LECTOREM
OPERIS RATIO ET CONSPECTUS.

Has dum recte cogitandi, loquendi & intelligendi institutiones in publicum profero, paucis exponendum esse duxi, quae me, id ut susciperem, impulerint rationes; ut ita in limine scopus operis intelligatur, & major forte etiam animus ad illius lectionem pervestigationemque succrescat. Et primo quidem, cum in plerisque institutionibus logicis, quae magno numero circumferuntur, adverterem adstrictam & aridam docendi methodum, in vanis distinctiunculis, & scholasticorum formulis, tanquam in vado haerentem, quae tamen cogitandi ars cum sit, longe latiore beneficio, non scholis tantum, sed omni artium & hominum generi commodare debet, necessarium esse duxi, qualibet themata variis, e medio assumptis, exemplis collustrare, ut ipso usu ostendatur, quo pacto inhaerere quibusque argumentis, & extensionem intellectus in eorum pertractatione quaerere opporteat, quod certo praeter lucem etiam ubertatem & amoenitatem studiis affundit, & praecipuus est in rebus logicis profectus contra aridum Pedantismum. Secundo operam in eo etiam posui, ut imaginationem cohiberem, & inanem ex proprio cerebro sapiendi libertatem; haec quippe falsas plerumque imagines pro veritatibus amplectitur, & fanatismo in scientiarum perniciem portam late aperit, persaepe etiam in protervíam degenerat, quidquid nutu suo decidendi, quod spiritus fortes agere consueverunt. Hinc Tertio cura non postrema fuit, eliminare praejudicia, ac genuinas, sicubi ad verum pertingere concessum est, vias commonstrare: in aliis autem reconditis quaestionibus suspendere sententiam, & intra humanae imbecillitatis septa contineri. Attamen Quarto passus non sum, ut infruniti sceptici gloriari queant contra mentis humanae dignitatem, sua se in temeritate & ignorantia habere ullum praesidium. Et quoniam recte cogitandi institutum necessario obstringitur sermonis commercio, atque sincerae intelligentiae scriptorum monumentorum, hinc brevissimas adjunxi loquendi & interpretandi leges. Caeterum id mihi polliceri ausim, quod lector, utut capitum tituli communes sint, res tamen non semper communes, sed novas etiam, & mea methodo digestas in iisdem reperiet: e quibus si fructum quempiam retulerit, atque intellectus illustrationem, gaudebo, me laborum meorum metam dignissimam fuisse assecutum.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

QUÆ IN TRIBUS HISCE LIBRIS CONTINENTUR.

DISSERTATIO.

LIBER I.

De Ratione recte cogitandi.

PARS I.

PARS II.

CAPUT

PARS III.

De Reflexione composita, seu ratiocinio, ejusdemque præstantia & necessitate.

PARS IV.

De methodi necessitate & subsidiis.

LIBER

LIBER II.

De Ratione recte loquendi.

PARS I.

De Sermone recte inſtituendo.

PARS II.

LIBER

LIBER III.

De Ratione recte intelligendi.

INDEX.

NB. *Absente me longius, cum typis hæc excuderentur, factum est, ut plures errores irreperent; si itaque lector sensum perturbatum alicubi offenderit, recurrat ad ultimam hujus operis paginam, in qua graviores errores corriguntur.*

DIS-

DISSERTATIO

De multiplici ratione cogitandi, verumque eruendi, quam variarum gentium Sapientes præteritis recentioribusque temporibus coluerunt.

I. Nobilissima cogitandi facultas ab intellectu, altera animæ potentia, dependet, atque in veritatem collimat, præcipuum suum objectum, quamvis & in voluntatem influat, illiusque actiones collustrando etiam necessario antecedat; *nihil enim volitum, quin præcognitum*, ut antiquissima est Philosophorum paræmia.

Cogitandi munus pertinet ad intellectum.

II. Hac cogitandi facultate omnis creatura rationis particeps donatur, & eo etiam indipiscitur majorem dignitatem, quo perfectiores cogitationes elicit: hujus prærogativa homo ad angelorum similitudinem attollitur, ut ut horum cogitandi ratio esse multo perfectior censeatur humana.

Etiam angeli cogitant.

III. Sed de angelorum cogitandi ratione nihil attinet hoc loco commemorare, neque etiam suffragia quoquo modo suppetunt, eam

Modus cogitandi

A aut

angelorum ignoratur. aut explicandi, aut definiendi (*a*); quo pacto enim liceat cujusdam ſubſtantiæ deſcribere modum operandi, & prolatis, quod multi faciunt, argumentis etiam ſtabilire, cujus intima natura myſterium eſt, & in cumulo incognitorum deliteſcit? cum tamen operandi modus ſemper ad operantis naturam comparatus ſit, atque ex illius diſpoſitione fluat? Si tanta eſt ſententiarum conflictatio de cogitandi modo noſtrorum animorum, qui tamen ſingulis inſunt, atque etiam reflexionis objectum ſuppeditant, an ſibi quisquam poſſit de angelorum cogitationibus ſecurum judicium polliceri?

Opera angelorum quæ? IV. Id divinis eloquiis edocemur: angelos eſſe adminiſtratorios ſpiritus (*b*), eos in id unum obnixe, conſtanterque ferri, ut divinæ voluntatis imperia, & providentiæ ordinem exequantur: horum excubiis Paradiſi aditum præcludi (*c*): horum fortitudine centum octoginta quinque millia militum Senacherib eſſe deleta (*d*): hos grandium miraculorum eſſe effectores per omne vetus novumque Teſtamentum: hos ineffabili divini conſpectus luce perfuſos multa cognoſcere (*e*), ſi arcana cordium, & arbitrarios futurorum eventus excipias (*f*): hominum illos curam, tutelamque gerere; malos e converſo angelos, infelici transgreſſione proſtratos, colluctari cum perpetuo in Deum odio, atque ſalutis deſperatione. De harum omnium operationum modo nihil nobis perſpicuum eſt; an inditis rerum imaginibus, an vero a multiplici objecto depromptis id agant? an ratiociniis veluti homines utantur? an vero res per longam ſeriem transfuſas ſimplici intuitu percipiant? ambiguum eſt, & mortalium indoli omnino incompertum (*g*).

Cogitandi modus hominum examinatur. V. Sed miſſis his extra viam & inſtitutum poſitis, eam, cujus cauſa tractatio tota ſuſcepta eſt, hominum cogitandi methodum perſequamur; quam mire ſe illa, ſi ſtatim a prima hominum memoria repetatur, per varias gentes, & ætatum periodos illuſtrari, commutarique paſſa ſit: quam Sapientum non pauci in lubrico ſteterint, dum vani-

(*a*) *Muratorius in moderamine ingeniorum* Lib. I. Cap. 13.
(*b*) *Hebr.* Cap. I. v. 14.
(*c*) *Geneſ.* III. 24.
(*d*) IV. *Reg.* 19. 35.
(*e*) *Matth.* XVIII. 10.
(*f*) III. *Reg.* 8. 39.
(*g*) Videatur Petavius Theologicorum dogmatum Tom. III. Lib. I. cap. 6.

vanitati indulſerunt, volentes veritati litare: quam alii rurſum cogitationis acumine turpiter abuſi ſint ad fallendum: quam demum alii cordati propius acceſſerint ad verum, ut inſpectis aliorum calamitatibus felicius liceat cogitandi negocium moderari.

VI. Itaque ut ab ovo incipiam: primi Patriarchæ *Adam*, *Henoch*, *Noë* &c. non admodum conniſi ſunt, ut ideas haberent de rebus claras, & perpurgatas; aut ſi eas fortaſſe habuerunt, explicandi officio defuerunt, easque ad artis leges diſtinćte non enunciabant, cohibiti inopia & ſimplicitate primigeniæ linguæ, non ſuppeditantis ſuas quibusque conceptibus voces; ſic vaga compellatione nominarunt *fructum ligni vetitum*, ut anceps hodiedum ſit, fueritne *pomum?* ut quidam ſentiunt, aut *uva?* ut alii, aut demum, ut quibusdam videtur *ficus?* ſolem & lunam dixerunt magna cæli luminaria (*b*), cum tamen luna omnium ſiderum prope minima ſit: extra Judæam putarunt eſſe fines orbis terrarum &c. quæ omnia certo notant egenam Aſtronomiæ, Geographiæ cæterarumque diſciplinarum conditionem, ac per conſequens ideas, a rebus ipſis multum alienas; niſi forte dicere libeat, Patriarchas dedita opera ad vulgares perſuaſiones exegiſſe ſermonem. *Methodus cogitandi veterum Patriarcharum*

VII. Sed & grammaticæ anguſtiæ pariebant ambiguitates multas Hebræis; nam gradus comparationum non habent; hinc volentes ſuperlativum exprimere v. g. montem altiſſimum, dicunt *montem Dei;* quæ idearum Dei & montis confuſio! conjugationes eorum deſtituuntur tempore præſenti, hujus loco amant aut præterito uti, aut futuro: ipſum nomen Dei *ſum, qui ſum*, exprimitur in hebræo *ero qui ero* (*i*). Quod ſi itaque loquendi ratio ſequitur cogitandi modum, quis non intelligat, primos Patriarchas non fuiſſe admodum curioſos de ſinceritate idearum, quippe qui in eo mentem unice exercuerint, ut auctorem Deum agnoſcerent, morale inſtitutum perſequerentur, rei familiaris curam haberent, atque œconomiæ, & ampliarent felicitatem humani conſortii, quacunque demum idearum formula id conſequerentur. *Erat valde anguſta.*

A 2 VIII. Sub-

(*b*) *Geneſis* I. cap. v. 16.

(*i*) אהיה אשר אהיה *Exod.* 3. v. 14.

Judaei parabolis & apologis vacant.

VIII. Subsequis temporibus mos apud Judaeos obtinuit, ut per varias *similitudines*, *parabolas*, *apologos* suam mentem aperirent, praecipue cum morum institutioni vacarent; quae cogitandi methodus plerisque orientalibus populis familiaris erat. Pleni sunt sacri libri ejuscemodi similitudinibus e re agraria, vestimentaria, pastoritia &c. desumptis, veluti: *ego flos campi, & lilium convallium* (*k*). *Sicut pluvia descendens in vellus* (*l*). *Unxit te Deus oleo laetitiae* (*m*). *Induere maledictionem sicut vestimentum* (*n*). &c. Salomon totum librum Proverbiorum consignavit. Notus est ille apologus arborum creantium sibi regem (*o*). Job totus parabolicus est. Christus ipse perpetuis parabolis doctrinam suam adspersit: talis est operariorum in vinea (*p*), parabola epulonis & Lazari (*q*), parabola decem virginum (*r*), &c. & sine parabolis, ait Evangelista, loquebatur nihil.

Alia cogitandi methodus moralis, alia intellectualis.

IX. Hoc cogitandi genus habet multum suavitatis, & blandissime in animum influit, nec examinat, quid res sint? & quo judicio censeri debeant? sed qualem habeant nobiscum, atque cum vitae officiis affinitatem, tantumque differt a cogitandi veritate, quantum morale genus ab intellectuali, aut sicut prati risus ab hominis risu. Liquet igitur veteres Hebraeos omnem cogitandi solicitudinem ad morum officia retulisse, & dialecticum vocum rigorem insuper habuisse; reponebant quippe omnem sapientiam in eo, ut bonum malumque internoscerent, atque boni solius amore ducerentur.

Allegoriam recentiores Rabbini non colunt.

X. Recentiores quidam magistri Hebraeorum, Rabbini nuncupati, cum in allegoricam loquendi, & cogitandi normam veterum Patriarcharum respicerent, eamque pro variato saeculorum & gentium gustu fastidirent, allegoriarum loco ad fabulas, & anilia commenta sese contulerunt; in eorum Scriptis certo nihil nisi somnia vigilantium, & deliria docentium, inversus naturae ordo, allegoria translata in historiam, & historia in allegoriam, contra sanam cogitandi methodum apparent. Veterum Rabbinorum autem plurimi ad graecanicae Philosophiae sectas delapsi sunt: Pharisaei ad Stoicam, Essaei ad Pythagoraeam,

(*k*) *Canticorum* 2. v. 1.
(*l*) *Psalm* 71. v. 6.
(*m*) *Psalm* 44. v. 8.
(*n*) *Psalm* 108. v. 18.
(*o*) *Judicum* 9. v. 8.
(*p*) *Matth.* 22.
(*q*) *Matth.* 25.

gorææam, Sadducæi ad Epicuræam; nisi quod hodiedum permulti eorum cabbalæ nundinariæ vacent, ut infra dicetur.

XI. Aliæ orientales gentes, veluti Ægyptii & Persæ, intellectum suum ad verum dirigebant, & emendabant ab erroribus ope Symbolorum (*r*). Pythagoras quoque in Ægyptum commeavit, ut hujus eorum sapientiæ fieret particeps. Clemens Alexandrinus ait (*s*), Symbolorum apud Ægyptios tria esse genera: *primi generis* Symbola sunt quædam imitationes rerum; sic *Sol* circulo exprimitur: *Luna* semicirculo &c. *Secundi generis* Symbola tropice rem enunciant, quædam per convenientiam traducendo, alia immutando, & multis modis transformando. Hac ratione regum laudes, multis heroum fabulis involutæ, anaglyphice describuntur. *Tertii generis* Symbola fiunt per ænigmata & exempla, veluti: astra, quod obliquo tramite ferantur, exprimuntur serpentum corporibus, Sol autem scarabæo, qui cum ex bubulo stercore rotundam traxerit figuram, eam vultu adverso devolvit; estque hoc animal sex mensibus sub terra, aliis sex supra terram egreditur (*t*).

Symbolica methodus apud Ægyptios.

XII. Sinenses ad recte cogitandum alio medio utuntur, nempe signis hieroglyphicis, quæ sunt creatarum rerum imagines aut sculptæ, aut pictæ, inscriptione carentes, res tamen alias per quandam similitudinem indicare aptæ. Signum ejuscemodi hieroglyphicum foret, si quis *artem cogitandi* depingeret, ceu feminam sedentem, & meditationi vacantem, nempe ut significetur, eam esse animi, non corporis habitum; *clavis*, quam dextra tenet, significabit eam esse facultatem, ad omnes alias scientias, viam referantem; *lens optica*, quam sinistra tenet, notabit studium perspiciendi res & objecta quam acutissime, ac de iisdem justas ideas formandi. Denique *Sol*, quem pectore

Hieroglyphica doctrina Sinensium.

(*r*) *Symbolum est signum aliquod, aliunde assumptum, cujus schemate alterum quid agnoscitur, aut explicatur.*

(*s*) *Lib. V. Stromatum.*

(*t*) *Doctrinam Pythagoræ symbolicam, ab Ægyptiis utique haustam, Porphyrius & Jamblichus collegerunt, quæ Stanlejus refert pag. 792. veluti:* vias publicas declinato, *id est, non sequere sententiam plebis, quæ judicio plerumque caret, & controversiis exponitur. item:* stateram ne transilias, *id est: vita avaritiam.* Ollæ vestigium in cinere aboleto, *id est: sensualibus persuasionibus valedicat ille, qui Philosophiam sectari decrevit &c.*

pectore refert, notat ingenii claritatem ad dispellendas quaslibet tenebras errorum & sophismatum.

Censura Symbolorum, & hieroglyphicorum. XIII. Verum utraque hæc, seu per Symbola, seu per hieroglyphica mentem excolendi amplificandique ratio, non confert tantum robur ad veri simplicis consecutionem, nec tantum in illis repositum est justæ ratiocinationi præsidium, ut Sinenses aliique illi populi existimaverunt; nam recta cogitandi ratio his duobus præsidiis innititur; primo: ut rerum, quarum cognitioni studemus, naturam & indolem, qua licet sincerissime simplicissimeque assequamur; tum etiam, ut cogitantem rectissime, & sine mæandris eo conducat; sic quippe indagatio erit solida per primum, per alterum autem erit etiam facilis; at vero methodus illa sciendi ope Symbolorum & hieroglyphicorum destituitur utraque hac prærogativa; quomodo enim in tortuoso processu serpentis cognoscetur semita obliqua astrorum? nisi forte per paritatem aliquam, e longinquo mutuatam; quæ paritas, aut similitudo cum sit fœtus mentis, non habet locum in intima natura astrorum, oblique decurrentium, neque eorum genuinam ideam offert (*u*): sed neque etiam facilitati studentium est accommodata, & memoriam atque imaginationem magis occupat, quam judicium & reflexionem; nam primo quidem Symbolum aut hieroglyphicum menti imprimitur, deinde ex hoc ad alterius rei naturam significandam transitur; quod certo mentem duplici officio fatigat, & in transversum agit a recta indagandi ratione, captando similitudines pro rebus ipsis. Accedit, quod ejusmodi exercitationes reddant plerumque homines imaginarios, alia in aliis videntes, & simplicem veritatem prætereuntes. Utantur itaque hac cogitandi methodo, qui gratias sermonis, & tralatitium fastum Poëtarum more aucupantur, in cogitandi rectitudine, & consecutione veri parum proficient.

Græci primi Philosophiam excoluerunt. XIV. Græci tandem primi cæterarum gentium disciplinam cogitandi ad severiores regulas adstrinxisse memorantur, variosque ac multiplices protulerunt modos inveniendi verum, ubivis gentium ad ipsa nostra tempora ita propagatos, ut in plerisque recentiorum præ-

(*u*) *Secundum saniorem Philosophiam astra non decurrunt oblique, sed ita videntur decurrere ob constantem motum telluris.*

præstantissimorum hominum inventis nihil aliud hodie, quam veterum Græcorum Philosophiam renasci, aut cultiori saltem habitu superindui admiremur. Tantum valuit Græcia, fœcunda ingeniorum parens pro omni posteritate!

Græci veteres duplicem Philosophiam coluerunt moralem, & rationalem.

XV. Duplex autem præcipue erat Græcorum studium: aut versabatur circa morum institutionem, & bonum civilis societatis: aut excolebat mentem subtilissimis legibus ad assecutionem veri; quorum primum *moralis* Philosophiæ est munus, & voluntatem perficit; alterum Philosophiæ *rationalis*, & illuminat intellectum ad cognitionem veri.

Pluris fecerunt moralem quam intellectualem.

XVI. Præcipua tamen eorum cura ferebatur in bonum civilis societatis, & exactas ad bene feliciterque vivendum præceptiones; hinc moralem Philosophiam præhabuerunt rationali, & summi illi viri *Thales*, *Solon* (*x*) aliique, primi *Sapientes* nominati, ob solam prudentiæ civilis, & œconomicæ, atque sententiarum, ad officia pertinentium, præstantiam, hanc laudis plenam compellationem sunt assecuti, non vero ob intellectus rectitudinem, in cognoscendo vero sibi paratam.

Non texetur hic historia Philosophorum rationalium, sed ipsius Philosophiæ rationalis.

XVII. Sed de moralibus institutis, deque præcipuis eorum magistris nihil omnino hoc loco agetur; pertinet hoc ad *Ethicam*, ad *Jus naturæ*, atque ad officiorum quorumdam particularium leges peculiares; ea solum persequar, quæ mentem dirigunt, atque perficiunt, ut ad veritatem pertingat. Sed neque animus est, vitas describere celebrium virorum, qui *rationalem* Philosophiam præclare extulerunt, atque etiam ad incrementa promoverunt; hoc enim jam a multis ample & ornatissime præstitum est, veluti a *Diogene*, *Laër-*

(*x*) *Solon Atheniensium Rempublicam præclare stabilivit. Regebatur illa prius severissimis legibus Draconis, non tam atramento, quam sanguine descriptis, has Solon moderatus est, & ad humanitatem traduxit, atque ita universum populum ad patriarum legum amorem incredibiliter accendit. Dum legem quampiam esse tolerabilem vidit, nihil in ea immutavit, veritus ne si Rempublicam usquequaque miscuisset, vires deficerent ad eam restituendam. Vim & Justitiam mirifice conjunxit, ea præcipiens, quæ suadendo a morigeris, a refractariis autem castigando se obtenturum speraret. Quod certo insignem Ethicam, & Politicam Solonis aperte demonstrat.*

Laërtio, *Stanlejo*, *Petro Gassendo*, *Walchio*, & qui primo reponi loco meretur, nuper a Cl. *Brukero*, estque etiam a scopo meo alienum; operam duntaxat eo convertam, ut ipsius *rationalis Philosophiæ* historiam, atque imaginem proferam, in qua variam illius fortunam, variasque ad verum pertingendi vias, a Sapientibus unquam frequentatas, liceat intueri. Revocabo autem infinitam varietatem cogitandi mortalium ad quatuor præcipua capita, & classes, ut ita humanæ mentis ambages in paucis reniteant, atque etiam nostra dissertatio, multitudine & tædio erepta, felicius provehatur.

Prima classis est Idealistarum.

XVIII. Prima classis est *Idealistarum*, seu eorum, qui vivaci indole ferventes, perenni turgent suarum idearum evolutione, his unice intendunt, atque ad earum ductum sententias suas omnino exigunt, & quamcunque alterius rei veritatem. Nulla eis, aut perexigua cura inest objectorum exterorum, nulla experimentorum sensibilium solicitudo, quasi vero magistratum eruditionis suo in cerebro gestarent, extra quod nulla supersit procuratio veri. Referuntur ad hanc cogitandi, decernendique rationem *Fanatici* & *Enthusiastæ*, de quibus infra (§. 457.) studiose agetur. Pertinet huc etiam *Plato* (y) *Leibnitius* (z), *Malebranchius* (a) &c. qui innatas esse

(y) *Plato docuit, humanos animos originaria felicitate omnium rerum ideis fuisse collustratos, tam vero in materiale corpus intrusos, omnium oblivionem induisse, necessumque habere, ope sensationum obliteratas illas species sensim recuperare. Docuit præterea, sensus esse perpetuo fallaces, omnemque veritatem ab inspectione inditarum idearum proficisci; sic a pulchro singulari, quod inest corporibus, ad id, quod animorum est, transimus, ab hoc ad aliud in vitæ officiis, ab hoc rursum ad aliud, quod continetur legibus, & ad ipsam tandem universalem ideam pulchritudinis ascendimus. Ex quibus patet, Platonem arbitraria in artem cogitandi induxisse, adeoque* Idealistis *&* Fanaticis *præivisse ducem, uti &* Scepticis, *propterea quod cum sensus fallere diceret, de omnibus esse dubitandum affirmaret. Plura de Platone* Alcinous *apud* Stanlejum *Part.* 4. Gassendus *de Orig. Log. Cap.* 4. *Morainviller* &c. *Præclare tamen de Logica meritus est Plato, quod lites proscripserit, & mathematicis disciplinis voluerit auditores suos ad Philosophiam præparari &c.*

(z) *Leibnitius quoque innatas ideas admisit, docuit quippe, omnes varii ordinis monades esse mundi repræsentativas vario modo. De quo alibi.*

(a) *Malebranchius Cartesianæ Philosophiæ sectator, quam & acerrimo ingenio, & facundissimo stilo multo altius evexit, id peculiare adjecit, quod nos omnia in Deo videre assereret. Docebat itaque, quemadmodum spatiis omnia*

esse in anima ideas, aut immediate a Deo desumptas posuerunt ad recte judicandum. *Pythagoras* (*b*) item, & *Aristoteles* (*c*) omnesque

omnia corpora tanquam suis locis recipiuntur, ita Deum esse locum nostrarum mentium, atque ita fieri, ut omnia in Deo, & in mundo intelligibili intueamur, præsertim cum mens spiritualis objectis materialibus uniri non possit. Veruntamen sublimis hic cognoscendi modus transcendit angustias mortalis conditionis, & merito a Cl. Bakero (Reflections upon Learning) *dicitur* Malebranchii *Logica comprehensoribus magis esse accommodata, quam viatoribus; quodque quandam ignominiæ notam ei inurit, est: eam cum Quakerorum secta multam affinitatem habere; nam & hi Deum se intueri jactitant, ideoque contremiscunt inter orandum, atque etiam sæpe in extasim se rapi putidi enthusiastæ mentiuntur. Certo vir clarissimus* Joannes Norisius *Anglus, cum Malebranchii sententiam ardentissime sectaretur, ut ne videretur Quakerorum, de Norisio proselyto suo magnopere gloriantium, sectam amplexatus fuisse, consultum putavit, publico scripto eam detestari, quamvis dicere sæpe auditus sit, se a Quakeris, si doctrinæ suæ robur melius dispicerent, eoque uti opportunius nossent, non forte adeo alienum esse. Brevem confutationem* Fanatismi Malebranchiani *infra* (§. 464.) *adferemus.*

(*b*) *Pythagoras, nescio quo mirabili invento, nihil in rebus omnibus nisi numeros reperit, eosque dixit omnium rerum esse prima principia, numero autem quaternario Deum ipsum significari, omnia continentem; propterea quod quaternarius universitatem numerorum complectatur, nempe: unum, duo, tria, quatuor, id est:* decem, *extra quem non fit progressio; aut certo Pythagoras in Ægypto degens, Israelitarum nomen Dei ineffabile* Tetragrammaton *edoctus est. Quidam amice interpretantur, Pythagoram numerorum nomine perfectiones, quibus res singulæ constituuntur, intellexisse. Cæterum voluit Pythagoras auditores suos ad Philosophiam moralibus mediis præparari, abstinentia, macerationibus, silentio quinquennali, & cæca adhæsione ad magistri sententiam per tritum illud* αὐτὸς ἔφα. *Omnia fanatica.*

(*c*) *Aristoteles ingens ingenium suum in eo præcipue patefecit, quod vasto systemati insistens arbitraria principia delegerit, atque ex illis raro consecutionum ordine omnia evolverit; utinam autem mortalibus intimæ rerum naturæ adusque illa prima principia unquam patuissent, profecto necessum non fuisset eis constanter conqueri, cognitiones suas ultra externum apparatum non procedere. Generale ejuscemodi systema in* materia, forma & privatione *Aristotelis conspicitur. Id tamen certum est, Aristoteles libros ab aliis multas corruptelas tulisse. Refert* Stanlejus Parte 4. pag. 437. *ex Athenæo, libros Aristotelis a Theophrasto venditor fuisse Apelliconi Tejo, qui cum libros Peripateticos magis amaret, quam doctrinam, curavit ineptissime impleri lacunas, in illis libris repertas. Post Apelliconis mortem cum Sylla Athenas occupasset, libri quoque Aristotelici in potestatem Romanorum devenerunt, Romamque deportati sunt, ac Tyrannioni Grammatico traditi, qui imperitissimis usus amanuen-*

que illi, qui erudita systemata, aut Respublicas condiderunt, veluti *Solon*, *Cartesius* (*d*), *Spinoza* (*e*) aliique; non quidem quod inditis ideis pertenderent humanas cognitiones comprehendi; cum *Aristoteles* aperte fateatur: *nihil esse in intellectu, quin prius in sensu fuerit*, sed quod ideas suas, precario delectas, scite congesserint in idealem fabricam, civilium officiorum moderatricem, aut quædam naturæ Phænomena peculiari modo explicantem. Et revera plerumque systematum conditores, maximo etiam ingenio valentes, olent Fanatismum, pro eo ac plus minusve ad imaginaria accedunt. Ejuscemodi systemata porro sunt: *Hylozoismus*, *Machiavellismus*, *Tartuffismus*, *Donquichotismus*, *Bourguinionismus Gasconismus*, *Pharisaismus*, *Mahumetanismus* & aliarum falsarum religionum systematica coordinatio. *Poësis* item, *Astrologia judiciaria*, *Aruspicia*, *Sortilegia*, *Theosophia* &c. (*f*), quæ omnia ex arbitraria imaginationis fabrica consurgunt.

XIX. Non

nuensibus, corruptelis prioribus maximas adjecit. Post mille annos ab Aristotele, Arabes Hispaniam incolentes, Averroës, Avicenna &c. *impense Philosophiæ Peripateticæ vacaverunt, & quoniam illi græcam linguam non sat intelligebant, intulerunt majora menda in textum, ita ut Aristoteles totus turgeret acuminibus Arabicis, quæ tandem communi plausu in Scholas recepta fuerunt.*

(*d*) *Cartesius maximo animo & ingenio præditus, par fuit platitis Peripateticis, tanta auctoritate præditis, bellum indicere, iisque magnam partem sublatis, sua commenta substituere, nempe prima sua principia rerum, materiam* subtilem, globosam & striatam. *Gratiæ tamen Cartesio debentur, uti & aliis ante eum,* Laurentio Vallæ, Ludovico Vives, Mario Nizolio &c. *laxantibus proprio ingenio habenas ad cogitandum, ut jugum Aristotelis excuterent, & ostenderent, veteres non semper rectius veriusque sensisse, quam recentiores.*

(*e*) *Notum est systema Spinozæ,* universalem substantiam *statuentis, e qua deinde corpora animosque educit.*

(*f*) *Theosophi dicuntur fæx illa Pseudo-eruditorum, qui neque sensibus, neque reflexioni, neque aliorum testimoniis intenti, gubernari se dicunt ab arcanis divinis inspirationibus, ludicra indole exsculptis, in quibus gloriantur sibi patescere* Cabbalam mirabilem, arcanum lapidis philosophorum & medicinæ universalis, dexteritatem peculiarem explicandi abstrusissimas res, magiam naturalem, *ab* Hermete *&* Zoroastre *fideliter ad eos usque propagatam, &c. quamvis, si severe examinentur, nihil in iis reperiatur, quam* idea mirabilium, *esca vulgi. Tales Theosophi extiterunt* Theophrastus Paracelsus, *cum cætera turba* Rosencruciariorum, Robertus a Fluctibus, Böhm, *fanaticus sutor Görlicensis* &c.

XIX. Non incongrue & illi ad Fanaticorum classem ablegari merentur, qui maxima Matheseos cognitione pollentes, nihil in rebus omnibus, nisi perpetuas figuras & abstractiones theoreticas intuentur; hi non tam utuntur disciplina Mathematica ad demonstrationes, quam abutuntur potius eadem ad parologismos; nam accommodant perpetuo Analogias Mathematicas ad physica & metaphysica, atque ad illius Analogiæ ductum res omnes cæteras liberrime definiunt, etiam fortasse cum nihil Analogiæ inter hæc & illa intercedit, aut saltem non videtur intercedere. Summi quidam viri hoc nævo laborarunt, & jure accusantur, physicas multas res ad Mathematica contra naturæ ordinem transtulisse, atque auxisse numerum Fanaticorum. *Fanatici sunt, qui abutuntur Mathematica.*

XX. Pertinent denique huc etiam liberrimi illi animi, & omni obice superiores, qui prætoria auctoritate elati, novas ideas acute proferunt *de rerum natura, de virtutibus, & vitiis, de humanæ mentis conditione, &c.* hasque proterve sine ulla errandi formidine tuentur, insuper habentes, quidquid alii eruditi senserint, quidquid sacra vel profana auctoritas decreverit; quasi nemo ante eos unquam, quid sentiendum de rebus sit, pronunciasset. Solent illi communiter appellari *Spiritus fortes* (g), quorum insignia specimina habemus in *Epicuro, Petro Bayle, Spinoza &c.* *Spiritus fortes nominati.*

XXI. Ecce! succinctum conspectum eorum, qui ex ideis suis arbitrariis omne cogitandi decernendique munus deprompserunt. Omnes hi valore mentis abundaverunt, & imaginationis promptitudine, plerumque autem infeliciter ea usi fuerunt, ut ubivis scenam imaginationis haberent pro rebus ipsis, toto cœlo diversis.

XXII. Altera cogitandi classis est *Empirica*, seu eorum, qui repressa mentis fertilitate, idearumque insurgentium invitatione, totos se ad examen rerum sensibilium contulerunt, ut exinde generales ideas deducerent; Vetitum quippe esse autumant, definire res juxta libitum obversantium idearum, sed magis oporte- *Secunda Classis cogitandi est Empirica.*

 re

(g) Esprits forts.

re juxta rerum ipſarum conditionem efformare mentis conceptus, propterea quod anima noſtra primitus tota caliget, & caligaret etiam perpetuo, niſi experimentis ſocii corporis colluſtraretur. *Epicurus* (*h*) quandoque hanc normam ſecutus eſt, *Gaſſendus*, *Galilæus* (*i*), *Veru-*

(*h*) Epicurus, *maximi nominis Philoſophus, natus Olympiad.* 109. *anno tertio. Dialecticam, Sophiſtarum vitiis contaminatam, ſprevit, vocans eam inanem loquacitatem, & cavillorum officinam, ideoque ad ſecuriores veritatis detegendæ ſemitas confugit, nempe ad* ſenſum, *ſeu ſenſionem, &* prænotionem, *ſeu ideas pravias; volebat quippe exactam de rebus ideam haberi, antequam judicium & diſcurſus de iis formetur; inde canones deducit:* Omnis perceptio ex ſenſibus hauſta, vera eſt; nam ſenſus nunquam fallitur. Opinio eſt conſequens ſenſum, ſenſionique ſuperadjecta, quæ vel vera, vel falſa eſſe poteſt. Opinio illa vera dicenda eſt, cui ſenſus evidentia vel ſuffragatur, vel refragatur. Falſa e contrario. Omnis, quæ in mente eſt prænotio, dependet a ſenſibus, idque vel incurſione, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione. Prænotio, ſeu anticipatio eſt ipſa rei notio, & quaſi definitio, ſine qua quidquam quærere, dubitari, opinari, immo & nominare non licet. Anticipatio eſt in omni ratiocinatione principium. Quod inevidens eſt, ex rei evidentis anticipatione demonſtrari debet, &c. *Lucretius Carus, qui ſcientiam Epicuræam ſex libris verſuum elegantiſſime deſcripſit, lib.* 3. *has Epicuro laudes attribuit:*

Tu Pater, & rerum inventor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuisque ex, inclyte, chartis
Florigeris, ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos item depaſcimur aurea dicta,
Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.

Fuit autem Epicurus temperantiſſimus, ab omni corporis voluptate maxime alienus. Philoſophiam ſuam, ob quorundam Epicuræorum voluptates atque licentias ignominia laborantem, nuper il. Petrus Gaſſendus *eruditis commentariis primæ puritati atque innocentiæ reſtituit.*

(*i*) Galilæus, *magnus ille Florentinus Mathematicus & Philoſophus, ſcholarum inanitatem a pueris averſatus, incredibili ſolertia juventutem ſuam in Geometriæ ſtudio exercuit. Nihil ille ex arbitrio ſuo unquam definiendum eſſe cenſuit, niſi cognitis naturæ legibus, & Geometriæ ſubſidiis fulciretur; qua de cauſa ſumma animi attentione naturæ phænomenis invigilavit, ratus hanc unicam eſſe ſemitam ad inveniendum verum. Interrogatus ab hortulano: quid cauſæ ſit, quod aqua in erecto tubo hydraulico contra gravitatis leges ſuſpendatur? non erubuit, moram ſibi poſtulare, ut in cauſam, hactenus ſibi ignotam inquireret, quam tandem protulit, & pulcherrimo invento Acrometriæ leges detexit. Rarum*

Verulamius (*k*), *Neutonus* (*l*), *Lokius* (*m*), & Ecclectici, ac experimentales Philosophi plerique omnes, qui post longa facta pericula tandem de rebus pronunciarunt. Item ars *Medi-*

B 3 *ca*,

Rerum exemplum, iis præcipue magisterii titulo fulgentibus, qui, ne existimationis suæ jacturam faciant, etiam dubia & ignota quæquæ ex tempore definiunt, plus gloriæ quam veritatis studiosi. Ope Telescopii *neoinventi, cum novum cælum conspexisset, correxit priorem suam de astris sententiam, atque in meliorem commutavit. Id communiter asseritur in Italia: nisi* Galilæus *in Italia præcessisset, nec forsan suum Germania* Leibnitium *haberet, neque suum Anglia* Neutonum. *Quod quidem neque Germanis placet, neque Anglis.*

(*k*) Franciscus Baconus de Verulamio *ad sublimiores mentis obtutus a natura comparatus, quo pacto scientiis, qua porro inveniendis, qua provehendis insistere oporteat, miris consiliis patefecit in suo* Novo Organo scientiarum. *Detestatur in eo comprimis præjudiciorum ludibria, & ferreos obices meliora, verioraque videndi. Tum miratur, qui fieri possit, ut sententiæ, a sola antiquitate commendatæ, tanta cum fiducia & religione custodiantur? cum sana ratio suadeat, recentius ævum ob unita & veterum & hodiernorum lumina, atque ob ipsum temporis & studiorum progressum cogitare maturius debere. Et revera nimia illa & vecors admiratio veterum quid aliud inferre hominum animis possit, quam vilem quietem, & lentorem, abnuentem nova molimina, & digniores progressus, ceu impossibiles, desperantem. Omnibus his malis* Baconus *opitulatur, vultque paranda esse menti auxilia non tam ab abstractionibus, & formis syllogisticis, quam a justo ministerio sensuum, ac tandem a sedulis experimentis, quorum ope etiam ipsa sensuum imperfectio possit emendari.*

(*l*) Neutonus *Anglus, summis, quæ unquam extiterunt, ingeniis comparandus, cum Mathematicis disciplinis excultus esset ad stuporem futurorum sæculorum, & præteritorum invidiam, tam modeste de se sensit, ut nihil cognitionibus suis tribuendum putaret, si eis naturæ phænomena quadantenus obstarent. Edoctus a Woodwardo, gradus meridiani sub æquatore non respondere usquequaque calculo suo, maluit immortale inventum* de Gravitatione universali *in scrinium recondere, quam a naturæ phænomenis vel paulisper aberrare. Sed compertum est postea, Woodwardum errasse in dimensione graduum, quod utique Theoriæ & modestiæ Neutonianæ majus ornamentum adjecit. Ita nimirum ratione & experientia summus Philosophorum ad verum contendit. Inventorum suorum gravissimorum non est numerus. Tumulo suo adscriptum est:* Gaudeant mortales, tale, ac tantum extitisse humani generis decus.

(*m*) Lokius *Anglus rejecit omnes omnino opiniones, & solummodo philosophandum esse censuit ex consideratione intellectus humani, ejusdemque modo, ac ordine operandi; unde Institutiones sui, seu libri* de intellectu humano *bene dici possunt historia intelle-*

ca, (*n*) *Botanica*, *Chemica*, *Astronomia*, *Mechanica*, *Critica Antiquaria*, *Sculptoria* (*o*), *Pictoria*, *Militaris*, *Pyrotechnica*, *Nautica*, *Moralis* (*p*), *Politica*, *Jus Naturæ* (*q*) ex variis observationibus & combinationibus phænomenorum sumpserunt originem.

Spiritus, dicti Creatores empirici sunt.

XXIII. Sublimia illa mortalium ingenia, quæ ob nova maximarum rerum inventa *Spiritus creatores* (*r*) dici consueverunt, non incongrue ad hanc empiricorum classem referuntur; quia nempe non indulserunt fictionibus, sed magis Analogiæ subsidio, & ascendendo constanter per aliarum cognitionum gradus, tandem novas suas, & insuitatas ideas protulerunt, quæ seculo suo felicita-

tellectus humani, non ex libris aliunde, sed ex interiori conscientia conscripti. Quatuor libris distinxit opus suum: In primo tractat de ideis; In secundo commonstrat earum originem, & evertit systema idearum innatarum, tum de variis ideis tractat, simplicibus, compositis &c. de perceptione memoria, contemplatione, attentione, & modis. In tertio designat voces, quibus ideas designare oporteat, ostenditque plurimos errores, ex vocum imperfectione, obscuritate, æquivocatione &c. nasci. In quarto examinat cognitiones humani intellectus, eorumque naturam, gradus, & perfectiones scrutatur, ac tandem morbis quibusdam Intellectus, veluti Enthusiasmo, medetur.

(*n*) *Immensos labores medicorum pater congessit in conciliando naturæ phænomena, atque ad certos aphorismos reducendo, post omnem tamen exclamavit:* ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. *Vita brevis, ars autem longa, tempus præceps, experientia fallax, & judicium difficile.*

(*o*) *Veteres Græci nudos plerumque actores contra verecundiæ decus in scenam eduxerunt, eo consilio, ut simplici naturæ, in perpetuis variisque actionibus occurrenti, assuescerent spectatores, neve sub vestimentorum ludibriis interiret pretium actionis, ex ipso naturæ domicilio belle prodeuntis. Quo quidem id obtinuerunt, ut picturæ & sculpturæ peritia omnem verecundam posteritatem longo post se relinquerint intervallo, quod superstites hodiedum statuæ testantur.*

(*p*) *Moralis, seu doctrina morum est ars bene feliciterque vivendi, deducta ex ratione, ex natura, ex relatione, ex proprietate, & habitudine rerum.* Chambers *Encyclopedie Artic. Morale.*

(*q*) Hobbesius *ponit pro primo principio humanarum actionum utilitatem, non quidem fortasse, quod id revera hic esse existimaret, sed exposuit id duntaxat sine partium studio, quod per omnem humanam societatem fieri observavit.*

(*r*) *Esprits createurs.*

citatem adſpiraverunt; Quod certo Patres noſtri in *Petro Magno*, Ruſſiæ Monarcha admirati ſunt, qui ſine omni Anteceſſorum ſuorum exemplo ad grandes ideas proceſſit, & commonſtravit modos, quibus jacens Imperium liceat attollere, & reddere florentiſſimum, ſi modo æqua ſucceſſorum indole ſuſtineatur.

Laudatur methodus empirica.

XXIV. Methodus hæc cogitandi Empirica eſt peringenua, & non ſolum anguſtiæ humani intellectus, ſed & ipſi veritati plurimum accommodata; quorum hæc ex rationis & experientiæ conſenſione naſcitur: ille in ipſo progreſſu reperit lumina judicandi. Id unice præcavendum eſt ſolerter hac methodo utentibus, ut ne una aliqua levi notitia, aut obſervatione, quæ ſæpius retunditur obſervatione contraria, ſubito ſe abripi patiantur, neve de re quapiam decernant, antequam totam illius conditionem & varietatem ſedulo ſint periclitati.

Idealis methodus non eſt tanti facienda quanti empirica.

XXV. Quod ſi jam *Idealem* illam cum hac *Empirica* cogitandi methodo conferamus, nemo non arguet, hanc eſſe illa multis momentis præſtantiorem, ſecurioremque, atque a ſenſatis mentibus in veri inquiſitione merito frequentari, ſiquidem, quod cum Lokio multi evincunt, ideæ pleræque omnes ſenſuum beneficio oriuntur; ſed tribuamus interim, ideas eſſe etiam innatas, profecto niſi experientia ſobria accedat ipſarum rerum, ſemper hærebimus in ancipiti, an ideæ illæ innatæ rebus ſuis apte conſocientur? an non potius ſit impertinentium rerum confuſio? ut proinde ſemper neceſſum ſit objectorum experientiæ vacare.

Parallela Idealiſtarum & empiricorum.

XXVI. Præterea ſolent Idealiſtæ ut plurimum eſſe pertinaciſſimi, neque ſe facile ſuis ab erroribus avocari patiuntur, quorum nempe cerebrum conſtanter exæſtuans vivaciſſimis motibus, omnem alienam regulam averſatur ideoque etiam graves ſunt & intolerabiles in familiari conſortio: At vero empirici homines agunt multo manſuetius, qui interna tranquillitate compoſiti, & intenti etiam externis obſervationibus vero juſtoque modeſtius obſequuntur, quorum alterum mentis laſciviam retundit, alterum etiam ſenſationum fidem moderatur; quod quidem omnino eſt neceſſarium, cum perſæpe temporis & experientiæ progreſſu alia phæno-

phænomena prodeant, contraria prioribus; & aliunde, quis nesciat, variam, multiplicem, ac reconditam rerum cognitionem, non simul & unitim, sed longo usu innotescere, & repetita plurimorum phænomenorum combinatione.

Spiritus Geometricus seu Philosophicus.

XXVII. Ex jugi & severa rerum combinatione, ac proportione consurgit tandem in præclaris mentibus alia quædam nobilissima facultas, dicta *Spiritus Geometricus*, qui primis principiis totus innutritus, ad eorum leges perpetuo movetur, etiam dum alia cogitat, atque ita summo ordine & Analogia in omnium rerum pertractatione versatur.

Tertia classis Sectariorum

XXVIII. Tertia classis est *Semicæcorum*, seu eorum, qui nec propriis ideis aut conceptibus indulgent, neque etiam vacant experientiæ; sed quidquid ab aliis acceperint pronunciatum, id religiose suspiciunt, atque etiam jurejurando tuentur, gloriæ sibi ducentes, quod alii aliquando fuerint, qui sui loco cogitassent. Tales sunt Sectarii plerumque, & Scholastici fere omnes, qui uni alicui duci devoverunt vitam, lucubrationesque suas (*s*); hi nesciunt neque proprias suas æstimare vires, neque labilitatem aliorum; cum enim vix cuiquam concessum sit inter angustos humanæ conditionis limites, recte per omnia argumenta sapere, poterant illi utique gnaviter meditando alienos nævos corrigere, & præstantem suum auctorem etiam antecellere in quibusdam capitibus, nisi pacti fuissent oculos mentis nunquam extra auctoris sui imaginem laxare; quod certo non tam in veritatem conducit, quam in propagationem erroris.

Historici huc pertinent, Artistæ, imitatores, &c.

XXIX. Huc pertinent omnes *Historici* vulgares, qui eventus quosque, ut plebeji rumores ferebant, posteritati obtruserunt, quibus deinde erroribus emendandis tanta criticorum solertia opus fuit: huc *Artistæ* omnes, theoria destituti, qui fideles custodes sunt antiquarum ineptiarum, quas a magistris suis acceperunt; nun-

(*s*) *Seneca lib.* 5. *Epist.* 6: Turpe est seni ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit: tu quid? hoc Cleanther: tu quid? quousque sub alio moveris? aliquid & de tuo profer.

nunquam hi amplificabunt Rempublicam novis commodis & inventis: huc perpetui *Imitatores*, servum pecus: huc *Assentatores* soliciti, ut aliorum character in se resplendeat: huc denique pertinent *Causidici* vulgares, & Leguleji, qui totum corpus Juris memoriæ mandant, & deinde ad vocularum valorem sine spiritu legum omnes humanas actiones rigorose exigunt.

Sectariorum emolumenta.

XXX. Hoc cogitandi genus, utut ignobile non caret emolumentis suis; primo si quidem errorum, & offensionis pericula non metuunt hujuscemodi Sectatores; si modo probatum auctorem sequantur, & plerumque sub alienis clypeis ignavi insultant novis ausibus aliorum; deinde nunquam deficiunt gloria, ob applausus in auctorem suum & multitudinem sequacem collatos, quibus blandimentis deliniti existimant, se felicissimam esse turbam, & sobolem eruditorum, quamvis nec vires suas ad Antecessorum suorum, neque doctrinam suam ad veritatis normam metiantur.

Quarta Classis Scepticorum.

XXXI. Ad quartam classem refertur impudentissimum hominum genus *Sceptici*, seu Pyrrhonici, qui nihil se scire, nec omnino quidquam sciri posse pertendunt, sine fronte, sine eruditione canentes triumphum de tantis præclarissimorum hominum studiis. Pater eorum extitit *Pyrrho* (*t*). Subsequis temporibus, cum scepticum institutum nimium offenderet humanæ societatis le-

(*t*) Pyrrho *acri ingenio a natura donatus, cum varias de iisdem rebus & pugnantes invicem Dogmaticorum sententias animo metiretur, ex adverso autem adverteret perpetuos Sophistarum insultus, nullum aliud superesse vidit animorum tranquillitati, qua impense afficiebatur, præsidium, quam omnia in medio relinquere, & his & illis obturare aures, nihil tueri, ac velut in specula quadam altiori suspensum Philosophorum deridere vanitatem; qua quidem ratione Scepticorum petulantium cohibuit validissime, & Dogmaticorum simul lites, ejuratis quibusque opinionibus declinavit, in littore miser se trucidans, quod alios videret in terra & mari interire. Prognatus itaque est Scepticismus non tam a stupiditate percipiendi, quam ab inani timore hostium imbecillorum, quos facili brachio licuisset superare, uti & rationes, in speciem æquivalentes, affirmantium idem & negantium. In hoc præcipitio positus Pyrrho in amentiam totus incidit & perversitatem, ausus*

leges, & ductum ordinatæ rationis, non defuerunt, qui ejus duritiem mitigarent, & *moderatos Scepticos* se profiterentur, veluti *La Mothe de Vayer*, *Huetius*, *Petrus Baylius &c.* (*u*) Sed de hoc Scepticismo infra agetur (§. 415.).

Sophistæ annumerantur Scepticis.

XXXII. Ad hanc eandem Scepticorum turbam adnumerari merentur *Sophistæ*, perpetua laborantes dissentiendi, depugnandique libidine, quales inter veteres fuerunt *Zeno Eleatensis*, (*x*) *Eucli-*

ausus dicere ; incertos nos omnino esse de rebus, quæ sensibus percipiuntur : honorem & infamiam nostrarum actionum, item justitiam & injustitiam earundem ab humanis duntaxat legibus, & recepta consuetudine desumi, non ex ipsa, quam ignoramus, natura, &c. (§. 620.)

(*u*) *Videtur mihi a cl. Formey durius haberi Baylius, quem non modo aperti Scepticismi, seu sacra, seu profana spectes, incusat, sed etiam coarguit de occultis fraudibus, & simulatione ad ejusdem patrocinium susceptis. Non eo inficias, multa in ejus Dictionario reperiri, quæ Scepticismum oleant, ac proinde merito censoria virgula illud notari, attentoque opus esse legenti, ne laqueos incurrat; attamen existimo, pleraque illa a viro doctissimo pro ingenii sui vastitate eum in finem conscripta esse, ut ostendat, quousque in tanta, tamque versatili in utramvis partem rerum verosimilitudine progredi liceat vero similiter cogitando, atque ut legentes, hoc suo specimine admoniti, norint etiam in verosimilibus assensum cohibere, quin magis novis meditationibus insudando, verum contra verosimilitudinem defendere ; quod certo tam acerbo stilo configi non meretur ; & sane quid urgeat, ad effræne patrocinium Scepticismi, & animi malitiam abire, quando viri, multifariam eruditi, & veritatem multorum argumentorum tanta cum solicitudine & criterio eruentis, existimationem multo æquiori judicio licet salvam tueri ? Ipse cl.* Formey *dum & Baylii & Scepticismi jugulum se petere existimat, extollit plus æquo eorum vires, dicit enim* Triomphe de l'evidence Part. 3. Sect. 1. §. 5 : on ne sauroit nier, que tout le Dictionaire de Bayle ne soit un mêlange de réflexions, qui vont à remplir l'esprit de doutes, à le jetter dans le decouragement & à lui faire perdre l'esperance de connoître la verité. *Quis in omni articulo Dictionarii videat Baylium subvertere veritatem ? quis unquam dixerit, Scepticismum, utut ferocissimum, etiam spem posse eripere obtinendæ veritatis ? nec Baylius hoc unquam efficere valuit, nec Scepticismus.*

(*x*) Zeno Eleatensis, *qui primus Dialecticæ parens ab Aristotele, & Laertio dicitur, veritatem e captiunculis & callidis disputationibus arcessendam esse perperam existimavit. Hujus cogitandi ars, quod Gassendus de* Origine & varietate Logicæ *tradit, tota in Dialogis posita fuit, & consecutio-*

Euclides Megaricus (y) *Eubulides, &c* (z); qui quidem, & eorum hodierni ſequaces cum quibuscunque propoſitionibus adverſentur ob ſolam indomitam pruriginem pugnandi & vincendi, jure incuſantur, aut veritatem in nulla omnino propoſitione vidiſſe, aut animo conſtituiſſe, eam etiam agnitam, quibuscunque liceret ingenii argutiis, opprimere; quorum primum eſt indignum homine, alterum Philoſopho indigniſſimum.

cutionibus, eum in finem directis, ut, quamcunque in partem ſe adverſarius verteret, eum interciperet, atque opprimeret, in qua victoria omnem ingenii & Philoſophiæ gloriam collocarunt Zeno, *& Eleatenſes ſui, ſeculi utique & hominum vitio, non ſcopo Dialecticæ diſciplinæ; cum enim priori tempore mortales ingenuum candorem ſecuti, juxta naturalis luminis & æquitatis leges cuncta definirent, hac autem ætate ad Dialecticæ exortum viderent, per inductas quasdam cogitandi & diſputandi regulas, mirabiliter commoveri hominum animos, converterunt totam diſciplinam ad gloriam, & auram popularem, rati multo illuſtrius eſſe, alios acuminibus circumvenire, & litigando compeſcere, quam cognitæ veritati, cujus cauſa omne ſtudium ſuſcipi debuit, obedire reverenter. Itaque culpa ſua, & malo uſu dialecticæ inducti fuerunt ad exercitium indomitarum paſſionum, quas ipſas ſeverior illa facultas, rationi tantopere adſtricta, ex eorum animis debebat penitus eliminare. Sed majora adhuc cepit incrementa hoc vulnus mentis apud ſequaces.*

(y) Euclides, *Megaricæ ſectæ auctor, non multo illuſtrius pro directione humanarum mentium, ac prior, cogitavit, quin imo clararum idearum, & veritatis contemptor, rabiem diſputationis invexit in ſcholam ſuam; hinc etiam auditores ſui* ἐριστικοὶ *a contentionibus dicti ſunt; quaſi vero ſapientum gloria in acuminis furore, atque caninis morſibus ſita eſſet, & non magis in genuino veritatis amplexu. Vires ſuas eo præcipue contendit* Euclides, *ut aliorum concluſiones non aſſumptionibus impugnaret, ſed concluſionibus, quod* Diog. Laërtius *tradit* Lib. III. num. 107: οὐ κατὰ λήμματα, ἀλλὰ κατ᾽ ἐπιφοράν. *Ex aliorum dictis perpetuas illationes, perſpicuas, ſi Diis placet, congeſſit per* ergo, ergo, ergo; *atque ita reſpirare non ſinens, adverſariis perplexis laqueos Sophiſmatum injecit. Infrunita ſane & deplorabilis cogitandi ratio, veritatem furori ſubſternens, quam ſumma animi cura ſuſcipere oportuiſſet.*

(z) Eubulides *Euclidis diſcipulus, & tandem ſectæ Megaricæ præfectus, Eriſticam ſectam novis captiunculárum formulis adauxit, nempe:* Pſeudomeno, Sorite &c. *ut Diogenes Laërt: Lib. II. ſeq.* 108. *Menagius in Notis ad Laërt p.* 122. *Gaſſendus de origine & varietate Logicæ Cap. III. Stanlejus Hiſt. Phil. pag.* 265. *teſtantur. Eubulides diſcipulum habuit* Diodorum Cronum, *iisdem nugis implexum. Quibus & adjungi debet Sophiſtarum notiſſimus* Chryſippus, *quem Cicero Lib. III. de Nat. Deor. vocat verſutum & callidum diſputatorem.*

Homines ad omnem ventum mutabiles.

XXXIII. Sed & illi hac reponi classe debent homines, limo & stercore fluxiores, qui perpetuo sui, & rerum decernendarum impotes, atque mutabiles ad omnem ventum, nulli se unquam firmiter adstringunt sententiæ, sed pro eo, ac fert occasio, jam huic adstipulantur sententiæ, jam annuunt adstruenti contrarium, jam rursum priori suffragantur, non tam perversitate, quam inopia mentis; hi quidem, præterea quod ignominiam puerilem perpetuo foveant in sinu suo, & despicatui sint, etiam amicis suis sunt gravissimi, quibus nunquam licet in verbo viriliter dato, fiduciam, securitatemque collocare.

Methodus cogitandi Garrionum.

XXXIV. Illum etiam cogitandi modum certorum hominum digito cursim commonstrasse juverit, qui non tam de re, quam examinandam illustrandamque susceperunt, quam de profusissima styli elegantia colliciti, omne argumentum pulcherrima verbositate conficiunt, egregie se rem egisse existimantes, si diffluant sermonis illecebris & amœnitate, quamvis statum quæstionis, aut rei, de qua agitur, nervum ne contigerint quidem; Ita in cortice occupantur, & verborum animam, severum ratiocinium negligunt. Multi eruditi queruntur, hanc fucatam & vanissimam eruditionem nostris temporibus attollere caput in scientiarum perniciem, apud illas præsertim gentes, quæ linguam patriam magnis se progressibus exeoluisse gloriantur; quod quidem etiam accidit in Latina lingua imperitis quibusdam Grammaticis aut Rhetoribus, e quorum amplissimis discursibus, Ciceroniana, Corneliana, Curtiana, &c. phrasi undequaque turgentibus, vix sententiam colligas duarum linearum, Cicerone dignam.

Conspectus originis tam variarum sententiarum.

XXXV. Hæc sunt suprema capita, in quæ omnem cogitandi rationem, a temporis & hominum memoria tentatam, restrinximus, quæ alioquin in immensum evagaretur pro capitum humanorum & sententiarum multitudine. Libeat jam hanc succinctam mentis & cogitationum imaginem, unico obtutui simul patentem, paulo attentius meditari, & quænam illius primæ vires & incitamenta ad tantam diversitatem sentiendi extiterint: quid aluerit illius progressus, aberrationes & pugnas: & quænam ex ipsa sua fluxitate oporteat recte cogitandi lumina colligere, tanquam in speculo intueri.

XXXVI.

Anima semper agit.

XXXVI. Et *primo* quidem, firmum fixumque tenere oportet, animam nostram, principium & fontem vitæ, perpetuo esse in motu positam, neque unquam pro naturæ suæ conditione posse a cogitando desistere (*a*); unde eam veteres naturæ igneæ, qui ignis imago est perennis motus, esse dixerunt, & Deum ipsum, æternum vitæ & motus fontem, sub ignis Symbolo adoraverunt, veluti antiquissimi Persæ, Chaldæi &c (*b*).

Ex perpetuo motu mentis nascitur desiderium sciendi.

XXXVII. *Secundo:* In hoc perpetuo motu & incitatione mentis situs est nativus ille stimulus cognoscendi res, & versari inter objecta, seu sensationum, seu imaginationis adminiculo advecta (*c*); si cognitiones illæ sunt opiniones, dubia, aut errores, quæ cum obscuræ sint, minus cohærentes, & veluti abruptæ ab invicem, remoras objiciunt, & intercipiunt campos evagandi, ideo que dicitur anima iisdem cum tædio & anxietate immorari, nisi in falsis principiis fundetur cohæsio apparens: sin vero cognitiones illæ colluceant veritate & scientia, atque contemplanti plurimarum rerum offerant nexum, & cohæsionem, tum incitata anima in iis liberrime diffunditur, atque ita dicitur naturaliter ferri in veritatem & scientiam. (*d*)

Animæ activitas præcipue respicit imaginationem.

XXXVIII. *Tertio*: Anima itaque ardentissime ad cognoscendum impulsa, duabus præcipue viis perpetuo decurrere consuevit: aut in ideis, a sensatione, & reflexione oblatis: aut in arbitrariis imaginationibus (§. 7.); quia vero hæ posteriores multo magis accomodatæ sunt velocissimæ mentis incitationi, quam lenta experientia sensuum, facta cum tanta reflexione in rebus occurrentibus, hinc etiam hominum animi, omni tempore & ætate, com-

(*a*) *Hoc in Metaphysica celeberrimorum Philosophorum & Medicorum suffragiis stabilitur.*

(*b*) *Ur Chaldæorum* אור *recte intelligitur cultus & adoratio ignis, a qua Abraham Pater credentium, tanquam a gentili superstitione vocatus est in terram sanctam ad cognitionem veri Dei.*

(*c*) *Omnis homo naturaliter desiderat scire, id est: cognoscere.*

(*d*) *Hac eadem de causa Systemata, in quibus menti offertur plurimarum rerum complexus, & coordinatio, hominibus tantopere arrident.* (§. 663.)

memorantur amplissime suis imaginationibus vacasse (*e*), atque ita detexisse patriam Fanaticorum. Percurramus paulisper vastissimas Bibliothecas, cum variis auctorum monumentis, videbimus plerumque imaginationum fœtus dominari, & ipsa volumina, ab imaginatione profecta, esse multo vastiora, quam illa, quæ juxta accuratas observationes & meditationes consignata sunt; cujus rei certo insigne argumentum præbent vulgarium Scholasticorum Scripta.

Mens fertur in mirabilia ob suam activitatem, & ignorantiam.

XXXIX. *Quarto:* Ab hac constanti prurigine procudendi imaginationes, una cum densa plurimarum rerum ignoratione, & imbecillitate sua inductæ sunt humanæ mentes, ut tanta mirabilia viderent, præsertim in illis rebus, quæ remotissimæ a nobis sunt, aut vix ullam habent cum nostris sensibus communionem; certo cum veteres cursum ordinatissimum cælestium corporum, & beneficia exinde in mortales derivata intelligere non possent, loco inquisitionis arduæ in causam, laxarunt phantasiam incitatam in mirabilia, ut astra illa pro rebus mirabiliter moventibus, seu diis (vox quippe *Deus* derivatur a græca voce *movere*) haberent, quam deinde vocem *Deus* aliis rebus, aut hominibus mirabilibus indiderunt: alii non contenti tanta deorum multitudine etiam multiplices spiritus, aut heroas effinxerunt, quorum succursu explicabant varia mirabilia, artes magicas, & arcanum modum ineundi familiaritatem cum diis ipsis: alii ignorantes originem variarum passionum in humanis animis, eas repetierunt à mirabili transmigratione animarum è bestiis in homines, & vicissim: ipsi Epicuræi, & Cynici, aperti miraculorum contemptores, passi sunt nihilominus se abripi, ut fascinationes Neo desponsatorum crederent, & quædam alia prodigia (*f*). Hæc omnia mirabilia cum agitatissimam imaginationem mortalium nimium quantum & foverent, & allicerent, incredibile dictu est, quantus amor, & studium ejuscemodi mirabilium apud omnes gentes increverit, ita ut Anaxagoras, timore vulgi superstitiosi ne ausus quidem fuerit eclipses siderum ex naturalibus causis explicare; quoque

(*e*) *Certo nomine* studii *nihil aliud unquam intellectum fuisse videtur, quam attentio, observatio, meditatio, ac combinatio rerum.*

(*f*) *Feri & intrepidi Americæ populi, omni Divinitatis cognitione destituti, lemures maleficos confinxerunt, quos nocte grassari autumant, eorumque timore pressi vix gressum promovent in tenebris.*

que magis populi quidam vetuſti in ignorantia hæſerunt, eo quoque magis abundaſſe commemorantur omni genere mirabilium (*g*)

Ex animæ aſſiduitate prodiit novitatis deſiderium.

XL. Denique *quinto* ex hac perenni & irrequieta animi verſatione prodiit ſententiarum inconſtantia, & novitatis deſiderium; quidquid temporis progreſſu etiam præclare, & utiliter excogitatum fuit a ſapientibus viris, id irretentos igniculos diu continere vix potuit, quin humanus animus rerum, & ſui impatiens tranſiliret limites, atque novarum idearum conſectatione, ſuos impetus eliberaret; quo factum eſt, ut multa præclara ſtudia in vitia deſciverint, & corruptelas.

Novitatis amor Dialecticam in Sophiſticam convertit.

XLI. Ad exortum artis Dialecticæ ſubito patuit omnibus, præcipue emunctioris naris hominibus, quantum diſcrimen inter ſimplicem modum proponendi priorum temporum, & hanc argutam atque artificioſam intercederet ad humanos animos convincendos; igitur ut quisque erat ingenuoſiſſimus, & ſciendi avidiſſimus, ita præſtantiorem hanc præ illa impenſiſſime ſecutus eſt; ſed non diu admodum neoinventæ arti ſuum conſtitit precium: plurimorum animi extra illius ſcopum, qui eſt veritas & perſpicientia, dilapſi ad populares adplauſus, dum altius provehere Dialecticam conati ſunt, eam ad futiles & inanes captiunculas detorſerunt; atque ita repente Dialecticæ loco floruit perniciosa Sophiſtica, in qua petulanter & liberrime etiam præſtantes viri fuerunt deliciati (*Num.* XXXII.)

Ex animi inconſtantia etiam Sceptici prodiverunt.

XLII. Alii videntes, multa a dogmaticis Philoſophis ceu vera doceri, quibus dubium imo & falſum ſubeſſe compertum eſt, novis argutiis ſubnixi, cum debuiſſent verum a falſo tranquille, & ſuſpenſo animo diſpeſcere, facto impetu, omnes propoſitiones, quæcunque demum illæ forent, citra verecundiam negaverunt; atque ita Sceptici facti novum diverticulum luxurianti ingenio detexerunt (XXXI.): ut alia innumera prætercam, quæ a mentis inconſtantia in præſentiſſimum chaos e ſua dignitate dejecta fuerunt. Illi autem, qui

(*g*) *Hinc Deus populum ſuum electum ab hac falſa mundi mirabilium fide avocaturus, Scripturas ſanctas tradidit, & Prophetas divinitus inſpiravit, qui evulſis ſuperſtitionibus hominum animos ad ſolum, & verum mirabilium fontem, nempe Deum conducerent.*

qui lentore proſtrati, in alterius cujusdam placitis hæſerunt, veluti Sectarii, tanto longius putati ſunt abeſſe à dignitate humanæ mentis, quanto remiſſius nativam animi vim agendi exercuerunt.

Diverſitas temperamentorum cauſat varietatem ſentiendi.

XLIII. *Sexto:* Et potuiſſet forte equidem in tanto imaginationis æſtu ſperari, ut homines conſimili mentis incitatione correpti, etiam ſuam cogitandi normam, ac rationem quodammodo conformarent, niſi incredibilis varietas temperamenti corporei, a quo modus cogitandi animæ occultis legibus dependet, tot diſſenſionibus ac pugnis attuliſſet cauſam (§. 64.). Amor proprius, commune humani generis malum ubique ſe admiſcuit, ſimultates ac diſſidia ſententiarum, etiam invita Minerva, aluit, ac animos diſſecuit in eas præcipuas claſſes, quas paulo ante expoſui.

Quædam inquiri debent, quædam negligi.

XLIV. Quibus omnibus conſideratis, atque ad noſtram corréctionem traductis, hæc duo præcipue ſtatuenda eſſe videntur: *Primo*, patere aditum humanis mentibus ad plurimas veritates, ſi modo imaginatione nimia, cæterisque animi paſſionibus, frœno coërcitis, attentioni, obſervationi, & meditationi ingenue vacent, & indefeſſe: *Secundo*, ut de rebus, quæ ſupra noſtram cognoſcendi Sphæram elevatæ ſunt, nihil ſolliciti, earum ignorationem æquo animo ſuſferamus, perinde atque ad nos non pertinerent; quorum primum ſtimulos ad cognoſcendum neceſſarios addit; alterum ſuperfluos reprimit.

LIBER

LIBER I.

De Ratione recte cogitandi.

§. 1. Omnis cogitandi ambitus *perceptionibus*, *judiciis* atque *ratiocinio* continetur; quibus etiam doctrina de *methodo* bene adjungitur, ut nempe argumentum, quod in disputationem adductum est, ordine dilucideque absolvatur. Itaque præsentem librum, totam cogitandi provinciam regulis quibusdam, atque auxiliis suffulcientem, in quatuor partes secabimus: in prima, de *perceptionibus* seu ideis; in altera de *judiciis*; in tertia de *ratiocinio*; in quarta demum de *methodo* acturi; & certo obtinebunt eo majorem vim influendi in animos legentium institutiones istæ, quo magis sequuntur ordinem & naturam animi cogitantis, atque ex primis principiis ad ratiocinia postremo contendentis. *Libri primi partitio.*

PARS I.

De primis elementis recte cogitandi, variis nimirum humani animi perceptionibus, & ideis.

§. 2. Quidquid anima humana cogitet, quæcunque objecta contempletur etiam diversissima, maximeque dissita, nunquam exit extra seipsam, sed omnia objecta in ideis suis, atque in se complectitur; est enim idea perceptio seu cognitio mentis, objecti cujusdam imaginem referens: neque oportet concipere ideam, ceu objectum, a perceptione distinctum, cum simplex mentis conditio in simplici cognitione, objectum involvente, rectius explicetur; *Idea non distinguitur a perceptione.*

plicetur; maxime cum certum sit, ad objecti cujusvis sensationem produci ab anima occultis legibus actionem spiritualem, corporeæ sensationis vi atque imagine refulgentem.

CAPUT I.

Prima elementa cogitandi, seu ideæ in suas classes dispescuntur.

Ideæ ab anima fiunt vel occasione sensationum, vel per reflexionem.

§. 3. Animus humanus expers primum est omnis ideæ, tum vero usu & exercitatione, *sensatione* nimirum & *reflexione* variis cognitionibus imbuitur; quæ succrescentes ideæ considerari possunt vel secundum suam ***originem***; vel secundum suam ***entitatem***; vel secundum quempiam ordinem ***ad objecta*** sua; vel demum secundum eum, quem habent ***ad mentem.***

Ideæ, quæ adveniunt occasione sensationum.

§. 4. Ideæ consideratæ in sua origine vel adveniunt in animam afforis, ideſt, occasione cujusdam extraneæ sensationis; vel fiunt ab eadem pro solo suo arbitrio (*a*). Quæ in ea excitantur occasione sensationum, tot sunt tamque variæ, quot sunt sensus: ejusmodi sunt ideæ *coloris*, *saporis* &c. Forte præter objecta nostrorum quinque sensuum aliæ existunt res corporeæ in globo terraqueo, quæ a nobis nunquam cognoscentur, tum, quod nullum nostrorum quinque sensuum afficiant, tum quod sensu, rebus illis corporeis proprio, destituti simus; quemadmodum oculus non sentit objectum auditus; & quemadmodum nullam habebunt lucis cognitionem, qui visu fuerint omni vitæ tempore carentes. Cæterum quia idearum subnascentium claritas conformatur perceptionum valori (§. 28.), oportet in objectorum perceptione sensus quam diligentissime contendere; plerumque enim alias ideas de objectis hauriunt, qui obiter & neglecte, quam qui acute, & sollicite ea experiuntur. Juverit hic regulas (§. 71.) attendisse.

§. 5.

(*a*) *De origine idearum contra ideas innatas alias a me disputatum fuit in Metaphysica.*

Quinque sensus sunt limites cognoscendi res corporeas.

§. 5. Limites hos humanæ mentis in cognoſcendis corporeis rebus attente & ſæpius reſpicere oportet; haud ſecus ac territorii cujusdam poſſeſſor terminos ſuos undique exploratos habere debet, quo minus in alienos fundos excurrens violati juris incuſetur. Ea duntaxat Deus & natura quinque ſenſuum beneficio innoteſcere voluit humanæ menti, quæ publicis & privatis vitæ commodis, atque etiam æternæ felicitatis negocio ſatis eſſe poſſint; ſi quæ objecta ſunt, ab horum ſenſuum commercio aliena, nihil ea ad nos pertinent, nullis ea cognoſcendi mediis donati ſumus, ut proinde ea ignorare multo dignius ſit, multoque laudabilius, quam neſcio quas de *mediis ſubſtantiis*, de *Gnomis*, & *Pygmæis* ideas delirare.

Ideæ quæ ab anima fiunt.

§. 6. Ideæ, quæ ab anima fiunt, potiſſimum ſunt relationes, ab animi ubertate effictæ, & adveniunt aliis ideis, miniſterio ſenſuum prius obtentis, veluti: *ſimilitudo* accedens ideis duorum aut plurium nummorum aureorum ejusdem cunei; item idea *generis*, quæ in mente conſurgit ex pluribus viſis & perceptis animalibus. Has ideas Scholaſtici barbara compellatione *entia rationis* dicunt. Nullum illis eſt extra fingentis mentem, unde decerpantur, objectum; mens totum, quod ſunt, perficit; unde earum diſcrimen facile percipitur ab ideis, aliunde, & occaſione ſenſuum adventantibus, quorum objecta in ſe, etiam extra cogitantis mentem exiſtunt.

Idearum imaginariarum origo & uſus.

§. 7. Idearum, quæ ad animi arbitrium hoc modo fiunt, aliæ ſunt imaginariæ, aliæ intelligibiles. *Imaginariæ* ideæ, aut efformantur ſola animi ubertate de rebus, quæ in ſe nunquam extiterunt, neque etiam poſſunt exiſtere, veluti *Daphnes* in laurum, *Actæon* in cervum converſus: aut finguntur a mente eum in finem, ut deinde rebus variis accommodatæ, redigantur in opus & exercitium. Sic princeps ex lectis, auditis, atque conciliatis invicem veterum legislatorum hiſtoriis conſilia effingit reipublicæ, feliciter adminiſtrandæ: archiſtrategus, qui vario marte ſæpius decertavit, ideam perficit inſtruendæ aciei: architectus ex prævio commodorum multiplicium delectu ideam fabricæ adornat. Hac ideas fingendi facultate pro omnium officiorum, ſeu politicen, ſeu artes, ſeu militiam ſpectantium, directione nihil eſt illuſtrius, nihil utilius, præſertim ſi vaſta

 factus

ingenia, uſu etiam multiplici condocefacta, ejuſcemodi ~~fœtus~~ emittant.

Imaginariæ ideæ mutantur exemplo drammatis.

§. 8. Qui primus ideam drammatis comici concepit, eam utique ſuo e cerebro liberrime procudit, atque in ſuas partes ſine ullo exemplo digeſſit: alii ſubſequentes primæ notioni auctoris alteram aliquam elegantiam adjecerunt; nobis hodiedum hoc immutandi jure uti indultum eſt, quo fit, ut pro varietate temporum idea drammatis comici nutet, atque in alias & alias formas continuo abeat. Easdem viciſſitudines ſubeunt varii luſus ſeu calculorum, ſeu foliorum, ludi equeſtres, hypotheſes artium Grammaticæ, Arithmeticæ, ſaltatoriæ &c.; operæ pretium foret, plurium idearum immutationes, vario loco & tempore ſuſceptas uno ſub intuitu collocare, ac quænam earum bene, quænam immerito ac veluti contra ſcopum factæ ſint, acute diligenterque requirere.

Ideæ intelligibiles.

§ 9. Ideæ *intelligibiles* ſunt formæ rerum incorporearum, quæ reipſa extra noſtram mentem exiſtunt; ſic contemplando noſtram mentem, quæ ſua ſibi idea eſt, inducimur in cognitionem aliarum mentium humanarum. In omnibus his idejs, quæ ab anima producuntur, plerumque deprehenditur quidpiam, quod ex perceptione ſenſibili ducit originem.

Ideæ ſimplices quid ſint? & quomodo oriantur?

§. 10. Ideæ *in eo*, *quod ſunt*, conſideratæ, vel ſunt ſimplices, vel compoſitæ. *Ideæ ſimplicis* nomine intelligitur ſola & unica rei cujusdam perceptio; veluti idea *lucis*, *coloris*, *frigoris*, *duritiei*, *exiſtentiæ* &c. quæ peculiari in ſenſus illapſu, aut reflexionis ſimplicis exercitio in animo conſurgunt. Sint etiam earum plures, *albedo*, *frigus*, *quantitas* in nivem congeſtæ, & inſeparabili nexu conſtrictæ, a mente ſingillatim ſingulæ, dum fiunt, attinguntur, haud ſecus ac ſi ab aliis, diverſisque objectis decerptæ in mentem veniſſent.

Ideæ ſimplices rerum corporearum abſolute

§. 11. Ideæ *ſimplices* rerum corporearum veluti *lux*, *ſonus* &c. tam indivulſe ac neceſſario ſenſibus quæque ſuis propriis adſtrictæ ſunt, ut qui illo careat, is ideam objecti, ad ſenſum illum pertinentis, nullam unquam mente aſſequatur, contendat licet omnes vires ingenii, aut utatur etiam magiſtris peritiſſimis; cauſabunt conſtanter

ter interpretantium voces in auribus cæci ſenſationem, ab ea, quæ oculorum eſt, & cum idea lucis unice devincta, diverſam maxime, & alienam; quin imo multiplex ille complexus vocum, alias & alias ideas excitantium, neceſſario repugnare debet ſimplici lucis & oculorum commercio, in ſimplici perceptione relucenti. Certo nec organa, nec objecta naturæ obtemperant arbitrio percipiendi quidlibet extra ſuum ordinem, & naturæ leges etiam in idearum inſtituto tuentur immutabilitatem ſuam. Lepidum factum commemorat *Lokius* (*b*) de cæco nato, is longa amicorum inſtructione, & acri ſtudio exercitatus de lucis & colorum natura, tandem gloriari cæpit, ſe omnino, quid coccinum ſit, eſſe aſſecutum; tum a quopiam rogatus; quidnam revera illud eſſe exiſtimet? reſpondit: eſſe quiddam, ſono tubæ ſimillimum. Papæ! ridiculus mus. Hujus furfuris ideæ de objectis erunt cuilibet alteri, quas ſine ſenſorio proprio, ex ſola inſtructione, aut alterius ſenſus miniſterio velit aucupari. *a ſenſibus dependent.*

§. 12. Aliter longe ſe res habet, dum cuidam explicatur odor peregrinus, velut *diſtillationis meliſſæ*, quem quidem ille non olfecerit hucusque, olfecerit tamen alios odores, hunc explicatio poterit quadantenus adjuvare, ut ad perceptorum odorum ſimilitudinem quampiam vagam diſtillationis meliſſæ ideam concipiat; quod alter, odoratu per omnem vitam deſtitutus, non valebit imitari. *Vagæ ideæ ex inſtructione ſumuntur.*

§. 13. Perceptiones pleræque, etiam ejusdem generis ſunt inconſtantes: albedo jam purior eſt, jam ſublurida: alia inſinuat ruborem, alia flavedinem, nonnulla etiam ad cæruleum, aut viride accedit. In ſingulis his gradibus infinitus eſt naturæ luſus, atque varietas. An fortaſſis hæ perceptiones dici debeant compoſitæ, quod ad eas ſignificandas neceſſum ſit voces variarum idearum conferre? ſed proferuntur compoſitis nominibus ob ſolum defectum tot ſimplicium vocum, quot albedini ſunt gradus; quælibet earum perceptio in ſe ſimplex eſt, & omnino fieri nequit, ut ex ſimplici & ſpecifica vellicatione, qua ſinguli gradus afficiunt ſuum organum, aliud ac ſimplex idea in mente oriatur. *Ideæ ſimplices ob defectum nominum videntur compoſitæ.*

(*b*) *Lokius Lib. III. de intellectu humano. Cap. 4.*

Ideæ compositæ quid sint, & quomodo fiant?

§. 14. Ideæ *compositæ* fiunt ex plurium simplicium idearum adunatione (*c*). Ut *homo*, *silva* &c. Perceptiones simplices, quæ in compositis conjunguntur, aut sunt *heterogeneæ*, seu diversi generis, veluti illæ, quæ ad silvæ compositionem concurrunt: aliæ sunt *ejusdem ordinis*, seu homogeneæ, ut sex pedes in idea hexapedæ: aliæ etiam *indeterminatæ*, ut idea abstracta extensionis, quamcunque partium extensionem involvens.

Ideæ compositæ actionum moralium.

§. 15. Porro *ideæ compositæ* ex pluribus simplicibus heterogeneis plerumque significant *substantias*, veluti *silva*, *homo* &c.; accidentia enim absoluta, quod verius dicitur, nulla sunt, sed respectiva duntaxat, atque adeo nunquam component adunata ideam accidentalem totius. Aliæ tamen sunt ideæ *compositæ* ex pluribus simplicibus, quæ actiones humanas delineant, ad mores & officia pertinentes; tales sunt ideæ compositæ *Justitiæ*, *gloriæ*, *honoris*, *luxuriæ* &c. Incredibile dictu est, quanti referat ad publicam privatamque felicitatem, harum idearum totum ambitum bene concipi, & nullam quamlibet partem, quæ faciat ad earum integritatem, prætermitti. In his ideis archetypis conservatur per omnes hominum & temporum vicissitudines constans & eadem natura virtutum ac vitiorum, multo clarius, multoque securius, quam si peculiares hominum actiones pro ejuscemodi imaginibus assumerentur; quæ enim actio aliquando visa est omnes complecti ejusdem virtutis species? an non justus aliquis, aut temperans finem optimum sequitur, & circumstantias prorsus laudabiles, quas alter in ejusdem virtutis exercitio aut omittit penitus, aut variat, aut etiam uberius accumulat, tantopere quidem, ut de singulis actionibus, partim aliis, partim demptis, aut ampliatis, idea virtutis esse non possit, nisi manca & indigesta. Profecto si superior ætas hanc temere secuta fuisset rerum moralium definitionem, eo jam staret res loco, conflictata per tot varios

(*c*) *Lokius Lib. II. de Intell. Cap.* 2. *ait, per triplicem mentis actionem fieri ideas: primo, dum plures ideæ simplices in unam conjunguntur, ut plures proprietates hominis; secundo, dum plures ideæ ita prope se invicem collocantur, ut simul se menti offerant, quamvis non conjungantur in unum, veluti relatio patris ad filium. Tertio dum ab ideis per mentem ea abstrahimus, quæ eas in reali sua existentia comitantur, hac ratione generales ideas efficimus, veluti hominem a quantitate, colore &c. abstrahendo.*

varios gradus & exceptiones, ut hodie difcrimen *virtutis*, *Chriftianismi*, *jufti* ab *injufto* vix fupereffet.

§. 16. Aliæ funt ideæ compofitæ morales *modorum mixtorum*, quarum præcipua fignificandi vis explicatur in modis quibusdam ac relationibus, veluti: *parricidium*, *fratricidium*, *facrilegium*, *adulterium* &c. Occifio bruto illata nutriendi hominis caufa, nihil habet iniquitatis; at fcelus eft ob reverentiæ læfionem, dum cum homine conjungitur; increfcit illius atrocitas, quando ad fratrem, & omnium vel maxime, quando ad patrem refertur. Nihil attinet ad idearum harum valorem, an actio, fimili relatione conveftita, unquam priori tempore lucem viderit, an impofterum edetur; fatis eft, fi ejufcemodi imagines reluceant in fola mente, quæ deinde voluntates hominum feu pœnarum metu, feu oftentatione præmii moderentur. Providi Legumlatores pro confervanda Reipublicæ incolumitate prohibuerunt multas actiones, variis modis conveftitas, ut ut nulla earum feu ante feu poft prohibitionem patrata fit. *Ideæ compofitæ modorum mixtorum.*

§. 17. Difciplinæ omnes & artes funt *ideæ compofitæ*, eo plerumque magis implexæ & difficiles, quo pluribus abundant partibus & præceptis; quarum partium totum ordinem & confenfum nifi quis probe teneat, nifi pervideat unico confpectu tanquam e fpecula omnes earum terminos & extenfiones, non habebit unquam claram & diftinctam cujuscunque facultatis ideam, neque valebit ad præcipuos illius apices tyrones compendio conducere. *Magni momenti negocium eft ideas compofitas fcientiarum tenere.*

§. 18. Si quis *Juris Romani univerfi* cupit ideam in fe efformare, eidem neceffum erit, plurimas partes, e quibus illa componitur, acute perfpicere, atque in unum conferre. Non fatis illi fuerit, noffe formas omnes imperii, quas Romanæ res variis temporibus fubierunt, Democratiam, Ariftocratiam, & Monarchiam, erit prætèrea opus, memoria tenere: quam fub ipfum Urbis initium *legibus Albanorum*, quorum fuit Roma colonia, omnia regerentur, harum autem egeftatem cum Romulus *edictis* fuis, paulo durioribus, ampliaffet, latas fuiffe a populo, in curias digefto, *Leges curiatas*, & deinde fub Servio Tullo *Leges centuriatas*, quæ regum auctoritatem, longius progredientem, continerent: fuiffe, fub Confulibus, legibus *Difficultas idearum compofitarum in fpecimine Juris Romani.*

priorum

priorum regum obſecutum populum moris, ſeu conſuetudinis, non juſtitiæ cauſa, niſi quas libitum fuiſſet conſulibus innovare; ſcire oportebit: qui quantæque auctoritatis tribuni fuerint, magiſtratus ſenatui oppoſitus: quæ *Plebiſcita*, leges populares: quid *Legibus XII. Tabularum*, e Græcia Romam adſcitis, cautum ſit: quæ *ſolennitates* a Pontificibus inductæ, *faſtique dies*. Sed nondum ſatis; amplam præterea cognitionem adjungere oportebit *Juris Flaviani*, *Æliani*, *Edictorum perpetuorum*, *Ædilium*, *Provincialium*, *Senatus conſultorum* &c. horumque omnium genuinas cauſas, & exuberantium tot legum peculiares fines cognoſcere: videre a *Juriſconſultis*, qui primi *Leges XII. Tabularum* interpretati ſunt, varias ſimultates & ſtudia partium intrudi in ipſas Leges; tum denique gnarum eſſe oportebit: quid mutata imperii facie conſtitutum ſit *ab Imperatoribus*, qua ratione ſummi principes, in tanta fortunæ & paſſionum intemperie poſiti, jus dixerint ſeu domi, ſeu foris, ſeu belli pacisve tempore: quid *codice Gregoriano*, quid *Hermogeniano*, quid *Theodoſiano*, quid tandem *Corpore Juris*, a *Juſtiniano* conditi, atque in hodiernum diem obtinentis, præceptum ſit &c. Singula hæc non modo oportebit memoria & acri judicio complecti, verum etiam ex omnibus illis partibus diſcrepantibus, juxta ſe poſitis, & adunatis, exactam Juris Romani imaginem, non peculiari cuidam principi, aut tempori, ſed univerſo, qua late patet, imperio competentem in ſe delineare. Idem de argumentis Philoſophicis, idem de Theologicis eſt exiſtimandum. Quæ quidem opera cum admodum diffuſa ſit, varia & multiplex, cui non niſi præſtantes & indefeſſi animi pares eſſe poſſint, videant, ne temeritatis notam incurrant illi, qui vix ut deguſtarunt extremis labris quasdam partes, illico turgere ſe autumant ampla totius facultatis idea.

§. 19. Ideæ conſideratæ ſecundum illum, quem ad objecta explicant ordinem, aut ſunt *adæquatæ* ſeu totales, aut *inadæquatæ*, *ſingulares* vel *univerſales*, *reales* aut *non reales*.

Ideæ adæquatæ quæ ſint?

§. 20. Ideæ *adæquatæ* complectuntur omnes objecti partes, ita ut nulla earum deſideretur. Ejuſcemodi ideæ, ut pleræque difficillimæ ſunt, præſertim in plurimarum particularium rerum conſectatione, ita maxime ſcientiis & artibus utiles ac neceſſariæ, ſuntque reipſa

ipsa multo rariores, quam vulgo esse existimentur. Formantur illæ potissimum ab animi nostri fertilitate, velut *ideæ figurarum Geometricarum, machinarum* &c.

§. 21. Ideæ *inadæquatæ* sunt, quæ quasdam duntaxat, non omnes continent objecti partes, aut proprietates, quales sunt ideæ *substantiarum corporearum*, sensuum beneficio obtentæ; nullius quippe hactenus omnes proprietates & attributa detegere licuit; sic præter generales proprietates corporis, veteribus cognitas, extracta est in lucem recentissimis temporibus *inertia* & attractio, proprietates itidem corporis generales, & extrahentur fortasse studio inferiorum temporum plures; utut imbecillitatem nostræ mentis, & angustum cognoscendi modum esse imparem existimem, ad omnes proprietates corporis, quocunque etiam conatu & tempore, revelandas; complexus siquidem harum proprietatum, cum in intima corporis natura, a nostrorum sensuum commercio divulsa, resideat, quis sibi polliceri ausit, se corporis cognitionem, quam metimur facultate nostrorum sensuum, ad universum illum proprietatum complexum esse aliquando feliciter protensurum (§. 42.)? Attamen *inadæquata* idea persæpe etiam dicitur esse *adæquata*, nempe ob totam, quam continet, vim ad peculiarem finem obtinendum; sic cum e proprietatibus corporis, hactenus cognitis, sola inertia plene, abundeque sufficiat ad demonstrandum: *corpora prorsus non posse libere agere*, licebit inadæquatam ideam corporis, si finem attendas hujus demonstrationis, etiam dicere *adæquatam*. *Quid ideæ inadæquatæ?*

§. 22. Cæterum, ut quisque maxime intelligit arctos limites humani intellectus, simul & necessitatem, in communi vita cogitationes suas, atque consilia invicem communicandi, ita verebitur minime in *adæquatis* ideis, dum perfectissimæ haberi nequeunt; certo *Simonides* inficete, & supra, quam Philosophum deceat, proterve Hieroni regi, toties *quid Deus sit?* roganti respondere abnuit, argumenti immensitate deterritus; quasi vero a Simonide, cum de Deo quæritur, responsum expectari debuisset, humano majus atque Divinius, qui de rebus corporeis, & in medio positis plerumque nonnisi ideas perfectas attulit more aliorum hominum: si absoluta Dei cognitio, & infinitis ejus perfectionibus commensurata obtineri a nullo *Necessitas humani consortii sæpius jubet adferre ideas inadæquatas.*

 morta-

Simonides notatus. mortalium poteſt, cur *Simonides* non protulit ea ſaltem prædicata Divina, ad quæ omnis perſpicax intellectus naturæ lumine ducitur? & quæ nec ipſe *Simonides*, ſi recte ſapuit, unquam poterat ignorare, repetendo præſertim vetuſtiſſimorum Sapientum memoriam *Orphei*, *Pythagoræ* &c. qui Deum *infinitum*, *æternum*, *omnipotentem mundi rectorem*, *omniſcium*, *malorum vindicem*, *&* *remuneratorem bonorum* luculentiſſimis verſibus olim cecinerunt; hæc enim attributa, ad humanæ mentis imbecillitatem contracta, utut *inadæquatam notionem* Dei conſtituunt, ſatis tamen impellunt ad neceſſaria religionis officia, atque ad reverentiam, Deo, bonorum omnium fonti, impendendam. Quodſi alias indecorum eſt, opprimere mentis radios ob ſuperſtites tenebras, in hoc *Simonidis* facto etiam iniquiſſimum dici jure poteſt. Hæc de *compoſitis ideis*.

Ideæ ſingulares quid ſint? §. 23. *Ideæ ſingulares* ſunt, quæ ad unum ſolum individuum referuntur, veluti idea *Ciceronis*, *mei ipſius* &c. *Individuum* autem, ſeu ſingulare eſt id, in quo, quæ ei inſunt, omnia determinata ſunt. Porro *determinatum* eſt, de quo ex pluribus non niſi unum affirmare licet. *Particulare* illud nominatur, quod quidem etiam unum, non tamen adeo determinatum eſt, ut uni individuo certæ ſpeciei, magis conveniat, quam alteri.

Singulares ideæ propriæ ſunt ignaris. §. 24. Illi homines, qui anguſtam inopemque mentem ſortiti ſunt, aut qui eandem, lentore repulſi, vix excoluerunt, ideas duntaxat habent rerum ſingularium perceptarum, neque eas ultra ſenſationem protendunt; hinc videas vulgus perpetuo & æqualiter admirari eaſdem res, frequentius recurrentes, & avidiſſime ejusdem generis objecta anhelare? homines autem præſtantiori indole præditi, & qui experimenta ſenſuum ad generales ideas reducunt, mirabuntur forte primum Phœnomenon, cætera vero, iisdem legibus innixa, ſive occurrant, ſive non occurrant, æquabili animo metiuntur. Hæc eadem cauſa eſt, quod Mathematicis profundis non ſit opus pro cognitione earundem legum pluribus figuris, diverſimode res eaſdem exhibentibus; intuentur quippe in una ſimplici, deformi, & curva linea totum id, quod inexperti in variis imaginibus, pulchro artificio paratis, admirantur.

§. 25.

§. 25. *Universales ideæ* formantur, cum plura individua inter se conferuntur, atque in iis id duntaxat consideratur, quod iis commune est, non quod singulis est proprium (*d*). Itaque *idea universalis* extra mentem non est; mentis quippe munus est, ex singularibus, celeri perceptione & confuse cognitis, illud, quod singularibus commune est, abstractum intueri. *Ideæ universales.*

§. 26. *Ideæ reales* sunt, quæ fundamentum habent in rerum natura, veluti illæ, quarum archetypa extra nostram mentem actu existunt, vel saltem sunt possibilia, licet actu non existant. *Ideæ non reales* quarum archetypa nullum habent fundamentum realem existentiam obtinendi, suntque vel eæ, quæ ad instar possibilium conci- *Ideæ reales, & non reales.*

E 2 piuntur,

(*d*) *Juxta Porphyrium universalia dividuntur in quinque classes: in* genus, speciem, differentiam, proprium *&* accidens. *Totum hoc mysterium universalium, ait* Lokius Lib. III. de Intell. Cap. 3. *extra Scholas merito contemni debet; nam nihil aliud est, quam ideæ abstractæ, magis minusve extensæ, quibus certa quædam nomina assignamus; quomodo autem hæ abstractiones fiant, dictum est in* Psychologia. *Universalium hæc est explicatio:* Genus *est idea maxime communis, quæ alias ideas, minus communes, sub se complectitur, deque illis prædicatur; sic* animal *genus est hominis & leonis, communem utrique ideam significans.* Species *est idea universalis, quæ de pluribus numero differentibus prædicatur ut* homo, *qui de cunctis individuis humanæ naturæ enunciatur. Porro plura quandoque genera sibi subordinantur; quodlibet genus inferius est* species *respectu superioris.* Species *quoque, si mera singularia complectatur, dicitur* Species infima, *seu atoma; si alias rursum sub se Species habeat, dicitur* subalterna *respectu generis superioris, ad Species vero inferiores comparata, dicitur* genus subalternum. Differentia *est idea universalis, quæ enunciatur de pluribus, vel specie, vel numero differentibus. Dum quæritur, quæ sit* differentia essentialis *hominis, & leonis specie differentium? respondetur:* rationalitas, *hæc quippe dividit genus.* Hæcceitas *est differentia Cæsaris & Pompeji, numero differentium, & dividit speciem, constituitque individuum.* Proprium *est idea universalis, quæ de inferioribus dicitur tanquam proprietas, non tanquam essentia.* Proprium *est quadruplex:* Primo: *quod soli speciei convenit, sed non toti; veluti:* homo est Philosophus. Secundo, *quod toti speciei convenit, sed non soli; veluti:* homo est bipes. Tertio, *quod soli & toti speciei convenit, sed non semper, ut:* homo est eruditus. Quarto, *quod soli & toti speciei, & etiam semper convenit, ut:* homo est risibilis. Accidens *est idea universalis, quæ de pluribus ita prædicatur, ut adesse, vel abesse possit incolumi eorum natura, ut:* homo est albus. *Omnes hæ ideæ* universales *etiam sunt relativæ, exprimentes quempiam ordinem ad sua inferiora. Hæc de universalibus eum in finem allata sunt, ut Scholasticorum filiis suum etiam tributum persolvamus.* *Quinque universalia Scholarum explicantur.*

piuntur, cum revera impoſſibiles ſint, vel ſunt prorſus chymericæ. Magna cura adhibenda eſt, ut *Ideæ reales* à *non realibus* internoſcantur.

Idea clara quid?

§. 27. Ideæ, ea facie, qua mentem reſpiciunt, conſideratæ, dividuntur in *claras*, *diſtinctas*, *confuſas*, & *obſcuras*. Idea *clara* eſt, quæ objectum ea cum luce repræſentat, ut illud ab aliis quibusque rebus internoſcere liceat. Obtinetur autem claritas plerumque ope ſenſuum; quo plures ſenſus ad ejusdem objecti perceptionem adhibentur, eo quoque claritas conſurgit major; *Mercurii* albedo viſu, gravitas & fluiditas tactu explorata, majorem claritatem ingenerat, quam ſi ſolus viſus illum periclitaretur. Iſaacus olim, ut Eſavum diſtingueret, eundem & auditu & tactu & odoratu pertentavit; attamen præcipuo aliorum ſenſuum viſu deſtitutus fallebatur. Idea *Lunæ* clara, plerumque eſt vili plebeculæ, *Jovis* non item.

Quomodo diſcrepent homines in claritate idearum.

§. 28. Porro, ut varii homines excellunt uſu & perfectione ſenſuum, ita quoque idearum, ſenſibus illis obſtrictarum claritas increſcit. Non bene arguitur: hic homo ſenſationis ope non potuit claram ideam obtinere de objecto; igitur nec alter eam de eodem obtinebit. Quod præſtantia inſtrumenta commodant artifici ad dignitatem operis, id prorſus, alio licet modo, validiores ſenſus menti conferunt ad idearum claritatem. Itaque cum ſenſuum organa, & mechanica conſtructio in hoc homine quidem tenerrima ſit & vivaciſſima, in alio paulo minus ordinata, in illo etiam rudis quodammodo & confragoſa, perſpicuum eſt, etiam eandem ſortem obvenire cognitionum claritati in ſingulis hominibus. (*) Qui colorem rubrum clare exceperit cum eadem animi inten-

(*) *Paulo illiberalius nuper Cl.* Sounderſon *Mattheſeos Profeſſor Cantabrigienſis, cum a duodecimo ſuæ ætatis menſe cæcus eſſet, & privatus etiam oculis, atque ita in adultiore ætate omni lucis & colorum idêa deſtitutus, demonſtrare adniſus eſt, fieri non poſſe, ut colores, qui in variis corporibus inſunt, ſolo tactu diſcernerentur ab invicem, propterea, quod & ipſe inſigni tactus præſtantia, ut natura plerumque alterius ſenſus jacturam reficit, donatus, id effectum dare nequierit, atque ideo dixerit:* Baylii *narrationem de cæco quodam Hollando, colores tangendo internoſcente,*

intensione, qua alter aliquis, meliori luto formatus, uterque clare quidem percipiet, alter eundem perceptionis gradum habebit, in cognoscendi ordine, ad suas facultates exacto, quem alter, cum suis naturæ dotibus procedens; ipsa tamen perceptio utriusque paulo diversa erit, poteritque eo solum fine una eademque dici, quod quemadmodum hæc perceptio affert huic homini claritatem idearum, necessariam ad rationis & officiorum prosecutionem in communi vita, ita & illa perceptio illi alteri hæc eadem emolumenta impertiatur. (**)

§. 29. Ob variam suam claritatem ideæ claræ bene dividuntur in *distinctas*, & *confusas*. *Idea distincta est*, quæ non modo objectum ab aliis novit distinguere, verum etiam totum illius statum, ac conditionem probe perspicit. Hæ ideæ plerumque nascuntur, dum animus strenue attendit, & objectum rimatur multo profundius, quam soli sensus, qui externa duntaxat delibant. Quem urtica læserit, si sciat plurimos, & vix sensibiles inesse aculeos urticæ, hos pertusa epidermide, veluti inflicto vulnere rumpere texturam fibrarum cutanearum, ut immutetur tonus illarum fibrillarum, inducatur spasmus, ex quo oriatur pulsatio, seri & sanguinis ad affectam partem congestio, tumor, dolor ardens, &c. donec

Quid sit idearum distinctarum præstantia.

 nec

scente, sublestæ fidei esse superstructam; hoc, inquam, ille confidentius paulo pertendit; esse enim omninq poterat, ut alter aliquis tactum suum admirabilem majori dignitate superaret, atque ideo superficiem coloratorum corporum, quod ipse non poterat, manibus distingueret; quemadmodum & ipse Sounderson *nummos spurios, diligentissima cunei imitatione suffectos distinxit a genuinis solo superficiei contactu; quod utique alii, etiam insigni tactu valentes, assequi non potuerunt.*

(**) *In universum, quo perfectiora sunt sensuum organa, sentiendique vis præstantior, eo etiam major idearum & mentis accedit illustratio. Sic animi dotes a corporis conditione dependent.* Cardanus *existimat, excellentem odoratum notam esse insignis ingenii:* Qui olfactu præstant, sunt ingeniosiores, quia calida & sicca cerebri temperies olfactu præstat. Talis autem ad imaginandum prompta, & imaginnm tenax ob siccitatem est. Lib. 13. de subtilit. *Hinc Latinis proverbium:* Homo emunctæ naris. *Et* Martialis *de Romanis canit:*

- - juvenesque senesque,
Et pueri nasum Rhinocerontis habent.

Quid de gustu dicam? exploratus est in obtusos homines, & in perpetuis ineptiis lætantes sarcasmus, a calloso ore asini desumptus: Similem habent labra lactucam, &c.

Præstans olfactus nota egregii ingenii.

nec per redeuntem circulum humorum tumor ille denuo diſpellatur, hæc inquam ſi ſciat, *claram*, & *diſtinctam* uſtionis urticæ ideam habebit, non item, ſi hæc ignoret. Ejuſcemodi exempla diſtinctarum idearum juvabit per omnes ſpecies idearum, ſeu earum, quæ a ſenſibus, ſeu quæ ab imaginatione depromuntur, ſeu ſimplices, ſeu compoſitas efformare (*e*), ut ita norma capiatur illius luminis, quod ideæ diſtinctæ in animum inferunt, in quo lumine tandem mens citra ulteriorem operam feliciter conquieſcat, neque ullis porro de objecto dubiis infeſtetur, neque anxietate, nec diſputare ſuper eo aveat, minus notionem ſuam commutare in aliam, ſi qua forte occurrat, magis apertam, magiſque explicatam. Amabo! ſi omnium diſciplinarum pulpita, ſi cauſæ forenſes & officia, uſque ad privatas hominum actiones & neceſſitates perpetuis controverſiis permiſcentur, atque ſententiarum conflictu, ſi pro veroſimilitudine ut plurimum contenditur, ſi ſua etiam adverſis partibus plerumque adſiſtit probabilitas, ultra quam vix proceditur, quot, putas, in tantis hominum curis *claras* & *diſtinctas* ideas reperiri? quæ tamen ad veritatis aſſecutionem ſunt abſolute neceſſariæ.

Quid idea confuſa.

§. 30. Idea *confuſa* eſt, quæ objectum quidem clare exhibet, attamen ſine interiori illius cognitione; hinc etiam non confert menti vires, ample de eo ſubtiliterque diſſerendi. Qui ſummis labris quidpiam deguſtaverunt, dicuntur confuſas illius habere ideas, quas niſi crebra attentione perfecerint, ſemper erunt hoſpites in qualibet ſeveriori facultate.

Quid idea obſcura?

§. 31. Idea *obſcura* eſt imago rei, denſa veluti caligine obſepta, quam pauliſper transparentem intuetur quidem intellectus, attamen tam imperfecte, ut neque illam ab aliis diſtinguere, neque, ſi rurſum occurrat, facile agnoſcere queat. *Obſcurarum* harum idearum varii ſunt itidem gradus & rationes; quædam obſcuræ ſunt noſtro vitio, & defectu acris inveſtigationis: quædam ob terminos & imbecillitatem humanæ mentis, veluti myſteria fidei, & gran-

(*e*) *Vide* Udalricum Weiſs *in Emendatione intellectus humani.*

& grandia arcana Philoſophica: quædam demum in obſcuritatem recidunt, ſi longiori tempore negligantur. (*f*)

Quomodo & ubi diſtinctæ ideæ acquirantur.

§. 32. Idearum diſtinctio tum acquiritur, cum ideas compoſitas in ſimpliciores reſolvimus, & ſingulas ſeparatim expendimus; quod quidem in rebus moralibus & artificialibus citra multam operam peragitur: veluti *reverentia* parentibus debita, tota inclareſcit conſideranti primo legem Dei præcipientis, tum vero etiam ſubjectionem, naturæ deſcendentis beneficio ſancitam: machinam veluti *ſtateram* ſubito diſpeſcimus in vectem, pondus, potentiam & hypomochlion, &c. In Phyſicis autem ad ſimplices devenire ideas multo eſt operoſius, & perſæpe fruſtra contenditur ob ſenſuum noſtrorum imbecillitatem; certo elaterium aëris reſolvi deberet in particulas minimas, niſum illum exercentes, quæ tamen idea minimarum particularum a ſola imaginatione exſculpitur juxta Analogiæ ductum, nec controverſiis caret. Cum idea *diſtincta* cauſæ requiritur, ordine abſtrahuntur ſingula, & attenditur, quibusnam ſublatis effectus, vel id, cujus cauſa quæritur, reſtare, aut omnino ceſſare concipiatur. Difficillimarum cognitionum cardo vertitur in juſta analyſi idearum.

CA-

(*f*) Bulfingerus *in* Epiſtolis amoebæis *exemplum adfert idearum obſcurarum:* Statue te, *inquit*, in medio centum oratorum, in ambitu circuli, æqualibus intervallis, diſtributorum, & voce alta, ſed æquali, ſermones habentium. Percipies omnium voces, nulla enim ratio eſt, cur alteram magis, quam alteram percipias, & nihil tamen intelliges. Fac ut unus eorum utatur tubo ſtentorio, & reliqui pergant, ut antea, vel impone reliquis ſilentium, aut jube, ut ſubmiſſe admodum loquantur, centeſimus vero pergat alte, ut prius, voce, percipies clare, quæ dicet.

CAPUT II.

Peculiares quædam ad recte percipiendum cautelæ proferuntur.

Ideæ non habent similitudinem cum suis objectis.

§. 33. IN ideis, quæ occasione sensationum in animo excitantur, & vulgo dicuntur *adventitia*, illud diligenter advertendum est: *Eas non habere similitudinem cum suis objectis.* Vehementer ille halucinaretur, qui ruborem rosæ cognoscens, existimaret, ruborem illum etiam in objecto nempe in rosa contineri, qui duntaxat est in mente; in objecto siquidem occurrit solum superficies, certo modo digesta, quæ incidentem lucem ita separat, ac disponit, ut rubri duntaxat radioli reflectantur, & motu sibi proprio vellicent visus organum, in qua vellicatione deinde mens situm esse fingat rubrum colorem. Ita de omnibus aliis qualitatibus, quæ in sensus agunt, est sentiendum: odor solummodo est in mente, causatus pro sui varietate a moleculis odoriferis, varia figura, glabra, tereti, edrica, &c. præditis, & nares afficientibus; tremulus motus aëris, auris tympanum feriens, excitat in mente ideam soni; &c. de quibus omnibus physici uberrime disserunt; neque aliter odor in herba est, quam sternutatio inde consecuta; siquidem & hæc, & ille inducitur motu particularum, organo impactarum.

Quare erronee putemus qualitates has inhærere objectis?

§. 34. Tum plerumque homines erronee putant, ejuscemodi qualitates objecto inhærere, cum subtilissimarum particularum moles, & potestas agendi nostros sensus subterfugit, cumque nullum motus vestigium, mutationem in organum inducentis, patescit, veluti in *coloribus*, *sono*, *calore*, *frigore*, *&c.* Aliter longe res se habet, cum mutationes sensorii palam atque sensibiliter contingunt; sic dum culter in digitum adactus, carnes dividit, aut articulum violente rescindit, orietur in patiente vehemens dolor, quem tamen dolorem nemo facile dixerit objecto seu cultro inhærere (g).

§. 35. Ita-

(g) *Dolor in mente obortus varius est, pro varia corporis patientis condi-*

§. 35. Itaque cum idea, occasione qualitatum sensibilium consurgens, objecti imaginem refert in mente, eam imaginis repræsentationem ita concipere oportet, non quod perceptio similis sit cum re percepta, sed quod mens admoneatur de præsentia objecti, motu solo aut impulsu in sensorium agentis, quam actionem corpoream deinde mens suo modo concipit; Porro nisi hæc de objecto præsente fiat admonitio, nulla erit qualitatis perceptio; hinc evenire cernimus, ut homines animo alienati aut deficientes, nihil eorum percipiant, quæ suis corporibus etiam sat violente inferuntur. *Ut fiat perceptio, debet mens admoneri de præsentia objecti.*

§. 36. Sed præterea idearum, quæ per sensus adferuntur, corrumpitur sinceritas, cum attenditur alia quæpiam circumstantia, quæ deinde cum ipsa idea, ad quam nullo modo pertinet, intime conjungitur. Quis non expertus est, se ex Enthusiastæ cujuspiam magna cum animi & corporis vehementia dicentis, oratione non raro aliam ideam de re allata, quam si planis simplicibusque verbis, & sine tanta contentione fuisset exposita, animo concepisse? Qui facinus a se commissum, ira cæteroquin & castigatione dignum, modeste, apposite que ad commiserandum explicat, atque illius offendiculum attemperare novit quantulacunque ratione, sæpe etiam insons judicibus visus est, aut saltem pœnis se subduxit, quas citra suum oris mendacium indubie tulisset; indoles quippe & dotes dicentis sunt ipsi causæ res prorsus extranea, & non potest idea causæ non mutari, dum extranea res, quæ alio respiciat, eidem admista, in unum cogitur compositum; quamvis difficile sit, animum avocare a dicentis dexteritate, quæ quo vivacius incidit in sensus, eo etiam majore vi, quam idea ipsa causæ absentis, permovere audientes solet; prudens tamen quilibet judicium suspendat necesse est, dum oratorem animadvertit esse aut vehementiorem, aut languidiorem solito, eum præsertim, cujus fidem & sinceritatem in dicendo nondum habet exploratam, donec ipsi causæ, subtracta oratoris facultate, acrius insistens, accuratiorem de ea ideam tandem constituat. *Idea corrumpitur per admistionem circumstantiæ.*

conditione; duro corpore homines non exagitantur tanta doloris acerbitate, ut illi, quibus delicata est nervorum textura. Sola digiti effluvia plantam mimosam reddunt flaccidam, quæ hyssopo nihil quidquam officiunt.

Imaginariæ ideæ debent usum respicere. §. 37. Ideas, quæ ab imaginationis vi atque ubertate proveniunt, & pro Archetypis variarum artium constituuntur, caute moderari est opus, ut semper in illis effingendis vis ingenii accommodetur ad usum, atque ad utilitatem; quid enim profit ideas acutissime excogitare, etiam elegantia, & jucunditate plenas, quæ tamen nunquam redigi possint in exercitium, quales in *Platonis Republica*, & *Mori Utopia* intuemur? in fabulas & commenta hoc foret diffluere, & pro alio quam pro suo mundo cogitare. Sunt tamen ideæ quædam *imaginariæ*, eum in finem egregie excogitatæ, ut multis normam præferant illarum eximiarum perfectionum, quas humanæ vires vix ferunt in uno aliquo adunari: cujusmodi sunt præstantes quæpiam fabellæ, dictæ *Romanæ*, quas proinde nemo existimet vere unquam fuisse peractas.

Phantasticæ ideæ non exhibent duas naturas unitas. §. 38. Quod de ideis *Phantasticis*, seu chimæricis, quæ etiam *Entia rationis* nominantur, Scholastici passim disputant: eas nimirum ex duabus naturis diversis substantialibus, mutuo pugnantibus intime coalescere: hinc repugnare quidem earum existentiam realem; at nihil impedire, quo minus naturæ illæ in intellectu in unum devinciantur, veluti: *Homo arbor*, *Deus alter*, *&c.* id vero oppido falsum est, & negari omnino eis debet, posse naturas duas substantiales, mutuo se evertentes in unum ita compingi, etiam per mentem, ut tertia aliqua, utramque referens, exinde consurgat; esset enim eadem natura in composito, quæ ante compositionem fuerit, & simul non esset, quod utique repugnat, si componuntur naturæ duæ *hominis*, & *arboris*; constituent illæ equidem unum compositum, ex pluribus perceptionibus pugnantibus aggregatum, quemadmodum & aliæ ideæ compositæ ex mutuo se sustinentibus coalescunt, (§. 14.) nunquam tamen coire poterunt in unum conceptum conceptus oppositi, quorum semper alter alterum exterminabit. Hac de causa recte dicitur *Atheismus* & *Polytheismus* sanæ rationi adversari, neque ullum posse reperiri verum Atheum, aut Polytheum, propterea quod sicut impossibile est, existentiam a Dei simplicissima natura divellere, ita æque impossibile sit, ideam illius uniri cum multiplicitate, re prorsus contraria, & ad alterius lucem continuo evanescente, nisi velis forte, alterius,

rius, quam veri Dei, ideam uſurpari; atqui tum ego te de rebus ludicris ineptientem nihil morabor.

§. 39. Apud *Ideas intelligibiles* configendus eſt error exiſtimantium, ideas illas eſſe *veras cognitiones objecti per ſpeciem alienam*; veluti dum angelos concipimus ſpecie juvenum alatorum: DEUM Patrem, ut ſenem: tenebras ut pannum nigrum, &c. quaſi vero non repugnaret, rem aliquam dici cognitam, dum altera ſui loco cognoſcitur, vel quaſi objectum cognoſci poſſet in eo, in quo nihil eſt ſui; cum tamen omnis cognitio neceſſario naſcatur ex *potentia*, nempe intellectus, & *objecti*, ſeu per propriam ſpeciem, ſeu etiam per effictam, dum objectum non eſt ſenſibile, ad hoc tamen unice deſtinatam, occurrentis unione; non per ſpeciem aliunde hauſtam, atque etiam ad aliud objectum ſignificandum ab ipſa natura conſtitutam (*h*). Si ad objectam juvenis alati imaginem mens cognoſcit Angelum, poterit alatus ille juvenis ut ſummum dici *ſignum*, ſeu occaſio, qua menti recurrat alia res, nempe idea Angeli, jam prius quocunque modo ſuſcepta; alioqui quilibet alter, etiam cujus animus nulla prævia Angeli notitia imbutus ſit, Angelum oblata juvenis alati imagine cognoſceret (*i*), ſi modo eidem conſtaret, juvenis alati imaginem eſſe ſpeciem cujusdam rei alienam, ad quam ſpeciem alienam per ſe conſequi debeat cognitio rei alienæ, quemadmodum ad ſpeciem propriam ſuapte natura ſequitur cognitio objecti, e quo illa ſpecies deſcendit; quod quam falſum ſit, nemo non videt; non enim ſigna per ſe nos conducunt in alterius rei notitiam, ſed ex prævia hominum conventione; ſpecies autem cognoſcendi non ex pacto, ſed ſola ſua luce id efficiunt: certo ſi quis formam aquilæ deligeret pro ſpecie aliena Angeli, nemo alter ex ea ideam Angeli, utut prius cogni-

Cognitio per ſpecies alienas eſt nulla.

F 2

(*h*) *Idea, quæ in mente exiſtit, eſt id, circa quod cogitando verſamur.* Lokius Lib. 2. de Intell. hum. Cap. 1.

(*i*) *Angeli, ſubſtantiæ intelligentes, exhibentur humana figura; tum quod primæ ideæ ſint rerum corporearum; tum vel maxime, quod nulli ſenſibilium creaturarum, præterquam homini, cognitionem convenire experiamur; hinc cum ſubſtantia cogitans fundamentum ſit libertatis, & variarum affectionum moralium, in hominibus compertarum, non veremur eas etiam DEO & Angelis attribuere.*

cognitam, vel divinaret, nisi cum eo ita prius conventum fuisset. Tam parvi valent sua virtute species alienæ ad cognoscendum; ut mirari subeat, quomodo hæc inanis & erronea loquendi formula: *cognoscere objectum per species alienas* tanto tempore potuerit conservari, quæ magis dici debuisset *Cognitio signi*, ad quod deinde, ceu data occasione alterius rei perceptio subeat animum; sed enim formula illa multum deserviit ad formandas distinctiones Scholasticorum.

Signa consueta rerum retineri debent.

§. 40. Quod si jam species alienæ signa duntaxat sunt, ad quorum cognitionem alterius rei, prius intellectæ, refricetur redeatque idea, debebunt utique tot, ac tanta retineri signa, seu alienæ species, quot ex mutua hominum conspiratione, & multo magis ex superioris auctoritatis decreto sancita sunt; profecto a nemine intelligeretur, imo risui foret omnibus ille, qui usitato Romanorum Imperii signo *aquilæ*, aut Gallorum regni *liliis*, *&c.* alia substitueret, quin ullius conspiratio hac cum auctoritate extulisset: magis autem esset temerarium & impium, si quis triplici signo, nempe *columbæ*, *venti* & *ignis*; quæ Spiritus sanctus divinarum Scripturarum testimonio delegit ad significandam suam mortalibus præsentiam, alia suo ex cerebro subrogaret; hinc, cum nuper privata quædam Sanctimonialis late disperserit, Spiritum sanctum venustissimi juvenculi assumpta specie sæpius se suis oculis conspiciendum præbuisse, merito rejecta fuit ad fanaticas merces illius narratio, & juvenculus ille magis pro fabuloso Ganymede, quam pro Divino Spiritu a cordatis viris habitus est; Non enim est simile vero, Divinum illum Spiritum in tanti ponderis argumento, nempe signis divinarum personarum, in Evangelio prolatis, privatæ virgini pandere voluisse alia & plura, quam quæ manifestaverit de se universali Ecclesiæ in Scripturis (*k*).

§. 41. *Sim-*

(*k*) *Vide Constitutionem Benedicti XIV. P. M. in causa Crescentiæ Virginis ad Josephum Episcopum Augustanum. Ejuscemodi temeritate veteres hæretici* Nazaræi, *ut est apud* S. Hieronym. in cap. 17. Ezech. *Spiritum sanctum, quem &* Matrem Salvatoris *appellabant, exhibuerunt muliebri schemate, occasione Hebraicæ vocis* רוח *prolapsi, ut ait* S. Epiphan. Hæresi 30. *Quæ vox Spiritum significat, & genere fœminino usurpatur.*

§. 41. *Simplices* ideæ aut per unum tantum sensum in mentem derivantur, ut *lux*: aut per plures, ut *figura*, per visum scilicet & tactum: aut ope reflexionis, dum nimirum ideæ, imaginationis & reminiscentiæ beneficio in animo retentæ, diversimode committuntur: aut demum utriusque, & sensationis & reflexionis concursu, ut *voluptas*, *delectatio*, *dolor*, aut *molestia*, &c. vix aliqua est affectio externorum sensuum, quæ non excitet in anima quandam aut voluptatis aut doloris ideam, fortiorem aut remissiorem, pro eo ac objectum mitius, aut acerbius contenditur cum textura corporis, & animalibus igniculis; hinc erronee quidam existimant voluptatem conjunctam esse cum sensatione sola *potus dulcis*, aut dolorem cum adustione manus; oportet enim & perceptionem animæ accedere, hæc enim potus dulcis sensationem intelligens, delectationem capit ex tam suavi palati irritatione, atque ita ex utriusque commercio voluptas educitur. *Simplices ideæ variis modis excitantur.*

§. 42. Ex mentium nostrarum imbecillitate aut ignorantia contingit, quod simplices ideas pro compositis, & vicissim compositas pro simplicibus habeamus; sit in charta calamo *circulus* efformatus, resplendebit in videntis animo figura circularis, cujus omnia peripheriæ puncta æqualiter a centro distent, quamvis varietas quædam distantiarum a centro sit ob chartæ & calami asperitatem, insensibilis tamen, quæ microscopio detegitur. Idem de *parallelis* &c. dicendum. Qui arcuatum seu parabolicum jactum bombæ intuetur, existimat, motum illius esse simplicem, cum compositus sit ex verticali & horizontali, decurrit quippe bomba seu ascendens, seu cadens infinitas diagonales, &c. Eadem de causa in contrarium halucinamur: *Deus* simplicissima substantia est, illius tamen ideam plurium perfectionum congerie effingimus. *Infinitum*, *æternum*, *&c.* simplicia sunt, nostro tamen concipiendi modo earum ideas efformamus maxima, qua licet, & temporis, & spaciorum extensione. *Sensuum imbecillitas habet ideas compositas pro simplicibus.*

§. 43. Ex *ideis complexis* substantiarum (§. 15.) deducimur in cognitionem, quam Peripatetici, Philosophicis figmentis delusi, ab ipsa natura aberrarint, adstruendo *formas substantiales* *simpli-* *Ex ideis compositis agnoscitur falsi-*

tas formæ substantialis Peripateticæ. *simplices* (*l*), quæ deinde in *materiam primam* (*m*), pariter imaginariam illapsæ, intimas constituant rerum essentias, veluti *marmoris*, *auri*, *cedri*, *columbæ* &c. His *substantialibus formis*, ex illorum sententia, ab omni sensuum commercio remotis, inhærent accidentia sensibilia, tanquam formæ absolutæ, veluti *durities*, *figura*, *color* &c. quarum totum esse sit substantiæ inesse. Ingeniosa fabella, fabella tamen; quasi vero substantia materialis non afficeret sensus per seipsam, aut durities marmoris non esset ipsum marmor, certa ratione a natura compactum. Certo id dici debet substantia materialis, quod in ejus examine sensus deprehendunt, cum materia ad sensus pertineat, fictio ad mentem. Sic ideam solis obtinemus, concipiendo *corpus rotundum*, *flammeum*, *lucidum*, *apparenter ad diei mensuram mobile*, *maximum*, *potestate calefaciendi & illustrandi præditum*, *cujus effluvia*, *lentibus collecta*, *adurant* &c. ut ita *accidentia absoluto* jure ab hodiernis Philosophis rejiciantur, quæ in seipsis spectata ad substantiam pertinent, & solum quodam respectu accidentia dici possunt.

In compositis ideis nihil peculiare omitti debet. §. 44. Ut compositæ seu *complexæ ideæ* rite formentur, opus est consociare ideas non alias quidem, quam quæ revera illi rei conveniant, neque etiam omittere aliquam ex præcipuis simplicibus perceptionibus. In hoc passim illi peccant, qui ante res peculiares sufficienter exploratas subito condunt systemata, atque res quaslibet ad suum arbitrium detorquent. Qui ex quibusdam observationibus tale *systema politicum* regni Galliæ depingit, quod ex quibuscunque, seu amicis, seu inimicis emolumenta, dominatus ampliationem, & jurium prærogativas colligere unice satagat, omnem Gallorum operam,

(*l*) *Physica hæc* Aristotelis *fabella ad imitationem fabellarum moralium videtur esse procusa; quemadmodum enim* Mars, Venus &c. *fingitur principatu suo, nempe furoribus & amoribus humanos animos permiscere, quæ tamen passiones non alterius cujusdam externi agentis, sed interiores animæ actiones sunt; ita prorsus in Physicis ille substantialis formæ dominatum invexit, quæ omne genus accidentium sua majestate sustineat, cum tamen accidentia nihil aliud esse intelligantur, experientia certissima duce, quam eadem substantia materialis. Videtis quam Poëtarum licentia etiam per philosophicos campos latissime evagetur, & fanaticorum otia nutriat.*

(*m*) *Materia prima est id, quod nec est quid, nec quale, nec quantum, nec aliud, per quod ens determinatur.*

ram, seu pace, seu bello susceptam hac ratione interpretabitur; cum tamen multo rectius egisset, si ex perlustratis & examinatis Gallorum commerciis, pactis, fœderibus, bellis &c. systema illius regni constituisset.

Universales ideæ sunt abstractæ.

§. 45. Utne ***universalium idearum*** notionibus fallamur, animo alte defigi debet: omnes universales ideas esse abstractas, abstractiones autem fieri, dum consideramus res non prout in se sunt, sed ea tantum ex parte, qua cum aliis conveniunt, totus hic concipiendi modus imperfectus est; & impenditur parti, quæ nunquam extitit, neque existere potest in rerum natura, velut: *animalitas;* adjuvat tamen nostrum mentem, quod res quaslibet ordine in suas classes, *genera*, & *species* dispescat (*n*). Quodsi acumen mentis adhuc subtilius foret, ad detegendas novas atque ignotas proprietates in objectis, videremus facile discrimen inter ea, quæ hactenus ejusdem esse ordinis arbitrabamur, haberemusque fundamentum sufficiens, species in novas iterum species subdividendi (*o*).

Paucas adæquatas ideas habemus.

§. 46. De adæquatis ideis non est, quod sibi Philosophi magnopere blandiantur, dum plurima hodiedum sunt, ad quæ humanæ cognitiones nondum pertigerunt, veluti *primo:* intima natura materiæ & corporum. *Secundo* ignoramus, quid sint vires activæ & motrices in corporibus. *Tertio* occulta nobis etiam est natura intima entium incorporeorum. *Quarto*. Nescimus ordinem & nexum, quo peculiaria quæpiam corpora inter se devinciuntur; ex qua ignorantia *occultæ qualitates* Peripateticorum, *sympathia*, *antipathia*, *actio in distans* &c. pullularunt. *Quinto*. Ignotam denique habemus magnam *Teleologiæ* partem, seu nescimus plerumque rerum, quos respi-

(*n*) *Deus generalibus his ideis opus non habet, simul quippe omnia etiam individua comprehendit, quod nos homines non possumus, quos non tantum unum objectum, sed etiam unica objecti pars totos occupat.*

Realistarum & Nominalium secta.

(*o*) *Circa initium duodecimi sæculi erant duæ præcipuæ Philosophorum sectæ: altera* Realistarum, *qui naturas universales dixerunt realiter esse ab omnibus aliis distinctas: &* Nominalium, *qui pertendebant, naturas illas universales esse duntaxat nomina, varias concipiendi modos significantia. Hæ sectæ, invicem ardeutes, a calamis ad pugnas usque devenerunt, tantasque turbas in Galliis excitaverunt, ut* Ludovicus XI. *coactus fuerit, vetare lectionem librorum, a* Nominalibus, *editorum.*

respiciunt, fines; sic quidam dixerunt: totum universum, cælum & astra esse causa hominis creata, dumque ab astronomis edocerentur: maxima esse & remotissima corpora, quæ vix quidpiam commodi conferant hominibus: stellas omnes esse totidem vastissimos soles, exigua magnitudine ob immensam, variamque distantiam apparentes: *Saturnum*, *Jovem* esse corpora, multis centenis vicibus tellure ampliora, & pulchrius, quatuor nimirum, aut quinque lunis ambientibus, nudo oculo imperceptibilibus, adornata &c. parum abfuit, quin illa finium ignoratio eos induceret ad censuram Divinæ Sapientiæ, & Providentiæ inferendam.

Ideæ mathematicæ idem sunt cum re mathematica.

§. 47. *Ideæ rerum materialium* non possunt substitui pro ipsis rebus materialibus; ridicule enim vellet aliquis domum desertam quinquaginta ideis hominum, in sua mente existentium, frequentem reddere. At vero *ideæ mathematicæ*, veluti: *trianguli*, *parallelæ*, *quadrati* &c. nihil differunt ab ipsa rei essentia, quæ itidem intellectualis est; ideoque etiam licebit unum pro altero promiscue usurpare; quod cum adverterent imperiti quidam Philosophi, volentes claritatem cognitionis mathematicæ substantiis physicis adaptare, pro eodem quoque ideam hominis, & ipsam illius essentiam habuerunt, atque ita latam erroribus aperuerunt viam; cum essentia rei mathematicæ, veluti *trianguli* in sua idea necessario reluceat; essentia autem substantiarum simplicium materialium, & præcipue compositarum nos perpetuo lateat, & nihil in iisdem occurrat, nisi externus accidentium, & qualitatum apparatus.

Confusarum idearum tres sunt causæ.

§. 48. *Ideæ obscuræ* & confusæ, e quibus maxima pars infelicium cogitationum, & judiciorum calamitas dependet, triplici potissimum causa oriuntur: *Primo* ex hominum cogitantium indispositione; cui bene occurritur severa mentis attentione, & repetita applicatione sensuum: *Secundo* vel ex ipsius objecti difficultate; & hæc difficilius tollitur, eo quod objecta quæpiam nostras cognoscendi vires subterfugiant. *Tertio* vel denique ex præpostero usu, & significatione vocum, de quibus infra (§. 721.) uberius disseremus.

CAPUT

CAPUT III.

De origine, & causis multiplicium errorum.

§. 49. Errorum causæ variæ sunt; quædam earum in ipso animo resident, veluti: *mentis imbecillitas cum nimia sciendi prurigine conjuncta: Phantasiæ libertas: torpor proprio amori conjunctus*, & *variæ dominantes in animo passiones.* Aliæ errorum causæ fixerunt sedem suam in corpore, veluti: *materiæ inertia & pigritia: pugna temperamentorum: sensuum incommoda.* Quædam tandem extraneæ sunt, veluti: *educatio a parentibus & magistris præstita: dotes climatis: forma regiminis: mores sociorum* &c. Hæc autem omnia cum in animum redundent, libeat primo animum, ad varias circumstantias se componentem, a prima origine intueri. *Errorum variæ causæ.*

§. 50. Infantes, rationis usu adhucdum carentes, objecta necessitatum nostrarum appetimus, iisque tum principiis, & ideis imbuimur, quas fortuitus occursus, soli patrii consuetudines, & mala ut plurimum educatio suggerit. Impressiones externæ eo profundiora vestigia tunc in animum defigunt, quo organa corporis sunt flexiliora, & pauciora in vacua mente obstacula. Adultiores facti, dum ratio sensim oboritur, res easdem veteri consuetudine amplectimur, nihil de idearum sinceritate solliciti, quin imo persuasi, earum plerasque ab ipsa natura esse inspiratas, adeoque pro naturæ luminibus haberi posse. Sed nondum satis, etiam loqui ad vulgi errantis normam incipimus, sine prævio vocum delectu, sine consilio, sine examine: an res ipsa cum sua significatione cohæreat? quo fit, ut citra omnem errandi suspicionem in æquivocis, ambiguis vocibus hæreamus; forte nisi gentes exteras alio idiomate loqui constaret, diceremus ipsam nostram vernaculam esse innatam. Adveniunt deinde progressu ætatis variæ fortesque passiones animi, quæ quo magis indomitæ sunt, eo ferocius jactant animum in errorum præcipitia. Sed jam hos errorum fontes singillatim percenseamus, ut meliori, qua licet, iisdem ratione occurratur. *Occasiones errorum a teneris unguiculis animum infestantes,*

Causæ errorum, quæ in animo resident.

Nimia sciendi cupiditas errorum causa.

§. 51. *Prima* est: *nimia sciendi cupiditas*, dum homo imbecillitatis suæ, & ignorationis, atque etiam difficultatis ipsorum objectorum oblitus, omnia conficienda sibi esse existimat pro indigestæ illius cupiditatis ratione, hinc fit, ut eruditionis loco chaos rerum sibi consciscat; nam *primo* ad studendum se confert sine ordine, sine methodo; in præpostero autem hoc statu nec dispicit nexum materiæ, neque rerum claritatem obtinet, & ubique, quod rei caput est, fundamento destituitur, convolant namque ejuscemodi enthusiastæ orexis sedandæ causa ad varia lexica, ad *Theatrum vitæ humanæ Beyerlinkii:* mandant memoriæ *officinam Ravisii Textoris*, lacinias omnium rerum promiscue nundinantis, ut multiplici farragine onusti videantur esse grandes litteratores; interim non advertunt, intellectum suum omnino corrumpi ex frequenti ejuscemodi librorum lectione, & magis magisque in confusionis imitationem trahi. Insit etiam quidpiam scitu dignum singulis illis decerptis *apophthegmatis, effatis, sententiolis* &c. quia tamen ignoratur continua rerum series, facile delabuntur illa ad alium sensum, & evanescit præcipua illorum fragmentorum gratia, quæ ex fine, ordine & connexione præcedentium ac consequentium consurgit.

Modus conducendi animos ad ordinem studiorum.

§. 52. Præstantes quidam viri, huic intempestæ cupiditati medicinam paraturi, præceperunt, juventutem diu multumque exerceri debere in demonstrationibus Geometricis, etiam prolixioribus *elementorum Euclidis*, in his quippe cum analytica methodo per passus fixos procedere necessum sit, retunditur volatile acumen ingenii, ac lento pressoque ordine negocium veritatis absolvi docetur. Sed & in aliis quibusque facultatibus volunt constantem hunc ordinem teneri. Qui ad *universalis historiæ* studium sese accingit, eum oportet non modo ab ovo illam ordiri (*p*), & lumen ex præactis ad sequentia

Salmasii ordo studendi historiæ.

(*p*) Cl. Salmasii *ordinem studendi historiæ refert ex* Latino Jo. Clericus Art. Crit. Part. I. Cap. 5. §. 13. & 14: Quidquid, *ait*, superest de veterum libris cæterisque monumentis, divisis in certa spacia omni ævo, ætatum & temporum ordine pervolvebat, initio ab antiquissimis ducto, ita ut omnes unius ætatis Scriptores perlegeret, conferretque; donec illius sæculi linguam, mores, ritus, artes, & quidquid ex iis, quæ restant monumenta,

quentia diffundere, ſed etiam *Geographia*, & *Chronologia*, quæ duæ alæ hiſtoriarum dicuntur, in anteceſſum præparari. *Theologus* ante omnia *ſacras linguas*, ad hauriendum e fontibus intellectum Scripturarum neceſſarias, hiſtoriam Eccleſiaſticam, Conciliorum & Patrum doceatur: ad *Phyſicam* acceſſurus, Matheſin familiarem ſibi reddat; natura enim, quam Phyſici contemplantur, perpetuis Geometricis legibus eſt implexa: Arti *Logicæ* operam daturus, primum animæ facultates, & intellectum præcipue, quem illa dirigit, ac perficit, ſerio ſcrutetur &c. Hoc ordine, & methodo qui procedunt, pleno dominatu capeſſent artes & ſcientias, & delicias ex earum conſecutione & perſpicuitate non vulgares percipient, animumque ad ulteriora incitabunt.

§. 53. Alter effectus nimiæ cupiditatis ſciendi eſt *præfidentia*, qua inflatus humanus animus, perinde atque nihil ſibi difficultatis, nihil arcani ſit impervium, obices indignatur, & de omnibus liberrime pronunciat, ſed quam bene, dum quæſtio humanas excedit vires, Deus aliquis viderit. Interim nihil præſidii, aut emolumenti adferunt humanis cognitionibus illi tenebrarum magiſtri, quin imo ſæpius indecore prolabuntur, veluti *Raymundus Lullius*, qui nuper myſteria chriſtianæ religionis naturalibus argumentis demonſtrare ſuſcepit, fidei velaminis oblitus (*q*); nempe decidunt ejuſcemodi *Præſidentia omnia decidendi.*

G 2 magi-

ta, colligi poteſt, in numerato, & ſub uno aſpectu poſita haberet. Inde ad conſequentia tempora, adusque ultima, ſimili ratione progredi ſolitus, & obſervare, quodcunque novi in linguis, artibus, cæteriſque prædictis ſuccedens ætas invexerat: quidquid a prioribus poſteriores Scriptores accepiſſent, id aſſecutus eſt, nihil ut illum fugeret, quod ad hiſtoriam omnis generis ſpectare poſſit. *Quamvis* Clericus *eundem in aliis Diſciplinis veluti Jurisprudentia & Medica ſæpius prolapſum eſſe notet, atque a peritioribus jure culpari.*

(*q*) Lullius Cap. 11. Articulorum fidei; *neceſſario argumento trinitatem perſonarum in Deo demonſtraturus, ſic ait:* omne, quod eſt bonum, vel eſt bonificans, vel bonificatum, vel bonificare: & omne, quod eſt magnum, vel eſt magnificans, vel magnificatum, vel magnificare, & ſic de aliis; cum ergo non poſſit ratio completa dignitatum inveniri in minori numero, quam in ternario, nec inveniatur in majori, erunt perſonæ illæ in numero trinario. *Ex quo Lullii ratiocinio utique ſequeretur, quod, quemadmodum* bonificans, bonificatum & bonificare *eſſentiæ diſcretionem habent, ita & tres Divinitatis perſonæ in eſſentia diſcretæ eſſe debeant. Pudet infrunitam temeritatem, chriſtiana myſteria adulterantem, uberius refutare.* *Lullii præfidentia notatur.*

magiſtri res, quas non intelligunt, atque in hoc ſolo ſatis ſuperque refutati ſunt. Præter fidei myſteria aliæ ſunt res naturales, humanis mentibus nunquam non arcana futuræ, quas ſupra (§. 5.) inſinuavi, quasque ſæpius relegiſſe juverit, ut ita humanus animus, arrogantiæ frœnum ſibi injectum eſſe, modeſte ſentiens, prætcritis illis, in aliis argumentis utilius exerceatur.

Amor novitatis, & inutilium conſectatio.

§. 54. Tertius demum fœtus nimiæ illius cupiditatis eſt *amor novitatis*, & inutilium quæſtionum, ſeu crepundiarum vaniſſima conſectatio, ex quo natum eſt indomitum ſcribendi cacoëthes, & multitudo librorum, de quorum fatuo onere queruntur Bibliothecæ fatiſcentes, & queruntur multo magis litterarum ſtudioſi, quibus ne ætas quidem tota ſufficit unius facultatis libros pervolvere, atque ex infinito furfure colligere parum quidpiam delecti grani. Utinam rex quispiam alter *Ezechias* noſtris temporibus exurgat, qui plurimam eorum partem flammis exurat, & perdat, damnum cum plurimorum reſpiratione cauſaturus, præſertim dum hodie volumina ſemidoctorum, tanto numero conſpicua, promiſcuo cum eruditiſſimis libris honore celebrentur. Quid commemorem Theologorum inanes farragines? nuper quispiam ex *univerſa Theologia*, quæ religionis vindex, ſanctiorum cuſtos morum, & invariabilis veritatis magiſtra eſt, propoſitiones delectas tentamini expoſuit, ceu fructum ſtudii, per aliquot annorum curriculum in ea facultate collocati, quas omnes propoſitiones ſalva orthodoxia quilibet negare poſſit; licitumne ſit, graviſſimam facultatem tantis logomachorum problematibus abſorberi? Deriſit jam olim ſollicitos hos nugatores *Juvenalis* (r): *dicant*, inquiens

Nutricem Anchiſæ: nomen, patriamque novercæ
Anchemoli: dicant: quot Aceſtes vixerit annos:
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Refert *Suetonius* (s), Tiberium contemptus, & cavillationis cauſa eruditos interrogare ſolitum: *e qua familia mater Hecubæ prodierit?* Quod

(r) *Satyra 7.*

(s) *Suetonius in vita Tiberii cap. 70.*

Quod nomen tum Ulysses gesserit, cum muliebri habitu uteretur? &c. Sed neque hæc omnia quidem improperia veterum excutere veternum posteritati valuerunt (*t*).

§. 55. Noverit autem, quisquis novitatibus tam impense immoratur, omnem novitatem sua natura veritati, quæ suis in principiis antiquissima est, æterna, & invariabilis, oppositam esse, & in eo solum casu invicem conjungi, dum nova arte veritati, diu latenti, velum subducitur; ad hoc autem necessario requiritur intellectus perspicientia, omnium superiorum ætatum, & eruditorum lumine præstantior, quam nisi quis in se collatis causis prudenter agnoverit, nunquam ille novitatem sine erroris suspicione sectabitur. *Novitas veritati opposita est.*

§. 56. Alia errorum causa est nimia *imaginationis* fœcunditas, quæ nisi cohibeatur, omnem attentioni intercipit moram, & objecta non uti in se sunt, examinat, sed concipit ea, prout ab imaginationis æstu depinguntur. Nescio sane, an ea sit universalior ulla altera errorum causa, præcipue cum experiamur, plerasque res in omni vitæ consuetudine ad hominum phantasias decidi; sed de illa uberius infra (§. 458.) de *Fanatismo* agetur. *Imaginationis fœcunditas.*

§. 57. Alia errorum causa, priori opposita, est nimius *torpor animi*, cum amore proprio conjunctus. Hoc morbo animi qui correpti sunt, studia indagandi, & labores tanquam serpentes aversantur: caussantur ingenii debilitatem, discrimen valetudinis, & forte etiam illud, ex hypocritarum officina assumptum: eruditionem plerumque officere pietati: scientiam inflare, & mentis tumorem inducere: virtutem magis conciliari cum submissione animi, & ignorantia &c. qui tamen omnes obtentus, si rite inspiciantur, nihil fere sunt aliud, quam stupida effugia laborum. Quodsi aliquis accedat, qui *Alia errorum causa, torpor animi.*

(*t*) *Scribit* Plutarchus *in vita* Thesei: *navim, qua Theseus in Cretam abierit, & redierit occiso Minotauro, fuisse apud Athenienses reverenter asservatam mille fere annis, adusque tempora Demetrii Phalarei, qui fuit Ptolomæi Philadelphi coætaneus; hæc navis, tabulis ætate putrescentibus, continuo novis instaurata, præbuit frivolis quibusdam hominibus occasionem ardenter disputandi: an navis illa Thesei dicenda sit? an vero alia, ab illa prorsus distincta?*

qui dicat: legiſſe ſe in *Dictionario Encyclopedico gallico*: Algebræ ſtudium occultis cuniculis inſidiari oculorum valetudini, atque etiam plerumque cæcitatem inducere, niſi temperamentum ſit prorſus validum: eſſe etiam quibusque aliis ſtudiis, & artibus ſuos peculiares morbos, quibus viri, meritis accumulati tandem diſpereunt (*u*), illi torpentes ejuſcemodi narrationes, tanquam dapes, guſtui ſuo paratas, lætanter excipiunt, cum tamen, ſi vera etiam ſunt, quæ de morbis artificum circumferuntur, magis ex hoc triſtari, & plangere humanæ infirmitatis labem debuiſſent, morbisque non ſtudiis parare antidota. Profecto, ſi patres noſtri eodem torpore vixiſſent, miſerrima foret omnium poſterorum conditio, ſine inventis, ſine artibus, ſine magnificentia: illuſtrium illorum anteceſſorum, quos futura etiam ſæcula extollent, jugi commemoratione eſt eliminanda illa acedia. Nunquam tamen alieni ſtimuli & exempla erunt efficacia, niſi proprii, & interni, qui ex dignitate ſcientiarum, & nobili honoris ardore proveniunt, accedant: frequenter illud *Horatii* uſurpandum: *nil ſine magno vita labore dedit mortalibus.* De *Zenone* ſcribit *Laërtius*:

Hunc non acris hyems domuit, non frigidus imber,
Non ſolis radii, non vis deterrima morbi,
Non quidquid vulgo pretioſum; invictus at unus
Inſtabat gravibus ſtudiis nocteſque, dieſque (*x*).

Prædominantes paſſiones ſunt cauſa errorum. §. 58. Alia, & vaſtiſſima errorum cauſa in animo ſunt prædominantes *paſſiones*, veluti: *amor*, *odium*, *ira*, *ſuperbia* &c. quæ ubi tumultuantur, mentis vires vehementer deprimunt, atque etiam objectorum ſinceritatem totam perdunt. Herus apud *Plantum* (*y*). Adelphaſim virginem amat, famulus odit: ille eam ſupra deas attollit,

(*u*) Ramazzinius *medicus Tractatum* de morbis artificum *conſcripſit.*

(*x*) *Laërtius Lib. VII.*

Τὸν δ' ουτ' ἄρ χειμὼν κρύοεις, οὐκ ὄμβρος ἀπείρων

Οὐ φλὸξ ἠελίοιο δαμάζεται, οὐ νόσος αἰνή;

Οὐχ ὡς τις δήμου ἐναρίθμιος; ἀλλ' ὅγ' ἀτειρής

Ἀμφὶ διδασκαλίῃ τέτατο νύκτας τε, καὶ ἦμαρ.

(*y*) Plautus in Pænulo *Act.* I. *Scen.* 2.

lit, iste deprimit infra monstrum, utrumque passio abripuit extra cancellos. Phærisæi in Evangelio, odio in Christum perciti, divina illius opera dicunt a cacodæmone profecta. P. *Bobours* (z) contemptui nimis indulgens, quærit: si Germanorum aliquis festo esse ingenio possit? &c. Quo autem fortiores passiones fuerint, eo quoque mentem potentius excæcant, & ineptam reddunt non solum studiis tranquillis scientiarum, sed etiam cum de consiliis agitur (*a*), & de promovendis humanæ vitæ commodis. Nunquam liceat hominem impotentis animi causæ suæ vindicem, utut eruditus sit, adsciscere; modum enim excedet, atque ita plus nocebit, quam prosit. Verbo, in omni vitæ consortio turbas, & offendicula facessunt, qui indomitis animi motibus, in alterum aliquem plerumque directis, defervent.

Passiones & affectus signa sunt generosi animi.

§. 59. Nolim tamen hæc, dum de passionibus ago, quispiam eo a me dicta existimet, perinde atque omnem in hominum, literis & virtuti vacantium, animis affectum condemnem; exploratum enim est, affectuum vires & numerum animorum generositati commensurari: id fere sunt passiones in animo ad efficiendum, quod vires motus in corporibus: notant illæ animum sensilem, docilem & audentem; quoque magis sollicitant, eo ad omne genus consiliorum promptius erigunt. Omnia præclara inventa, & heroum facinora originem suam debent his stimulis animorum, & sine his qui vivunt, inertissimi sunt, lignum magis exsculptum, aut lutum insensile, quam homines nuncupandi. Quid sola æmulatio, cos illa animorum non potuit? Themistoclem, victorias Miltiadis recogitantem, ne dormire quidem sinebat imitationis ardore. Ipsa imbecillorum quorumdam hominum intolerabilis pertinacia ex passionum defectu procedit; si enim vividioribus igniculis desiderii ad veritatem pertingendi agerentur, utique aliorum sententias studiosius contenderent, & novos etiam conatus ipsi adjungerent.

§. 60.

(z) *Si un Allamand peut être un bell esprit?*

(a) Cæsar *apud* Sallustium *in conjuratione Catilinæ ait: omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet; haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium libidini simul & usui paruit.*

Discrimen passionum facere oportet. §. 60. Verumtamen oportet sedulo facere discrimen passionum; quædam enim earum illustres sunt, atque ad fortiter agendum necessariæ, veluti: constans *amor* virtutis, scientiæ, patriæ, religionis &c. *fortitudo* in summis periculis &c. aliæ indecoræ, & animales, veluti: *superbia*, *ira* &c. quæ, quales sint, ex objectorum suorum natura, atque motivis intelliguntur; quamvis non raro & insignes passiones, dum modus negligitur, in vitia & probra deflectant. Quoties non vidimus nobilissimum *patriæ*, aut *religionis amorem* in amentem *enthusiasmum* abiisse (§. 466.)? Hæ igitur posteriores passiones infestæ sunt bonis mentibus, & errandi præcipitium: priores autem laudabiles, necessariæ, & armamentarium illustrium animorum.

Passionum cognitionem ethica docet. §. 61. Id unum plurimis perniciosum est, quod aut passiones suas omnino non advertant, eas præcipue, quæ indoli suæ, aut temperamento connexæ sunt: aut etiam pessimas pro optimis habeant; hi medelam corruptelis suis repetere debent ex disciplina morali, & genuina informatione ad virtutem, quod agere nostri instituti hoc loco non est. Interim suadetur, cordato uno, alterove viro uti familiariter, ac confidenter, atque illius consiliis, si quid adverterit in nobis sinistræ passionis, prompte obsequi. Solent nonnulli etiam res illas, quarum passione urgentur, pro animi ductu in charta describere, ac longiori tempore abjectas tandem revolvere, ut ibidem sedato animo stimulos suos intempestos, quod plerumque contingit, intueantur.

Errorum causæ, quæ in corporibus sunt.

Prima est pondus machinæ corporeæ. §. 62. Inter errorum causas, quæ nostro insident corpori, primo reponi loco meretur ipsa moles carneæ fabricæ, quæ mechanicis legibus pro membrorum aptitudine perpetuo collisa, spiritus generat animales, ad quorum deinde seu numerum, seu vigorem ipsa vis animi componitur, & severitas cogitandi; quemadmodum autem ille motus carneæ fabricæ, a fibris imbecillis & tendinibus elicitus, variatur sæpenumero, deficit, rursum novo vigore impellitur, rursum viribus pene dejicitur, ita & tædium ac languor animum corripit, etiam reluctantem; quo fit, ut sibi dissimilis, quæ mox probavit,

vit, atque ardenter ſecutus eſt, abjiciat, alio transferat ſententiam, aut rerum, & ſui impatiens prorſus nihil agat. Fragilis corporalis machinæ ſigna ſunt hæ acerbæ viciſſitudines; ſuntque omnino viri rariſſimi, grandium heroum inſtar, qui communibus his tædiis erepti, conſtanti vigore ſpirituum corporalium longiora fatigia ſuperarunt. Varia ſuperveniens corporibus ætas hanc etiam corporis animique conformationem manifeſtat: provecta ætate viri deferveſcentibus igniculis ſtudia & ſententias, quas florente ætate fecerunt maximi, nauſeant: languente valetudine prætereuntur objecta cum tædio, quæ a ſano & vivido cerebro diſcuſſa, & examinata, longe digniorem ſui ſpeciem offerunt; ut non immerito primum ad ſeveriora ſtudia ſubſidium ſit corporis valetudo.

Ordinata vitæ ratio contra tædium præſcribitur.

§. 63. Hæc igitur ſpirituum attenuatio, & exinde conſurgens tædium, animorum peſtis dicendum, ut præcaveatur, deligenda eſt ea ordinata vitæ ratio, quæ non modo apta ſit machinam ſuo in motu & valore conſervare, ſed etiam quæ reparare poſſit protritas ſtudiorum contentione vires (*b*). Non deſtituatur corpus opportunis

Victus ratio habenda eſt juxta Hippocratem, & Pythagoram.

(*b*) *Victus ratio, præſertim ſtudioſis haberi debet.* Hippocrates Lib. I. de ſalutari victus ratione *ait:* Quod ſi recta adhibeatur victus ratio, prudentiores & acutiores præter naturam evadunt. His autem conducit, ut victus ratione, quæ ad ignem magis accedat, utantur. *Et ſane indubium eſt perpetua experientia, delectum victum generoſiores, ſubtilioresque ſpiritus ſuppeditare; hæc cauſa fuit* Pythagoræ, *quod ſuos vetuerit fabis nutriri, quæ ob groſſum & indigeſtum ſuccum, quem continent, corpus animant multo parcius, & homines ſtupidiores reddunt.* *Videatur* Cicero Lib. II. de Divinatione. *Parci quoque nimium nutriunt, & corpus extendunt; hinc Sacerdotes Iſidis, ut refert* Plutarchus de Iſide & Oſiride, *nolebant impinguari, ne eorum animæ, particula mentis Divinæ opprimeretur conſortio materiæ mortalis.* *Videatur* Education medicinale des enfans - par Bronzet à Paris Anno 1754. *Quod* Horatius, *perpetuus vini encomiaſtes, de vino, elemento ſuo, canit* Lib. I. Ep. 19.

Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,

Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Item: Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Item: Narratur priſci Catonis

Sæpe mero caluiſſe virtus.

Omnibus pro temperamentorum diverſitate accommodari non poteſt. Pluribus plerumque nocet, quam proſit.

tunis remiſſionibus, neque etiam illicitis voluptatibus irritetur; utrumque deprimit vigorem corporis. Nimiæ vigiliæ & vitæ auſteritas utut magno animo aſſummantur ſpecie virtutis, longas & ſeveras meditationes nutrire non poterunt. Quot illuſtria ingenia queruntur, commodorum defectu ſe in ſtudiorum curriculo deſides retineri? ut non immerito a quopiam dictum ſit: egeſtatem, & ex ea prognatam ſpirituum inopiam, validum eſſe ad bonas artes impedimentum. Certo ſummi viri, qui admirabilia ingenii monimenta protulerunt, plerumque diu, & ſano vivacique corpore vixerunt (*c*). Nec brevis ætas, nec affecta valetudo par eſt ingentes difficultatem obices ſuperare.

Pugna variorum temperamentorum.

§. 64. Alia errorum occaſio eſt *pugna temperamentorum*; videtur enim prorſus mirabile, quod homines, contrario temperamento compacti, diverſiſſime ſentiant, atque alter alterius cogitandi methodum averſetur. Integræ nationes hujus diverſitatis præbent argumentum, quarum nempe contemperatio, aut ob climatis & nutrimentorum influxum, aut vel maxime ob legum civilium, aut provincialium, & politici regiminis formam (§. 102.), magnopere differunt ab aliis. Conſtituuntur autem communiter quatuor temperamentorum claſſes: prima eſt *ſanguineorum*, altera *cholericorum*, tertia *phlegmaticorum*, ultima *melancholicorum*.

Quatuor temperamentorum explicatio.

§. 65. *Sanguinei temperamenti* homines ingenio valere ſolent, laboris præſertim longioris ſunt impatientes, ob ſanguinis nempe ubertatem, & impetum, jucundi, affabiles, ad amicitias proni, inconſtantes, varii, hinc multa quidem ſtudiorum genera, ſed ſummis plerumque labris delibant. *Cholerici* magno, fortique animo negociorum omne genus aggrediuntur, & pertinaciter agunt, bile prædominante, hinc rebus magnis nati, ſtilo gravi, & vehemente delectantur, acuti ſunt, profundique ingenii, prompti, algebraicas operationes pluris, quam ſimplicem Arithmeticam, aut Geometriam Euclidicam faciunt &c. *Phlegmatici* pigri ſunt, tardi & obtuſi

(*c*) *Præteritis veteribus Socrate, Platone, Epicuro &c. ſat ſit e recentioribus* Leibnitium, Lokium, Wolfium, Neutonum, *qui* 82. *annos, nullo unquam graviore morbo conflictatus, attigit, commemoraſſe.*

tusi ingenii, multo humore igniculos intercludente: memoria tamen plerumque valent, judicio parum: prærogativa eorum peculiaris est, quod patientiam, aut forte etiam si velis, insensibilitatem in suis negociis præferant: vix ex eorum ore unquam lepos procedit. *Melancholici* tristes sunt, severi, sibi aliisque molesti: amicos vix obtinent, minus conservant: visionarii, fanatici, suspicionibus laborantes, & in altiore melancholiæ gradu etiam in maniam decidunt (*). Sæpius observatum est, homines variis vitæ casibus conflictatos etiam temperamentum mutasse. Nullum tamen fere unquam horum quatuor temperamentorum sine alterius admixtione reperitur. Pro variis cujusque temperamenti gradibus, pro multiplici eorum cum altero combinatione, innumeræ in mortalibus occurrunt contemperationes.

§. 66. Nunc ad *sensuum incommoda* deveniendum est, a quibus immerito permulti queruntur induci errores; nam dicunt plurima perperam offerri a sensibus, quæ longe aliter se revera habeant: videri baculum fractum, qui in aquam partem intrusus est: turrim, quæ tetraëdrica est, eminus ceu rotundam videri: quibusdam hominibus etiam in ipso melle, percipi amaritudinem; & alia ejusce modi (§. 175.); quæ objectiones hodie in tanta Physices luce vix jam sustineri possunt, & revera adeo populares, atque inficetæ sunt, ut ex lippis & tonsoribus earum repeti possit explicatio; sensus quippe, cum machinæ sint ab ipsa natura aptissime constructæ, & juxta necessarias *Querelæ contra sensuum incommoda.*

H 2

(*) *Hæc quidem, quæ allata sunt, quatuor temperamenta* composita *dicuntur, præter quæ adhuc alia quatuor sunt* simplicia, *nempe* calidum, siccum, humidum & frigidum. Sanguineum *dicitur compositum ex calido & humido:* cholericum *ex calido & sicco:* phlegmaticum *ex frigido & humido:* melancholicum *ex frigido & sicco. Causa præcipua ac proxima, horum & omnium exinde varia admixtione descendentium temperamentorum esse videtur vis illa motrix, in corde residens, & natura sanguinis, qui perenni illa cordis compressione commotus per totum corpus diffunditur, illudque etiam suo modo contemperat; nam hujus unius pulsus & circulatio consulitur ad agnoscendam cordis, totiusque animalis œconomiæ dispositionem, ad hujus naturam componitur ipse motus non sanguinis modo, sed & aliorum humorum, qui ex eo in vivo corpore secernuntur, hujus fluor & incitatio etiam animi manifestat valorem; nam liber incitatur & facilis impatientiam & audaciam: tardus ac difficilis tristitiam, pusillanimitatem & abjectionem ostendit.*

Sensus & objecta constanter agunt juxta necessarias naturæ leges.

cessarias leges constanter impulsæ, ea norma atque sinceritate objectum quodlibet complectuntur, qua objectum ipsum in se est, & in sensuum organa perfertur: igitur non tam oporteret de sensibus, quam de objectorum fallacia querulari; at vero etiam ipsa objecta sensibilia agunt necessario, neque aliter, quam per invariabiles naturæ leges adiguntur; eccur igitur prostare volunt occasiones errandi ex naturæ legibus, quas & ipsa ratio, ut veritatem obtineat, irretentis debet obtutibus intueri? Quod si ejuscemodi phænomena errandi occasio sunt, non sunt nisi imperitissimis, ab omni naturæ legum & sensuum experientia imparatis, qui, quod ignorantes plerumque solent, in omnibus offendunt errandi occasiones, quas deinde aliis, quam quibus revera oporteat, libere attribuunt.

Refellitur querimonia exemplo bilancis, & Perspectivæ.

§. 67. Amabo! si nunquam illi, qui ejuscemodi querelas contra sensus movent, si, inquam, nullam unquam *libram* vidissent, neque ullam haberent legum mechanices cognitionem, an facile conciperent, quomodo motus manus meæ, lancium aliquam deprimens, in lance altera motum contrarium, nempe ascensionem causet? intuentesque peregrinum hoc phænomenon, exclamarent certo bilancis seducentis ludibrium, eamque errandi occasionem nominarent: Si nunquam extra suam cameram progressi fuissent, neque prospexissent extra eandem, ut primo viderent per fenestræ orbiculum e longinquo amplum palatium, parva specie oblatum, dicerent utique, de illius magnitudine condocefacti se a fenestræ orbiculo esse delusos, & sexcenta ejusmodi. Cur autem homines, in publico diu multumque versati non proferunt querelas has ineptissimas? quia nempe leges *libræ* faciles, & plurima phænomena *Perspectivæ* longo usu cognoverunt: Idem prorsus sentiendum est de Dioptricæ legibus, quæ occurrunt in fracto baculo, dum nempe radius per duplex varium medium, aquam & aërem transiens, variam in utroque viribus attractionis suscipit directionem; quæ Dioptricæ leges, cum fortasse *bilancis* & *Perspectivæ* legibus paulo delicatiores sunt; quid mirum si & harum occursu præcipitent judicium, baculum existiment revera esse fractum, hujusque erroris occasionem esse sensum asseverent? quamvis ne dioptrica quidem phænomena tantopere rara sint, ut suo in sensus illapsu intellectum præcipitare debeant ad falsum de objectis formandum judicium; quæ phænomena in omni vitro, aquam

conti-

continente, atque in omni alio diaphano corpore ubertim occurrunt, mentique non tam errandi occasionem, quam inquirendi in causam variæ hujus radiorum directionis præbere deberent, aut saltem suspendendi judicium, & in constantibus Dioptricæ phænomenis, constantem, licet ignotam sibi, suspiciendi naturæ legem.

§. 68. Alii regerunt, deludi se a sensibus propterea, quod *colores*, *odores*, *sonos* &c. objectorum referant, qui tamen in rerum natura non existunt (§. 175.); naturam continere duntaxat varia minima corpuscula, a suis tantum quæque sensoriis apta percipi, & pro vario suo motu, figura, tremore &c. variam in organo vellicationem atque sensationem excitare; sed & hæc objectio ignorantiæ fœtus est, & judicii intemperans præcipitatio. Sit ita: non sit in universa natura sensibili aliud, quam materia, seu varia minima corpora, & motus; dicendum erit: materiam lucis, oculos subeuntem, & certo suo frictu vellicantem, cum nihil commune habeat seu particularum, seu figuræ, seu motus, seu sensorii cum odoriferis particulis, nares afficientibus, aliquam sui ideam in mente elicere, quam deinde specificam motus, & vellicationis ideam mens *lucem* aut *colores* appellat; uti & motum particularum sulphurearum *odores*, tremulum motum aërearum particularum *sonum* &c. Totum illud, quod peregrinum seu in *luce* & *coloribus*, seu *sono* &c. occurrit, proficisci ab ignorantia materiæ, & naturæ legum, quæ deinde intellectum præcipitat in falsum judicium, quasi vero a sensibus aliæ, quam quæ revera in natura sunt, & contingunt. res haurirentur.

Neque colores dici possunt errandi occasio.

§. 69. Si quæ tamen dici potest inesse sensibus errandi occasio, eam in hoc ponere licebit, quod mentis nisum, præsertim dum urgent objecta vividiora, sæpe remorentur, aut etiam reluctantem alio convertant; anima quippe suis in operationibus ad sensus adstringitur, & omnino non potest id, quo corporis organa afficiuntur, non percipere; hinc consuetudo multis est, dum quidpiam severius aut dispicere, aut rimari aggrediuntur, oculos, sensuum omnium fortissime abducentes, aut claudere, aut depressos immotosque tenere, quo minus animus, varietate objectorum pulsatus, ab eo, quod cogitandum est, avertatur. Ipsa *Justitia*, ut recte agat, oculos ligata depingitur. Alii memorantur, consilia de rebus gravibus collaturi,

Sensationum incursus mentem divertit.

turi, ne præſentium vultu deterreantur a libera ſententia, conſulto obſcuras cameras petiiſſe (*d*). Certo circumforanei homines plerumque boni ſunt obſervatores, & exploratores rerum plurimarum, ſed ratiocinio deſtituuntur, vitio farraginis; & illi, qui multas provincias perluſtrarunt, nil niſi ampla adverſaria domum reportant, e quibus deinde in quiete poſiti, fructum colligunt meditando (*e*).

Etiam apparentes fallaciæ juxta naturæ leges eliciuntur.

§. 70. Cæterum etiam apparentes fallaciæ, cum forte ſenſus laborat vitio, aut diſtantiæ, aliarumque circumſtantiarum non ſervat modum, illæ, inquam, etiam apparentes fallaciæ conſtanter juxta naturæ leges, & organorum indolem eliciuntur: flamma facis oblonga, eminus viſa, rotunda apparet; ob diſtantiam quippe lux flammæ a ſplendore circumfuſi aëris diſcerni nequit, hinc & phaſes Mercurii & Veneris nudum oculum ſubterfugiunt, & ſtellæ eadem eſſe linea poſitæ vulgo exiſtimantur, cum tamen diverſiſſime a nobis diſtent: circulus, in eodem plano cum oculo poſitus, item linea curva, conſpicitur ut recte linea: linea ut punctum: ſuperficies ut linea:

Cæcorum quorundam ideæ.

(*d*) *Multi viſu per omnem ætatem deſtituti, Philoſophiæ non ſine gloria vacaverunt. Legatur auctor anonymus operis inſcripti:* Lettres ſur les aveugles à l' uſage de ceux, qui voyent, *in quo inſolitas cæcorum quorundam ideas, acute recenſet, veluti: eos furtum maximopere deteſtari, nempe ob maximam, ut ipſis videtur, difficultatem percipiendi: in veſtibus nihil aliud quærunt, quàm neceſſitatem corporis, ab injuriis protegendi; hinc etiam cynicos immodeſtia ſuperant, ignari, quarenam una potius quam altera corporis pars tegatur pudoris cauſa. Ipſe certo* Diogenes *cynicus, qui habitum nuditatis tegendæ cauſa portavit, ait auctor ille, non eſſet bonus in horum cæcorum ſchola philoſophus. Sed quid aliud niſi infelix ſocietas ex infelici luminis privatione haberi poſſit?*

Senſationes deſinunt in acri ſtudio.

(*e*) *Sæpius, qui mentem acriori ſtudio defixerunt, adeo abſorbentur robore obverſantium idearum, ut nihil objectorum occurrentium videant, vel audiant; quia nempe motus ſpirituum incitatior eſt in objecta ſtudii, quam illa ſit objectorum externorum vellicatio. Quia autem ejuſcemodi niſus animi perrarus eſt, hinc ſtudiis impenſius vacaturi petere conſueverunt loca tranquilla, ſubducta rumoribus, aut campeſtres ſolitudines, aut certo nocturna ſilentia, ad debile lumen accenſæ lampadis vivos objectorum incurſus retundentia.* Quintilianus Inſtit. Orat. Lib. X. cap. 4. Quam altiſſimum ſilentium ſcribentibus maxime convenire, nemo dubitaverit. *Idem ibidem:* Mihi certo jucundus hic magis, quam ſtudiorum hortator videtur eſſe receſſus. *Item:* Demoſthenes melius, qui ſe in locum, ex quo nulla exaudiri vox, nihilque proſpici poſſet, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi.

linea: corpus ut ſuperficies; eam quippe duntaxat, quæ patet, objecti partem oculus intuetur: in perſpectiva circulus exhibetur ut ellipſis: quadratum veluti trapezium: ſi oculos in duarum parallelarum initio ponatur, videbuntur parallelæ illæ in fine convergere &c. Hæc & ſimilia ſi oculos aliter, ac revera in ſe ſunt, accipit, non accipit aliter, quam his in circumſtantiis poſita ſentiri debeant; fallaciam ille ſibi attribuat, qui organorum ſuorum fide abuſus, ex ſenſationibus, ad has circumſtantias comparatis, judicium de objecto in univerſum præcipitavit. Situm objecti, non naturam oculus revelat. Itaque quo minus ſenſationibus, idearum occaſio futuris, intellectus ſeducatur, libet regulas, ad juſta ſenſuum experimenta neceſſarias, breviter ſubjicere.

Regulæ pro rite instituendis ſenſuum experimentis.

§. 71. *1mo* Conſtet cuivis, experimentum capturo, de ſenſuum ſuorum integritate, aut de iis ſaltem, quibus vitia intexuntur, circumſtantiis. Alioquin nubem pro Junone amplectetur. *2do.* Sit ſenſus in juſta ab objectis diſtantia poſitus; nam & vis ſenſuum ſuos habet limites, ultra quos præcedere natura vetat. *3tio.* Experimentum peregrinum in aliis circumſtantiis repetatur: ſi baculus in aqua fractus apparet, extrahatur, & rectus deprehenſus mentem exacuat ad inquirendam variantis phænomeni cauſam. *4to.* Nullis ſit præjudiciis imbutus experimentum capturus; alioquin ea ſolum advertet, quæ ſententiæ ſuæ ſuffragantur. *5to.* Non ſit nimium avidus novorum, neque lactet animum vivida ſpe mirabilium; ſic quippe eas facile ideas imputabit ſenſationi, quæ ab imaginatione ſubornantur: vulgus certo in cometis cruces gladios, ſarcophagos &c. intueri conſuevit. *6to.* Non confundatur phænomenon cum phænomeni cauſa, vulgo recepta; quidam ſic deluſi vident vapores a ſole attrahi. *7mo.* Non oportet pluribus, ſimul obſervandis vacare; minor quippe redit ad ſingula ſenſus. *8vo.* Ubi ſenſus deficiunt, adjuventur inſtrumentis aptis, delectis, eum in finem conducentibus; ſic minima corpora per microſcopium exploramus: preſſionis aëreæ variationem, ſenſibus imperceptibilem, barometro metimur. *9no.* Habeatur præcipua ratio circumſtantiarum loci, temporis &c.; harum quippe variatio, aut fruſtratur omnino experimentum, aut aliud reddit. *Mariotto* in Galliis experimentum Neutonianum *de coloribus* non ſucceſſit,

ſucceſſit, ob neglectas circumſtantias (*f*). *10mo.* Senſus ultra externum accidentium apparatum non procedunt; hinc eorum ope nemo ſe exiſtimet intimas rerum naturas detegere. Harum regularum meditatio reddet ſecuriora ſenſuum experimenta. *11mo.* Experimenta jam inde a *Verulamii* tempore adoptata fuerunt a Philoſophis, tanquam ſecurior modus deponendi errores, & contingendi veritatem pro incremento ſcientiarum; cum enim acutiſſimus ille vir intueretur ſcientiarum magiſtros in Scholis, neglecta ipſa natura rerum, de cujus cognitione agebatur, conficere omnia vagis, fanaticisque ratiociniis, eorumque imaginariam eruditionem ne communi quidem ſenſui quandoque eſſe conformem, in eo totus erat, ut relicto ratiocinio ad experimenta capienda Philoſophorum animos converteret. Totus tum repente orbis cum *Verulamio* clamabat: *experimenta! experimenta!* Multi totam vitam experimentando transegerunt: alii cœptis aliorum experimentis alia & alia per omnem vitam adjecerunt; hac ratione, & infinita experimentorum farragine oppreſſæ quodammodo ſunt facultates *Chemica*, *Medica*, *Phyſica* &c. earundemque profeſſores a priori extremo *perpetui ratiocinii*, ad alterum contrarium, in *ſolis experimentis* poſitum, prolapſi ſunt, vix quidpiam auſi poſt omnia concludere, quod in tanto experimentorum numero unum fortaſſe, aut alterum, vim difficultatemque expediens, deſideraretur. Satius multo utique fuiſſet, multoque ſalubrius, quæpiam duntaxat *experimenta capitalia*, ſeu *facta convincentia* attuliſſe in ſingulis cauſis, & ex his deinde de rei natura libere ſecureque concluſiſſe. *12.* Fateri tamen oportet, pro *peculiaribus illis experimentis*, ſeu *factis concludentibus* non modo requiri ſummum ingenium, ſuperiori quodam lumine, ad pervidendas abditas difficultates illuſtratum; ſed requiritur præterea felix momentum, & circumſtantia, quæ naturam, per intervalla ludentem, veluti fortuito, & in tranſitu deprehendat. *Neutonum* placide ruri degere oportet, ut in felici momento pomorum cadentium *univerſalis gravitationis* legem fortuito inveniret. Quia vero pauca ingenia hac ſeu ſubtilitate, ſeu felicitate donantur, mirum non eſt, tam pauca *experimenta concludentia* in tanta farragine contineri.

Experimentorum occaſio & defectus.

Experimenta concludentia pauca producuntur.

§. 72.

(*f*) *Mariotte Tract de natura Color. pag.* 207.

§. 72. Exterarum errandi occasionum prima est *educatio*, a qua, ut plurimum neglecta, aut populari, inseruntur tanquam sentes in desertum agrum innumera *prajudicia*, sic dicta, quod judicium sanæ rationis antecedant. Primos hominis cujusque magistros, ait præclare *Lokius*, esse nutricem, famulam, domesticos, primæ infantiæ operam commodantes (*g*), a quibus, placendi imitandique cupidine, assumptæ ideæ, persuasiones, amores, odia altissime radices figunt in tenero animo, indolemque totam ad futuræ vitæ studia suis motibus delineant, quacunque etiam luti specie formatus sit infans: Quæ vero esse tandem possit in adolescente, ideas suas ad usum deducente, mentis rectitudo, si ipsi primi pædagogi desipuerint, atque inter perpetuas ineptias, errores, fallacias exegerint omne tempus & occupatiónem, sique deinde non accedat peculiaris contortum animum reparandi sollicitudo? *Educatio ponit præjudicia in animo.*

§. 73. *Lycurgus* mirabilem hanc educationis vim, atque influxum in Rempublicam Lacedæmoniis suis adumbraturus, duorum canum exemplum adduxit (*h*), quibus eodem licet patre, eademque matre prognatis varia educatio diversissimam indolem infudit. Quæ quidem inflexa pecorum natura, cum arctiores habeat limites abeundi a sua progenie, quam ea, quæ patentissima est ad vitæ & intelligentiæ dissimilitudinem, humana conditio, utique ad arguendum nos inducit, efformari prorsus alios homines per præclaram institutionem ad omnes rationis voluntatisque disciplinas, quam quos perdita educatio protulit. *Philopœmenes*, ut est apud eundem Plutarchum (*i*), Lacedæmonios pœnarum vi coëgit desistere ab inolita Juventutis educatione; sciebat quippe eos, nisi puerorum disciplina pessumiret, utut victi fuissent, atque in servitutum redacti, semper tamen heroico animo, ipsisque victoribus terrori futuros. *Educatio format naturam.*

§. 74. Sed ut ad præjudicia revertar; assumuntur a tenera infantia ludicræ illæ imagines ex omni, quod aut casus obtulit, aut necessi *Omnium rerum præjudiciis juventus scatet.*

(*g*) *Loke Education des enfans.*
(*h*) *Plutarchus de præclaris Lacedæmoniorum dictis.*
(*i*) *Plutarchus in vita Philopœmenis.*

necessitas, aut consuetudo familiarium, objecto, seu res physicas & corporeas spectes, rationales, seu spirituales, seu divinas & religiosas, seu virtutes, & quidquid humanarum cogitationum censu continetur; quæ etiam imagines, seu præjudicatæ opiniones eo semper discedunt a vero longius, quo intricatior difficiliorque est genuina illarum rerum notio, aut quo conversantes ipsi minus, quod de eo loquuntur, intelligunt; quia tamen nihil aliud præter primas consuetudines, veluti cum lacte in se conversas, nec dubitare quidem norunt, meliorum cognitionum imperiti adolescentuli, hinc ad eas tanquam ad syrenum scopulos fortissime adhærent, easque ceu lumina naturæ, & dilectæ veritatis munera tuentur, impares deinceps hanc suam naturam, a prima, quod *Plutarchus* ostendit (*k*), educatione conflatam, in se abolere. Quodsi exterum quempiam hominem offendunt, habitu corporis, aut loquela, aut moribus etiam alienis utentem, nequeunt se a risu & sibilis continere, contemptus jura constituentes in sola sui dissimilitudine; quod certo maximum obicem ponit ad obtinendum bonum gustum (§. 674.), atque ad ignavam indolem digniori auspicio excolendam (*l*).

Præjudiciis imbuti omnia extera pro suis habent.

§. 75. Si autem externorum hominum sententias & consuetudines æquabili, immotoque animo excipiunt homines illi, præjudiciis innutriti, id ex eo fit, quod in iis, quadam affinitate ad suos mores comparatis, seipsos intueantur, & sentiendi institutum, toto cælo diver-

(*k*) *Plutarchus Operum moral. Tractatus I.*

Hottentoti, & incolæ promontorii bonæ spei.

(*l*) *Europæi populi hactenus omne tempus, omnemque operam in excolendis feris Hottentotis, & promontorii bonæ spei incolis perdiderunt, hæreditariæ illorum educationis malo. Hollandus ibidem præfectus* Van der Stel *sublatum ex barbarorum sedibus puerum in domum suam adscivit, ad religionis christianæ principia, morumque Europæorum nitorem venuste componendum; juvenem itaque aliquot annis splendido aulæ, & vestium, & cupediarum luxu provectum, plurimum etiam linguarum, ut populis illis idonea est ad discendum indoles, institutione clarum præfectus ad Indos mentis dilatandæ causa ablegavit, e quibus ille redux, præfectumque reveritus, cum ad silvestria suorum spelæa invisisset, tam repente primæ originis amorem in se illabi sensit, ut colligata in unum nobili sua supellectile, præfectoque reddita, ipse sacris omnibus & profanis valedicens, hirsutas lacinias indutus ad suos profugerit, horridæ educationis delicias persecuturus, omnibus commodis potiores.* Histoir. de Voyages Tom. V. pag. 125.

diverſum, pro ſuo habeant, atque ita perpetuo, & ubique gentium inter ſuos parietes pueri verſentur.

§. 76. Poſt tot itinera, a multis ad ultimas gentes ſuſcepta, poſt tot regionum, ac neo detectarum mundi partium amplas deſcriptiones, nondum nobis innotuit ſincera indoles illarum gentium, quæ ceu totidem molimina ſunt naturæ, ſub quolibet cælo variantis, & vix fortaſſe proceſſimus extra Europæarum gentium cognitionem; quia nimirum viatores illi, multitudine & novitate objectorum ſenſibilium oppreſſi, arcanis, quæ ad animorum inquiſitionem pertinent, ſtudiis defuerunt, atque ita factum eſt, ut in omnibus illis ſua domeſtica reperirent, eaque ad patriæ ſuæ genium interpretarentur; ſatius utique fuiſſet, Philoſophiam indagatricem tantis itineribus comitem adſciſcere, quam ſolos oculos, ne ideas, cum quibus ad gentes illas abiverunt, easdem denuo ex illis reduces domum reportarent.

Viatorum errores, orti ex præjudiciis.

§. 78. Inde nata eſt illa vulgaris & incondita parœmia: homines in univerſum ſibi eſſe ſimiles, variasque terras iisdem cupiditatum vitiorumque periodis impleĉti; quæ ex præjudiciis hauſta perſuaſio, quam falſa ſit, nemo non videt, qui non antiquiſſimarum, quas excutere nolim (*m*), ſed ſolum hodiernarum Europæarum gentium normam intuetur; ſi enim dives natura tot populis, Hiſpanis, Gallis, Ungaris, Polonis, Italis, Germanis &c. tam varios mentium impetus, ſola membrorum ſimilitudine obtectos, indidit, ut cogitandi agendique præcepta libere permiſceant, ea ſibi ducentes gaudio, & ornamento, quæ alii ut deliria, & abominationes reſpuunt: ſi liberrimas Gallorum elegantias in familiari conſortio tumida, & ſevera Anglorum natio averſatur odio; ſi patrias Polonorum atque Moſcovitarum ebrietates, unicum amicitiæ, atque eutrapellæ teſtimonium, Itali temperantiores dedignantur ut fœda animalium illicia: ſi tanta ineſt vicinis noſtris gentibus ſentiendi adverſitas, quid ſperare licebit de iis, qui alio cœlo, & ſolo longiſſime a nobis abrupti in novo mundo novi homines eſſe perhibentur? profecto ſi veriorem notitiam de earum indole adepti fuiſſemus, ſique deinde illam contenderemus

Gentium variarum maxima eſt diverſitas.

(*m*) *Cretenſes ſemper mendaces.*

deremus cum nostra cogitandi facultate, tum primo & ipsa nostra cogitandi agendique ratio, quæ sit, nobis innotesceret, quin imo totius humanæ naturæ, pleniori facie lucentis, imaginem felicius tum conciperemus.

Juris naturæ censura.

§ 79. Hæc eadem causa est, quod præstantes illi viri (*n*), qui *Juris naturæ* elementa condiderunt, ad suorum duntaxat populorum mores, & agendi lumina intenti, non tantum progressi sint, ac illi (*o*), qui collatis barbararum etiam nationum stimulis latiore facultate illud definiverunt.

Consuetudines excæcant in proprium detrimentum.

§. 80. Solent etiam a vinculis consuetudinis non raro abduci mentes in proprium suum detrimentum: Qui primus *meum* & *tuum* invexit, qui fundos incinxit, seque eorum, dum omnia essent communia, possessorem erexit, utique debuisset disruptis claustris ab usurpatione cohiberi, ut aliorum jura defenderentur, a naturæ primordio concessa; quanta beneficia ejuscemodi vindices protulissent sibi & aliis, in naturæ communione positis! quantis bellis futurorum temporum, quantis cædibus, oppressionibus præcidissent filum! sed animus hominum, jam tum justa subjectione erga parentes, & reverentia in majores quosque & digniores, longo usu mansuefactus, eo se tandem abduci passus est, ut justas vindicias non auderet, neque emolumenta sua in aliorum repressione videret (*p*).

Præjudicia ex doctrina magistrorum.

§. 81. Sed & illa præjudicia immanem labem humanæ menti inferunt, quæ ex magistrorum Doctrina atque excellentia capiuntur. Celeberrimus *Samuel Clarkius*, nondum ephœbos egressus, a quopiam cognatorum suorum interrogatus: an Deus omnia facere valeat? respondisse fertur: omnino; an itaque, reponebat alter, etiam mentiri possit? ad quod *Clarkius:* minime. Adultior factus *Clarkius*,

Clarkii præjudicium.

& juventutis suæ facta revolvens, dicere solebat: se tum existimasse pro teneritudinis suæ conditione, quæstionem de mendacio sibi eo fine propositam fuisse, ut illud solum, quod impossibile sit a Deo fieri, edoceretur, neque se tum ausum fuisse, quidpiam aliud, quod

(*n*) *Hugo Grotius, Puffendorffius, Heineccius* &c.

(*o*) *Montesquieu. Esprit des Loix.*

(*p*) *Rousseau. Discours sur l'inegalité parmi les hommes.*

quod a Deo fieri nequeat, palam effari, quamvis jam revera in intima animi sui conscientia resplenduerit: spacium illius cubiculi, in quo simul loquebantur, a Deo pariter annihilari non posse (*q*). Hoc placitum, ex magni *Neutoni* doctrina assumptum, tanto præjudicio dedit originem, ut *Clarkius* putaret, impossibilitatem illam præ omnibus aliis naturali lumine sibi affulsisse. *Clemens Alexandrinus*, a pueris Philosophiam Stoicam sectatus, cum deinde Christianas institutiones adornare cœpit, multa congessit, simillima placitis Stoicorum, veluti illud paradoxum: ***neminem esse divitem, præter Christianum*** (*r*). Quod utique ex illo paradoxo Stoico deduxit: ὅτι μόνος σοφὸς πλούσιος, *quod solus sapiens sit dives.* Cicero certo iisdem fere argumentis hoc paradoxum Stoicum, quibus Clemens Alexandrinus suum stabilit (*s*). Quid Peripateticis suo est Aristotele, quid Cartesianis suo duce verius? adeo ut nec audire velint doctores alios, nec illorum sententias examinare; Quod si autem insignes viri, proprio eruditionis robore valentes, Scholarum præjudicio contaminati sunt, quam deteriorem sortem experientur illi alii, qui ex solis magistris sapiunt, quosque in ætate juventutis ardentissima magistri, ipso titulorum suorum fastu vim intellectui inferentes, primis institutionibus fascinarunt?

§. 82 Non pauca etiam præjudicia fluunt ex religionis delectu; *Præjudicia fluunt ex religionis delectu.* sis protestantes quidam, dum Romanum Pontificem perpetuis calumniis lacessunt, eum depingunt aurita facie, ceu cacodæmonem & Antichristum, tanto implent horrore filiorum animos erga catholicum cultum, ut hi adultiores facti, ex sola religionis suæ incitatione Catholicorum sacra dogmata cane pejus & angue aversentur, patrum iniquitate in filios transeunte: Pagani ob ardentissimum falsorum Deorum cultum Christianorum Evangelium male præjudicarunt, ceu aris suis & focis inimicum, & grandia prodigia, a Deo amicorum suorum intercessione edita, habuerunt pro imposturis: *Zosimus* paganus historicus Osium episcopum Cordubensem, ad Constantini Magni, ad Christianorum sacra transeuntis, aulam admissum,

(*q*) *Wisthon apud Chauffepié. Diction. histor. critique, ad* Clarcke.

(*r*) *Clem. Alex. Lib. III. Strommatum. Cap.* 6.

(*s*) *Cicero Paradoxo VI.*

vocat magum Ægyptium: Ipſi Chriſtiani, odio in gentiles perciti, idolorum oracula, tanquam inhabitantium dæmonum reſponſa criminantur, cum tamen ipſi paganorum ſapientes, veluti *Oemaus*, apud Euſebium, ea jure deriſerint, & agnoverint eſſe impoſturas ſacerdotum, populo variis artificiis illudentium (*t*); ſed præjudicium ex tanta cultus oppoſitione obortum, induxit Chriſtianos, eadem oracula non ad homines impoſtores, ſed ad cacodæmones referre (*u*).

Præjudicia a ſociis vitæ. §. 83. Eadem, & forte etiam majore vi pollent vitæ ſocii ad ingerendum præjudicatas mentibus noſtris opiniones, propterea quod paſſim ob morum & cogitandi ſimilitudinem delectis, atque in amico conſortio, ſine magiſtrorum ſupercilio ſententias evulgantibus, ordo prorſus naturalis pateat influendi in animos ſociorum. Quis neſciat communem, veteribus etiam uſitatam parœmiam: eum certo claudicaturum, qui penes claudum habitet. *Libri rationem habent ſociorum.* Sed & libri ſociorum nomine jure compellantur, non placent omnis generis & argumenti omnibus, quilibet ex iis idoneos in lectionis ſocietatem adſciſcit; & quoniam clandeſtinis artibus multo promptius varii libri, ubivis gentium magna copia ſparſi, quam ſocii, ad genium cujusque accedentes, obtinentur, licebit ſecuro judicio quemlibet eſſe ejusdem indolis cum delectis a ſe ad legendum libris exiſtimare, quemadmodum & ex vitæ ſociis, qualis quisque ſit, indubitato cognoſcitur.

Præjudicia ex ſæculi cujusque indole aſſumpta. §. 84. Denique & ſæculi indoles Judicia noſtra non raro in præceps agit: ſatis nobis plerumque eſt ad conciliandum robur noſtris ſententiis, conſuetudinem temporis appellare: omne ſæculum, dicimus, genio ſuo gaudet, & ſententias fert, alio rurſum tempore non valituras; interim non attendimus latentem in hoc ſæculi more fallaciam, veritati ad nullum tempus adſtrictæ, occulte adverſantem; errat ut plurimum turba; & niſi quis ex ruentis multitudinis impetu altius poſſit mentem attollere, næ! ille veritatem, tranquilliori receſſu gaudentem, vix amplexabitur. Libet auream *Senecæ* ſententiam deſcribere: *nihil ergo magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu*

(*t*) *Euſebius Lib. IV. Præparat. Evangel.*

(*u*) *Fontenelle. Hiſtoire des Oracles. Diſſert. I. Cap. 7.*

ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorum exempla nobis multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere, videas licet: nemo sibi tantum errat, sed alieni erroris & causa & auctor est; nocet enim applicari antecedentibus, & dum quisque mavult credere, quam judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur: versatque nos, & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis (x).

§. 85. His sub malis institutoribus, pejori nomine *oppressores nascentium animorum*, non voluntatis, sed ineptitudinis vitio compellandis, juventus misere domi forisque exacta, quid referre aliud possit post plurimas cognitiones, quam egestatem mentis, erroneis notionibus, ipsa ignoratione deterioribus, laborantis? quæ quidem mens, si recte suis viribus sapere liceret, id unum deberet plangere, se felicis ortus & naturæ primordia alieno delicto sic perdidisse, ut rebus afflictis unicum illud porro remedium possit accedere: consulto plurimorum, quæ rudibus annis percepta sunt, penitus oblivisci: præcoces fructus præteriti temporis nova sedulitate ejicere: excedere veluti ex se ipso; judicium ne pertinax sit, adcurare, aut etiam ut plurimum suspendere: atque novo studio idearum, precario susceptarum sinceritatem periclitari. Quod quidem, quia a paucis ea, qua ratio succrescens postulat, ætate fit, mirum non est, tot provecta etiam ætate pueros, nonnisi nutricis & familiarium ineptiis imbutos, ubivis cum tanto recte cogitandi dispendio reperiri. *Educationis malæ felix est oblivio.*

§. 86. Verumtamen ne tanti negocii opus, educationem, a meo quidem scopo alienam, omnino præteriisse videar, dum de recte cogitando, instituendoque agitur, summa illius duntaxat capita strictim percensebo. Duplex itaque est educationis partitio; altera ad *Educatio est duplex animi, & corporis.*

(x) *Seneca de beata vita. Cap.* I.

ad animi formationem refertur: altera in corporis cura, & valetudinis confirmatione consistit; utraque adeo necessaria, ut hæc neglecta alterius vim, & emolumentum tollat e medio. Harum prima, ab ipsa animi dignitate præstantior, a virtutum inspiratione, utut infantes adhucdum sint ad plene intelligendum impares, sumat initium, ut ita usu magis & consuetudine, quam austeritate præceptorum impulsi, ignorent, natura, an aliorum formatione susceperint pulcherrimarum actionum imaginem, in futuræ vitæ tempus permansuram. Coërceantur tempori ab infrunitis passionibus, a contagione vitiorum, ab abjectione, omnique turpitudine, quam quidem in innocente ætate, nullis sibi adhucdum lenociniis commendatam, solo præpositorum suorum judicio facile proscribent (y). Veram sine fuco devotionem doceantur. Nihil ipsis tradatur de historiis fabulosis, de anilibus superstitionibus, & magia nugacissima; hæc enim præterquam quod cogitandi rationem pervertant, eamque a veris trahant ad falsa & fanatica, etiam terrent imaginationem imperitorum, ipsiusque etiam vitæ non raro ingerunt fastidium. Commendetur iisdem candor animi, præcipue in omni sermone ad obtinendam fidem relucens: cum de re quapiam quæritur, aut omnino non loquantur aliter ac sentiunt; sic turpi adulationi præcident filum.

Prima informatio sit ad virtutem.

Optimis ideis juventus imbuatur.

§. 87. Ideæ juvenibus suggerantur, quæ optimæ sint, atque ad eorum indolem & ætatem maxime accommodatæ; initium fiat a rebus physicis & circumpositis, tum ad intellectualia transeatur. Atque utinam vir quispiam multa rerum cognitione illustris, & in longa erudiendæ juventutis meditatione attritus, id sibi operæ assumat, ut Logica aliqua in lucem prodeat, qua ordo & methodus tradatur, infantes statim a primis unguiculis manuducendi ad recte cogitandum; ejuscemodi enim lucubratio, in tanta hodie librorum copia, etiam post insignes conatus *Lokii* (z), *Fenelonii* (a), *Rollinii* (b), adhucdum desideratur.

§. 88.

(y) *Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,*
Si modo culturæ diligentem commodet aurem
Horat. I. Epist. I. v. 39.

(z) *Lokius. Education des enfans.*

(a) *Fenelon. Traitè de l'education des filles. Telemaque.*

(b) *Rollin. La maniere d'etudier.*

§. 88. Annis procedentibus ſolerti oportet cura invigilare, in quamnam potiſſimum artium aut ſcientiarum natura quemlibet, e faſcibus evolutum, deſtinarit; cujus quidem indicia mature, nec diſſimulato impetu, proferre juvenes ſolent. Generalia autem ſubſidia ſingulis, in quidquid cæteroquin ferat animus, accedant in quotidiano commercio: *Arithmetica*, *Geometria*, *hiſtoria* & *linguæ exteræ*, quarum peritiam non modo politior ſocietas ubivis gentium, ſed etiam ſcientiarum inſtitutum, tanquam ſuppetias, apprime neceſſarias, hodie depoſcit (§. 717.). Et ſane quid miſerius, quam pretioſum tempus, quod judicio idoneum hominibus in virili ætate conceditur, breve admodum, & vix tot rebus agendis ſufficiens, in his linguis diſcendis ſæpe moleſte conteri, quæ humentem memoriam juventutis inter ſolita illius ætatis otia prompte atque alacriter ſubiiſſent?

Generalia ſubſidia omnibus juvenibus traduntur.

§. 89. Non tradantur præceptoribus, niſi probatiſſimis, a mentis cordisque integritate commendatis. Sæculi labes eſt, & non ferenda cæcitas, quod tanti diſcriminis opus, educatio, cui ſalus & felicitas patriæ innititur, a parentibus paſſim conferatur in ineptos mercenarios, operam ſuam non virtutis, ſed queſtus cauſa offerentes, quibus ſi nomen, pallium & profeſſionem tollas, nihil ſuo munere dignum inerit. Publici profecto intereſt, calamitatem hanc, impune graſſantem, in melius revocari. *Philippus* Macedo *Ariſtotelem*, ea ætate ſummum, filio ſuo *Alexandro* præceptorem delegit, cujus injuncti muneris gravitatem atque excellentiam colligimus ex data a *Philippo* ad *Ariſtotelem* epiſtola (*c*). *Cicero* filium ſuum *Marcum* ad *Cratippum*, tum Philoſophorum principem, quem audiret, Athenas in Græciam ablegavit (*d*) &c. Sapienter quidam Patri, filium ſuum ſervo, vili mente donato, inſtituendum tradenti reſpondit: bene equidem! filium ſervo erudiendum dediſti, duos ſervos unius loco paulo poſt obtinebis.

Optimis præceptoribus Juventus inſtituenda tradatur.

Ariſtoteles Alexandri M. præceptor.

§. 90.

(*c*) *Circumfertur Philippi Macedonis ad Ariſtotelem epiſtola, in qua habetur:* Gratias, quas ego maximas Diis immortalibus debeo, non in eo ſolo ſunt, quod filium mihi benigne largiti ſint, ſed quod eum largiti ſint te vivente; tibi illius educationem injungo, ſperans, ut eam & te, & me dignam præſtes.

(*d*) *Cicero Lib. I. Officiorum.*

Indulgentia & liberalitate juvenes foveantur.

§. 90. Indulgentia & liberalitate, nisi protervus stimulus secus jubeat, foveantur juvenes, ceu hospites, humanæ vitæ adyta recens ingressi: facilis & obsequens animus e beneficiis & amore nascitur: e duritie & pugnis ferus more belluarum (*e*). Non urgeantur ad discendum molesta, aut atroci disciplina; nam quæcunque colimus pœnarum metu, eadem tristi fastidio solemus aversari, & concepta a puero odia, nescio qua horroris consuetudine, ad senium quoque deducimus. Leges patriæ Lacedæmoniorum puniendi severe juventutem, subito ac judicium præcipitavit, aut præter institutum locuta est, aut omnino non respondit, haberi debent pro obsoletis monumentis durissimi cultus, Spartanorum ingenio inter omnes Græcos peculiaris, a quo mitior indoles nostrorum temporum abhorret.

Lacedæmonum disciplina Juventutis.

Omni Juventuti, etiam rusticæ de magistris provideatur.

§. 91. Cæterum optimorum magistrorum opera omni hominum ordini in universum accedere debet; si enim plenum laudis est & ornamenti, informari variis exercitiis nobilem juventutem a præclaris magistris ad elegantias aulicas, ut dulcissimo studio luculentum avorum fastum æmulentur; si variarum artium professores, commoda & delicias in Rempublicam invehentes merito nutriuntur magnis stipendiis; cur sola agrestis soboles, duris laboribus ad aliorum sustentationem, & parandas divitias nata, abjecta esse debeat, sine delectis artis rusticæ præceptoribus? ut cæco duntaxat patrum suorum ductui obsequens, agriculturam, regibus olim usitatam, infeliciter exerceat, quæ alioquin, si colonorum ingenia aptius disponerentur, fructus multo uberiores reddidisset. Mirandum sane est, quomodo bona Reipublicæ procuratio eo prolabi possit, ut neglectis hisce necessariis potissimas curas in fastum atque delicias convertat.

Educatio Corporalis.

§. 92. *Educatio corporalis* non minori cum sollicitudine peragenda est; valere enim corpus debet, ut animus inhabitator valeat. Sua sit in hac educatione duritiei, sua tenerioribus fomentis moderatio. Utriusque excessus corporis fabricæ est perniciosus: *Petrus* M. Russiæ Imperator ut promoveret rem nauticam, & classes parciori

Petri M. factum.

(*e*) Pudore & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu. *Terent. in Adelph. Act. I. Scen. I.*

ciori ſumptu ad prolixas expeditiones inſtrueret, neceſſitatem antevertens, juſſit nautarum filios aqua marina enutriri; mortui ſunt omnes. Nec principes quidem humanam naturam expellunt feliciter. Specialia de cibo, potu, quiete, & reliqua vitæ ratione, ad hanc educationem pertinentia non perſequar, de quibus præſtantes viri (*f*) uberrime data opera præceperunt.

§. 93. Sed jam ad eas dotes, quas regionum climata infundunt humanis animis, convertenda eſt oratio. Norunt alienigenæ non pauci *Gaſcones*, *Calabri*, *Slavi*, *Tyrolenſes* &c. quam ſæpe contumeliis perfricentur apud exteros, non tam actionum ſuarum, quam originis culpa. Vix unquam alienæ patriæ cælum extollitur, dum gentium ſingulæ exiſtimant, ſuum natale ſolum dignitate & eminentia longe præſtare cæteris (*g*): rectoque vertice ſe ſolos in cælum erigi: alios populos miſere inclinari ſupra pendentem horizontem: alios inverſo corpore eſſe infelices Antychthonas; cum tamen commune cælum, undequaque ſupra globum terraqueum extenſum, æquali facultate donarit omnes incolas ex centro ad cæli circumferentiam rectum corpus attollendi. Sunt nihilominus vera etiam, & diverſa ſuis quæcunque climatum habitatoribus inſignia, non in corpore duntaxat, ſed & in animo deſcripta; nam prætérquam quod homines, ambobus polis ſubjecti, exiles nani ſint: alii projecti ad Zonam torridam, mauri: quidam cum Ægyptiis fuſci: alii eleganti candore venuſti: nonnulli per omnem generationem ſimii, & deformes &c. etiam eorum animi, in vario vultu a natura depicti, corporum diſcrimina æmulantur. Atque in hoc ſe profitentur genuinos terræ filios, ad matris luſum varietatemque compoſiti, quæ hic quidem in planitiem deducta, ibi ſublata montibus, alibi arida, alibi lacubus interfuſa, hinc æſtu torrida, illinc damnata ad brumas, alibi in ipſa temperatione inconſtans pignorum ſuorum ingeniis uberrime prælusit.

Variæ dotes climatum refunduntur in homines.

Varia figura corporum humanorum in variis climatibus.

K 2 §. 94.

(*f*) *Vide* Education medicinale des enfans par Bronzet. *Item* medicine de l' Eſprit par Ant. Camus ao. 1753.

(*g*) *Olaus Magnus, cum Suecus eſſet, amore patriæ ſuæ cenſuit, terram promiſſam imo paradiſum in horrida illa ſeptentrionali plaga extitiſſe.*

Aër, exhalationes, nutritio &c. diversificant mentem.

§. 94. Si enim nubilo tetricoque cælo passim experimur gravari animum, alacritatemque illius propemodum succidi, supercilia dejici; erigi autem rursum & exsuscitari ad appulsum sereni temporis, sensibus verna lenocinia repandentis: si corpus cibis opiparis, & felicis cujusdam soli succo turgentibus pastum mentem depressam eliberat in fertilitatem admirabilem; quanta fortiore vi non adiget proprius cuilibet regioni spiritus suos incolas in certa studia & mores, quibus incolis æternas aëris, aquarum, fructuum, exhalationum &c. leges, nativitatis & domicilii subjectione indixit? Atque inde est, quod populorum nonnulli in hilaritatem & lepores diffluant, alii contabescant antiquo tædio & lentore suorum avorum, alii promptissimi sint ad excogitandum, alii plumbei & ad pleraque inepti, singuli munera sui climatis ostendentes.

Montium habitatores plerumque rudes & superstitiosi.

§. 95. Porro experientia compertum est, habitatores montium & cavernarum ob malevolentiam insolitarum exhalationum atque influxuum ut plurimum esse rudes, fanaticos, mirabilium assertores; quippe assueti portentis suorum meteororum, & abruptis temporum conflictibus aguntur ignavo desiderio prodigiorum omnis generis. Semper in montibus & cavernis Deorum sedes, colloquia & oracula claruerunt. *Parnassus*, *Olympus*, antrum *Sybillæ* &c. id testantur. Bœotia, montibus & cavernis aspera, oraculorum famam in tota Græcia maxime aluit; quo populi delirio deinde inducti sacrificuli Fanaticismum per imposturas altius evexerunt. Quid enim ad decipiendum accommodatius cavernis, & stupido populo, prodigia aspirante? Neapolis Vesuvii, sulphurearumque terrarum exhalationibus suos incolas tantis ardoribus comtemperat.

Septentrionalium plagarum indoles.

§. 96. In septentrionalibus plagis frigidus aër corporum, quæ ambit, elaterium acuit, porosque adstringit, quo minus insensibili transpiratione, quæ omnium evacuationum maxima esse solet, occupentur; retenti hi humores una cum illis aliis, quos constans nutritio suppeditat ex alimentis, ad æquilibrium reducti, juxta motus leges fluidorum per corporis machinam distribuuntur: unde grandia, succulenta & fortia hominum septentrionalium corpora, quorum moles gratiæ teneritudinem opprimit; quin imo ubi deserta, lacus

lacus, nives abundant. etiam Vestigium ferocis climatis in vultu immiti incolarum desigitur.

§. 97. Ex hac valida corporis constitutione mores & animi habitus illarum gentium deducuntur: fortitudinis suæ conscii, intrepidi sunt septentrionales, & securitatem in se repositam habent; neque vindicta, neque suspicionibus, neque astutia aut falsitate laborant, sed sinceri ab eo, quod libero judicio elegerunt, non recedunt facile, suntque ad tolerantiam laborum robustissimi; largiori potu & commessationibus delectantur: præcipue clarent bellica fortitudine. Certo omnium sæculornm historiis docemur, Dominia populorum ex Septentrione in Austrum processisse, nunquam vicissim: *Assyrii Chaldæos* vicerunt, *Medi Assyrios*, *Græci Persas*, *Parthi Græcos*, *Romani Athenienses*, *Tartari Chinenses*; *Cimbri* & *Teutones*, antiquissimi Daniæ populi orbem terrarum ad meridionales plagas victoriis concusserunt. ***Animi habitus septentrionalium.***

§. 98. Meridionales toti oppositi sunt corporis animique conditione septentrionalibus; ob calorem, fibrarumque laxitatem in otium & timorem conjiciuntur; hinc facile auctoritate potentium perculsi, mancipatum ineunt, majorem in otio servitutis, quam renuendi ambitione felicitatem reponentes (*b*). Transferantur strenui fortesque milites ex Borea in Austrum, emolliuntur priorum ausuum impares, ad climatis genium conformati (*i*). Persæ audaces, in Indorum sedes translati, post tertiam generationem induunt patriam Indorum ignaviam. (*k*). Sed etiam indolem & cogitandi regulas ***Meridionalium gentium character.***

(*h*) Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cæli:
Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator.

Lucanus Pharsal. Lib. 8.

(*i*) *Hæc nativa timiditas non obstat, quo minus apud Indos viri, fæminæque, maximis se malis conficiant, & fæminæ præsertim, conjuge orbatæ, etiam vivas se comburant; nam natura indidit illis populis cum debilitate corporis, timiditatis causa, etiam imaginationem vehementem, vi cujus omnes acerbitates præacuto horroris sensu aversantur, & non raro ipsam mortem quibusdam afflictionibus anteponunt.* ***Indorum consuetudo.***

(*k*) *Bernier Tom. I. pag.* 282.

Philosophia Indorum climati accommodatur. regulas plerumque populi accommodant regionum nævis: Indorum Philosophi *quietem* & *nihilum* constituunt ultimum rerum, & desideriorum finem: Deum ipsum nominant *substantiam immobilem.* *Foë* Indorum Legislator ait: *oculos & aures habemus, sed eorum perfectio est, nihil videre, nihil percipere: os, manus &c. habemus, sed horum omnium perfectio est, actionibus eliberari* (*l*). Pessimi illi fuerunt Legislatores, qui vitia temperamentorum, ex climatis indole provenientia, non impugnarunt (*m*). Male etiam populo consulitur, cui leges, pro alterius cæli populo latæ, imponuntur; passim temperamentum & sentiendi norma amicitiæ climatis devinciuntur. Ipsarum etiam religionum institutio, ac præcepta uni magis quam alteri climati proportionantur; Certo stupida & fanatica secta Mahumetana meridionalibus Turcis insedit; quippe temperamentorum normam etiam vitæ officia sequuntur (*n*). Hæc forte causa est, quod disciplina veteris orientalis Ecclesiæ multum differat ab hodierna; quamvis dogmata Christianæ religionis in utraque perpetuo illæsa puritate conspirent (*o*).

Speculationibus & fraudibus meridionales delectantur. §. 99. Eadem calidarum regionum molestia inhabitatores suos magis exacuit ad quietas speculationes, quam ad exercitia corporis, & artium labores. Monachorum & anachoretarum contemplantium status in calidis orientalium plagis cæpit initium: *Therapeutæ* in Alexandrina ditione: *Paulus* & *Antonius* in Thebaide Ægypti &c. (*p*). Quinimo Indorum & Turcarum monachi, vulgo *Dervisch*

(*l*) *Apud du Halde Tom. III.*

(*m*) *Imperator Sinensium eum civem quotannis creat Mandarinum octavi ordinis, qui omnium diligentissime rem rusticam exercuerit.* Venty *tertius imperator tertiæ dynastiæ, propriis manibus terram coluit, & imperatricem suam voluit serica fila ducere, ut climatis desidiam expugnaret.*

(*n*) Motesquieu Esprit des Loix Liv. 24. Chap. 6. *existimat: septentrionales ob climatis duritiem esse subjectionis intolerantes, atque ita magis esse ad hæresim, & Reipublicæ formam comparatos; meridionales vero, ad obedientiam pronos aptius cum statu monarchico & catholica religione conciliari.*

(*o*) *Vide* Thomassinum de Ecclesiæ disciplina.

(*p*) *De* Therapeutis, *qui fuerint? vide eruditissimi Præsulis* Ferdinandi Hallweil *Episcopi Neostadiensis Dissertationem de* Primatu Pauli, *contra Fr.* Bosli *editam.*

viſcb majori numero reperiuntur, ubi climatis calor eſt major. Quo magis e Borea in meridiem proceſſeris, experieris magis incolarum ſimplicitatem in aſtutiam degenerare, non raro etiam in acumina ad evehendas vitiorum illecebras; fraudibus oppido vacant, quibus nempe fatigia corporum compenſent. Mendaces ſunt, garruli, acuti, volatiles, quod præcipue de Mauris illi teſtantur, qui eorum terras peragrarunt (*q*).

§. 100. Verum, quæcunque ſit, aut fuerit variorum climatum ſeu clementiæ, ſeu horroris pertinacia: quantacunque ſit vis illorum occulta inflectendi habitatores, nunquam tamen factum eſt, ut incolæ conſtanter ſequerentur iisdem moribus, eodemque animi habitu invariabilia ſuarum regionum fata: gentes olim armis exercitæ, & fulmina bellorum, veluti *Athenienſes*, *Carthaginenſes* &c. hodie ſervitutem, & ignava otia vivunt: aliæ cum *Moſcovitis* in Barbariem olim nati, hodie facilioribus animis manſueſcunt: aliæ ex civili cultu rurſus ad ſtipatum prima caligine ingenium rediverunt: Inculta quondam & inhoſpita tellus *Britannia*, nunc felix omnium Muſarum eſt patria: fortuna vetus græcarum artium *Sculptoriæ*, *pictoriæ*, *oratoriæ*, *civilis*, *bellicæ* &c. in alias multo obſcuriores terras conceſſit; ut non immerito humanæ ſocietatis & artium gloria perpetuo ex his in alias plagas proficiſci, has deſerere, illas longo veterno oppreſſas reviſere, & in ſingulis gentibus redeuntes ferias agere videatur. *Gentium mores mutantur in eodem climate.*

§. 101. Ridiculi certo ſunt illi, qui ex ſingularibus quibusdam ſui ſæculi hominibus, aut ex obſoletis libris, ſine ullo præteritarum revolutionum examine, dotes ac ingenium nationum *Hiſpanæ*, *Gallicæ*, *Suecicæ*, *Moſcovitæ* &c. conſtanti colore deſcribunt; veluti ſi quis Capucinum, ex occidente in orientem appulſum, interroget: quæ ſit Germanorum, aut Italorum veſtiendi ratio? ille reſpondeat: ibidem homines eſſe nudis pedibus, & cucullo ſuperindi. Aut ſi quis roget in Italia Religioſum Ordinis Minimorum: quis ille ſit in Galliis guſtus exquiſitus cupediarum menſalium? ille reponat: in Galliis victitare homines ſolis leguminibus, herbis, piſcibus, oleo condi- *Plerumque characteres gentium ex libris aut ſingularibus hominibus deſcribuntur.*

(*q*) *Vide* Les Voyages de Cado moſto ao. 1455.

conditis; affluens peculiarium hominum lacinias integræ nationi; quod utique non respondisset, si mores totius populi inspexisset latius; aut si intellexisset, hominum pronitatem, a climate suppeditatam ad nutum gubernii, & principum sapientiam plerumque accommodari.

Forma gubernii format homines.

§. 102. Præcipua itaque causa, humanam indolem excolendi, atque ad varias virtutes traducendi est forma publici regiminis, quæ suis constituta legibus id toti provinciæ aut nationi præstat, quod educatio particularibus in paterna domo; sicut enim hi, ita & illa suam vitæ rationem ex institutionis moderatione assumit. Quotquot gentes ad fastigium gloriæ unquam eluctatæ sunt, aut ex fama nominis in obscuritatem, & contemptum reciderunt, fortis suæ fabricatorem habuerunt gubernium; quod quidem revolventi historias gentium perspicue cernitur.

Primorum Patriarcharum felix gubernium.

§. 103. Id verum est, primos Patriarchas feliciorem spartam publicæ administrationis esse consecutos; eos quippe cives paternis legibus formabant, ac moderabantur, qui, quo propius aberant ab innocentis naturæ incunabulis, quo minus erant aut ab artium subsecutarum illecebris corrupti, aut ad luxum & titulorum cupiditatem elati, eo quoque pronius publicam felicitatem, in mutuis officiis, cura rei familiaris, agrorum cultura & pacis custodia positam, sunt æmulati.

Atheniensium felix Respublica.

§. 104. Sed & posterioribus quibusdam regnis veterum, præcipue Græcorum sidus, cum orirentur, optatius affulsit; erant quippe plerumque eorum fundatores Philosophi, sapientiæ fama incliti, veluti *Solon*, *Lycurgus*, Athenis & Spartæ, qui non solum sanissimis consiliis in Reipublicæ, & omnium civium felicitatem intenti, sed etiam edocti præclaris legibus *Minoïs* Cretensium regis, suam Rempublicam condiderunt. Non eadem omnino est omnibus regnis nostrorum temporum procuratio.

Monarchici gubernii imago.

§. 105. Nam in *monarchico gubernio*, in quo omnium civium animi in honores, ad imperantis majestatem certis gradibus accedentes, collimant, fuco plerumque & adulationibus agitur, etiam cum

cum propria abjectione, si modo servitus insignem fortunam spondeat, ex unius nutu atque favoribus dependentem. Cui fortunæ, favorumque libidini substratus populus quid aliud, quam timidam observantiam induat, liberæ mentis igniculos opprimentem, atque etiam evertentem optima cogitandi consilia; præsertim dum frequenter cernitur illustria merita postponi fluxis studiis beneplacendi (*), neque ullum honoris gradum esse adeo stabilem, quin ad alterius nutum eo excidere possis. Id etiam prope divinum monarchis accedit, quod ad eorum imaginem totus orbis componitur, feliciter equidem, si princeps grandi animo donatus, ea, quæ summa sunt seu ad virtutum, seu scientiarum, seu Reipublicæ incrementa, urgeat: infeliciter, si secus. Hinc sub Cæsare *Augusto* visum est felix sæculum Romanas res extollere: sub *Petro Magno* Russiæ Monarcha novo humanitatis spiritu horridus populus animatur: si *Alexander* inclinat caput, omnes aulici id inclinant (*r*): si *Dionysius* Tyrannus *Platone* Syracusas adventante Geometriæ dat operam, illico Geometria floret: ut primum artium amor a principe abjicitur, nullus in omnibus finibus comparet artifex: quid aliud Suecos ad bellicæ fortitudinis fastigium extulit, quam regis *Caroli* XII. incredibile exemplum, in omni discrimine, audacia & tolerantia facem præferentis? *Ad Principis exemplum componitur populus.*

§. 106. In *despotico gubernio* omnis educatio timores ingenerat subditis, dum dira lex unius, in suum commodum dominantis, coërcet omnes: nullus ibi eruditionis stimulus, nulla luculentarum virtu- *Imago despotici gubernii.*

(*) *In hac præpostera magistratuum creatione plerumque cernitur, eos, qui etiam summo atque amplissimo loco sunt positi, omnem suam excellentiam non a propria dignitate, sed a munerum fastigio mutuari; atque inde est, quod plurium sæculorum intervallo, cum multi ubivis gentium grande nomen distendant, paucissimos reperire liceat, exempla magnitudinis proponendos; quippe si eis officium tollatur, nihil continebunt quolibet e plebe illustrius. Inde porro est, quod rari illi ex vetustate viri* Solon, Lycurgus, Xenophon, Numa Pompilius, Jul. Cæsar &c. *hodiedum exempla permaneant magnitudinis, & grandes nostrorum temporum homines, si sepulchra eorum excipias, ære & marmore fulgida, nesciantur.*

(*r*) *Malebranchius de Inquisit. veritatis Lib.* 2. *Cap.* 2.

virtutum æmulatio (*s*); quin imo violentia, & ignorantia omnem late despotismi faciem funestat, sive subditos spectes, sive principantem: nihil ibi deliberatur, nihil dubitatur, nihil discutitur, quidquid placet, præcipitur, & executioni mandatur; quæ obsequendi officia, e solo timore profecta, sensim totam cogitandi, judicandique vim in humanis mentibus absorbent.

Aristocratia Græcorum.

§. 107. *Aristocraticum gubernium*, Græciæ civitatibus olim usitatum, ad bella, ceu præcipuum scopum cives suos excoluit, a prima statim infantia; omnes vero alias artes, luxum & questum respicientes omnium infimo loco habuit. *Xenophon* ait: plerasque artes corrumpere sectatorum suorum corpora, dum eos ad sellulas, ad umbram & focos perpetuo assidere cogunt, & absorbent tempus omne, amicis & Reipublicæ impendendum (*t*). *Diophantus* olim apud Athenienses constituit, ut artifices servorum & mancipiorum conditionem subirent in Republica, neque civitatis jure unquam donarentur (*u*). Certo agricultura, servile opus, prælio victis, & in servitutem redactis hominibus imponebatur, apud *Lacedæmonios* Ilotiis, apud *Cretenses* Periecensibus, apud *Thessalos* Penestiis &c.; quamvis deinde celebriores Respublicæ in Græcia curam rei agrariæ susceperint, hoc tamen non nisi post enatam Democratiam, cum prius in plerisque civitatibus Aristocratia obtineret (*x*). Eadem aversione etiam mercaturas Græci abhorrebant; noluerunt quippe, ut cives sui officia exteris Barbarorum nationibus impenderent; *Plato* certo puniri jubet civem, mercaturis deservientem (*y*). Ex quibus legibus Græca juventus infinita præjudicia hausit contra artes, merca-

(*s*) *Aristoteles Lib. I. Politic. nullam esse veram mancipiorum virtutem asseverat.*

(*t*) *Xenophon Lib. V. Dictorum memorabilium.*

(*u*) *Aristoteles Lib. III. Politicor. Cap.* 7.

(*x*) Cicero *filio suo agriculturam magnopere deprædicat:* omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. *Hanc plurimæ cultissimæ gentes a diis ipsis inventam & excultam, suspexerunt. Hanc Patriarchæ & reges in deliciis habebant; neque prius contemni cœpit, quam luxus & voluptates atque metallorum usus, omnibus rebus æquiparatus, invaluit.*

(*y*) *Plato Lib. II. de Legibus.*

mercaturam, agriculturam, e quibus aliæ gentes tanta præſidia repetebant, & nil aliud prope ſtatim a teneris, quam arma, gymnaſticam & ferocitatem ſequebantur Græci.

§. 108. Id in univerſum de guberniis, non provinciarum modo, ſed & particularium cœtuum obſervatione dignum eſt: quod, ſi legibus ducantur, ad rationem, humanitatem, & juſtitiam exactis, homines, quibus uſitatiſſimum eſt, vincula ſuarum actionum diſcutere & examinare, facile & prono animo ad eorum ductum componantur: quod ſi cauſam noſſe deſideras: eccur cœtus quidam ad vilitatem & contemptum projecti ſint, & ſolo timore, ſine rationis uſu, quod pecora ſolent, obſequantur: ſuperſtitioſi: in parvis rebus magni: in rebus maximis ludicri & imbecilles: alii autem ſint honorati, & ſuperiori quodam ſanæ mentis lumine, quod eis omni lege eſt ſanctius, in pulcherrimis officiis contineantur? eorum Magiſtratus intuere, & cauſam reperiſti. *Obſervatio omnium Guberniorum.*

PARS II.

De Reflexione simplici, seu Judicio.

Reflexio est altera & præstantissima mentis operatio.

§. 109. Præjacto fundamento de ideis, deque optima eas acquirendi ratione, ad alteram mentis operationem, nempe reflexionem procedimus, cui ideæ illæ ceu materia deserviunt; quo autem clariores allatæ fuerint pro reflexionibus ideæ, eo securius & dignius judicabitur. Porro præstantissima mentis operatio est reflexio, a qua totum dependet humanarum mentium discrimen; hæc vero duplex cum sit *simplex*, & *composita*, agetur in hac secunda parte de *reflexione simplici*, seu judicio, atque de *veritate*, præcipuo illius objecto, & in tertia tandem parte de reflexione composita, seu ratiocinio, quod ex una veritate cognita, alteram recte inferre docet.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit reflexio simplex, seu Judicium?

Quid, & quotuplex sit Judicium?

§. 110. Judicium est *interna mentis sententia, quæ ideas invicem comparatas, vel ad se mutuo pertinere decernit, vel ab invicem submovet;* quod vel affirmando fit, vel negando. Hæc sententia fundatur in simplici conscientia, & intuitu idearum, se mutuo includentium, aut excludentium (z).

§. 111.

(z) *Nec quisquam valor inest summis etiam ingeniis, quæ maturo judicio destituuntur. Notum est illud epitaphium, sarcasmo plenum, quod nuper viro doctissimo, vastam eruditionem suam inepte confundenti, adscriptum fuit:* hic jacet ingenium, in expectatione judicii.

§. 111. Quodsi menti collibitum sit, consistere in perspectis ideis, mutuo se aut includentibus, aut excludentibus, quin ad judicii munus procedat, poterit hoc utique agere, & tum ultra simplicem propositionem non procedet: quod si vero quis & judicare voluerit, actum seu sententiam efferre debet, super idearum suarum nexu pronunciantem. *Ideæ simplices recipiunt suum nexum.*

§. 112. Nemo non advertit, quam rectum judicium ab ideis claris, atque ad rem ipsam exactis dependeat; quod lumen idearum si deficit, abstinendum est a judicio, nisi amens quis esse, & videri velit. Profecto si judicia nostra severius inspicimus, experimur non raro renitentis conscientiæ objurgationem, nempe ob sententiam, præter animi ductum pronunciatam; quæ certo quædam species fallaciæ est, nempe plus verbis exprimere, quam quod mentis deposcit intima conscientia. *In Judiciis cura habenda est idearum clararum.*

§. 113. Cum internum judicium verbis exprimitur, dicitur *enuntiatio*, seu *propositio*, quæ duabus præcipue ideis constat, *subjecto* nimirum, de quo aliquid affirmatur, vel negatur, & *prædicato*, seu attributo, quod illud est, quod de subjecto affirmatur, vel negatur. Duæ hæ ideæ, bene prius discussæ & examinatæ, copulantur verbo, ita ut simplex judicii assensus in illo uniente verbo fundetur; veluti: *anima est immaterialis: materia non cogitat*, seu non est cogitans. Quodsi prædicatum conveniat subjecto, est *enunciatio vera*, si vero eidem disconveniat, *enunciatio falsa*. *Judicium constat prædicato, subjecto, & verbo.*

§. 114. Quodsi verbum duas illas ideas, *subjectum* nempe & *prædicatum* uniat, dicitur *propositio affirmans*; quod si vero alteram de altera separet, dicitur *propositio negans*; & tunc negans vocula verbum afficit; veluti: *materia non cogitat*; si enim subjecto, vel prædicato apponatur, alius eruetur ex enunciatione sensus. Sic *anima humana potest non mori* distinctum sensum parit ab hac enunciatione: *anima humana non potest mori:* prior hunc sensum habet: *animam non mori est possibile*; seu fieri potest, ut anima non moriatur; altera hunc: *impossibile est animam mori.* Qui duo sensus sane diversi sunt. Hinc cum Ecclesia definivit, animæ immortalitatem *Propositio affirmans & negans.*

esse naturali lumine demonstrabilem, existimant eruditi (*a*), definitionem Ecclesiæ in priori sensu esse factam, cum particula *non* subjectum afficiat.

Particula non, non semper variat enunciationem.

§. 115. Aliæ rursum sunt enunciationes, quarum sensus vix immutatur, seu ponatur particula *non* ante verbum, seu ante prædicatum. Sic idem sonabit: *angelus non est corpus*, & *angelus est non corpus*. In hac secunda enunciatione dicunt Scholastici particulam *non* sumi *infinitanter*. Item: *idea trianguli est notio*, *non involvens contradictionem*, & *idea trianguli non est notio involvens contradictionem*. Priores enunciationum harum sunt *negativæ*, posteriores *affirmativæ*, eundem sensum habentes. Nequit tamen valor ejuscemodi propositionum certis legibus definiri, sed plerumque dependet ab acumine mentis, & claritate idearum, atque diligenter expendi debent ab illis, qui justas interpretationes volunt adornare.

Prædicata quæpiam perperam videntur esse negativa.

§. 116. Plurimæ voces juxta Grammaticorum regulas videntur esse *negativæ*, quæ tamen reipsa *positivæ* sunt; sic in hac enunciatione: *Deus est infinitus*, prædicatum *infinitus* notat ens, in quo omnes perfectiones actu continentur. Aliæ voces secundum grammaticorum normam *positivæ* sunt, revera autem haberi debent pro *privativis*, aut *negativis*, veluti *opacus* significat privationem pellucidi; & hæc enunciatio: *marmor est opacum*, per negationem sic exponitur: *marmor non est pellucidum*; neque enim omne oppositum adjectivi cujusdam positivi explicitam negationem habet; veluti *siccum*, quod humido privative opponitur &c.

Prædicatum plerumque non patet tam late, ut subjectum.

§. 117. Idea subjecti plerumque latius patet, quam idea prædicati; *prædicatum* quippe est id, quod subjecto inesse dicitur aut tanquam pars, aut proprietas, aut certo ut modus, veluti: *Geometria est pernecessaria pyrotechnis*; est quippe etiam aliis, veluti Astronomis, mechanicis, opticis &c. necessaria (*b*). Ex hac amplitudine notio-

(*a*) *Udalricus Weis de emendatione intellectus humani Part. II. Sect. 2. Cap.* 19.

(*b*) *Etsi genus ponatur pro prædicato, veluti:* homo est creatura rationalis, *quia tamen subjectum* homo *plures perfectiones continet, quam quæ per prædicatum* creatura rationalis *explicantur, jure dicitur subjectum etiam in ejuscemodi enunciationibus latius patere prædicato.*

notionis, agnoſcitur ſubjectum a prædicato, etſi primo loco non poneretur.

§. 118. Enunciatio, cujus ſubjectum eſt idem, quod prædicatum, dicitur *identica*; veluti: *triangulum eſt triangulum* &c. item ſi res definienda ponitur loco ſubjecti, & ipſa definitio pro prædicato. *Enunciationes identicæ*, quæ plerumque ludicræ ſunt, quandoque valent ad energiam, & emphaſim ſignificandam, veluti: *luna eſt denique luna*, id eſt mutabilis; *vitrum eſt vitrum*, nimirum fragile; ſed tum non ſunt proprie enunciationes *identicæ*. *Enunciatio identica.*

§. 119. Propoſitiones aliæ ſunt *univerſales*, aliæ *particulares*, aliæ *ſingulares*, aliæ *indefinitæ*. Peripatetici aſſeverant, eas eſſe enunciationes univerſales, quarum ſubjectis addita eſt particula univerſalis, veluti: *omnis*, *nullus* &c.; ut: *omnis homo eſt rationalis*, *nullus homo eſt lapis*. Hæc autem doctrina nimis grammaticen olet, neque etiam abſolute vera eſt, eo quod enunciationes univerſales etiam reperiantur, quibus nulla eſt univerſalis vocula præfixa, veluti: *ſubditus Domino ſuo præcipienti debet obſequi*; quæ idem valet, ac ſi diceretur: *omnis ſubditus*. Item: *Chriſtianus credit evangelio*, id eſt, *omnis Chriſtianus* (*c*). Item propoſitiones *disjunctivæ* (§. infra) notantur univerſali particula, ſunt tamen particulares, veluti: *omnis voluptas aut malum eſt*, *aut bonum*; *aut neque bonum*, *neque malum*. Non enim niſi unum membrum poteſt eſſe verum. Igitur in ſenſu magis dialectico, *enunciatio univerſalis affirmativa* erit illa, cujus prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, aut tanquam genus, veluti: *homo eſt creatura vivens*, aut tanquam differentia, ut: *vera eruditio conſiſtit in agnitione veritatis*, aut tanquam proprium, ut: *canes latrant*; nam ſi idea prædicati eſt de eſſentia ſubjecti, debebit utique omnibus, ad ideam ſubjecti pertinentibus, ineſſe. *Propoſitio univerſalis & particularis.*

§. 120.

(*c*) *Enuntiationes, quarum ſubjecta latiſſime patent, & carent particula univerſali, dicuntur indefinitæ; & in materia quidem neceſſaria, ſemper æquivalent univerſalibus, ut:* homo eſt rationalis; *non item in materia contingente, veluti:* homo eſt philoſophus.

Enunciatio universalis negativa. §. 120. *Enunciatio universalis negativa* est, cujus prædicatum intime repugnat ideæ subjecti, veluti: *nullus homo est omniscius. Nemo flagitiosus vivit juxta rectam rationem &c.*

Particularis affirmativa, & negativa. §. 121. *Enunciatio particularis affirmativa* est, cujus prædicatum convenit subjecto per accidens, veluti: *quidam homines sunt Philosophi, quidam divites, quidam militiam sequuntur*; hæ siquidem prærogativæ, cum pro vario delectu hominibus accidant, non ingrediuntur ideam humanæ naturæ, atque ita non sunt omnibus communes. *Enunciatio particularis negativa est*, dum idea prædicati per accidens non convenit subjecto, veluti: *quidam non sunt philosophi, quidam non divites* &c.

Universalis affirmativa & negativa nequit simul esse vera. §. 122. Ex his ultro patescit, fieri non posse, ut duæ enunciationes universales, quarum altera affirmat, altera negat, simul sint veræ: posse autem simul esse veras duas particulares oppositas, unam affirmantem, alteram negantem; nam in enunciationibus universalibus ideæ prædicatorum ingrediuntur essentiam subjecti, in particularibus autem idea prædicati per accidens duntaxat subjecto advenit.

Fallacia universalium propositionum. §. 123. Eruitur porro, præpostere enunciationes quasdam, *veluti Cretenses semper mendaces, Galli perfidi, Germani comedones & bibones, clericos lucro inhiantes* &c. pro universalibus haberi; nam præterea quod vitia illa non afficiant intimam naturam subjecti, illud etiam accedit, quod per enunciationes has gentis, seu communitatis mores significentur; mores autem communitatis non ex omnibus absolute, sed ex potiori particularium numero æstimantur; igitur enunciationes illæ particulares sunt, & halucinantur illi vehementer, qui delusi ab apparente universalitate, singulis illam labem adjudicant.

Enunciationes pro generibus singulorum. §. 124. Aliæ enunciationes sunt *universales*, significantes genera singulorum; non item singula generum, veluti est illa: *omnia animalia fuerunt in arca Noëmi*, id est omnia genera animalium, non vero omnia singularia, illis generibus contenta. Sic Christus dixit de Pharisæis: *declinant omne olus*, id est: omne oleris genus. Aliæ enunciationes pro universalibus omnino haberi debent, quamvis

vis particulari vocula notentur, veluti illa: ***multi sunt vocati***, id est: omnes (*d*).

§. 125. Ad universales enunciationes referuntur non modo illæ, quarum subjectum omnia particularia involvit; verum & illæ, quæ secundum quasdam circumstantias universalitate donantur; veluti: *stella polaris nobis nunquam occidit. Jupiter semper plenum orbem nobis exhibet. Quoties aër calefit, toties rarefit* &c. Hæ quippe particulæ: *semper, omni modo, ubique, quomodocunque* &c. enunciationem pariter reddunt in suo genere universalem. *Universalitas a circumstantiis.*

§. 126. Non raro universalis vocula enunciationi apponitur, quin enunciatio particularis esse desinat, veluti: *abjecerat omnis populus aureas inaures* (*e*). Id est: potissima populi pars. Item: *omnes gentes accurrent* (*f*). Id est: multæ gentes, ut e versu sequente colligitur. Fluunt hæ enunciandi formæ sæpius ex proprietatibus, & indole variorum idiomatum, eas tamen omnino necessum est exploratas habere, ei præsertim, qui justæ interpretationi vacat. *Universalis particula non facit propositionem universalem.*

§. 127. *Singularis enunciatio* unum aliquod determinatum subjectum involvit, veluti: *Cicero fuit defensor patriæ.* Unum individuum non raro notat complures alios, veluti: *Cæsar Gallos superavit*, id est: Cæsareani milites. *Enunciatio singularis.*

§. 128. Alia est *enunciatio simplex*, alia *composita. Simplex* constat terminis simplicibus, simplici nimirum subjecto, & prædicato, veluti: *modestia est decora. Composita* complectitur terminos compositos, aut etiam incidentes propositiones, subjecto, aut prædicato annexas, veluti: *Poëtæ aut prodesse volunt, aut delectare.* item: *si res tales esse credimus, quales imaginamur, sæpissime fallimur.* Rursus incidentes ejuscemodi propositiones, aut explicant terminum, aut illius extensionem restringunt; sic: *Numa Pompilius, qui ex Sabinis duxit originem, fuit secundus Romanorum Rex.* Item: *Enunciatio simplex & composita.*

(*d*) *Joan.* 5. *Cap. v.* 28.
(*e*) *Exodi* 32. *v.* 3.
(*f*) *Isaiæ* 2. *v.* 2.

Item: *S. Petrus fuit Petra, supra quam Christus suam ædificavit Ecclesiam.* Atque hæc ut sit vera, debent omnes illius partes esse veræ.

Compositæ aperte vel implicite

§. 129. Enunciationes quædam sunt *aperte compositæ*, aliæ implicite componuntur. Earum, quæ explicite componuntur, septem potissimum sunt classes; in *prima* ponuntur enunciationes *conjunctivæ*, quæ nempe conjunctionibus *&*, vel *nec* copulantur, veluti: *Anglia & divitiis valet, & floret scientiis*; hæc ut vera sit, debent omnia particularia membra esse vera; eadem quippe aut affirmatio, aut negatio omnes partes æqualiter afficit, & falsitas unius simplicis propositionis sufficit ad falsitatem totius compositæ.

Enunciationes Conjunctivæ.

Disjunctivæ.

§. 130. In *secunda* ponuntur enunciationes *disjunctivæ*, veluti: *vel Sol circa terram movetur, vel terra circa solem.* Atque ut hæc vera sit, sat est, unam duntaxat partialium verificari; imo quia membra invicem opposita sunt, nequeunt ambæ simplices simul esse veræ.

Hypotheticæ.

§. 131. In *tertia* ponuntur *hypotheticæ*, seu conditionales, veluti: *si Deus pro nobis, quis contra nos? si delinquis in uno, factus es omnium reus* &c. Hæ enunciationes reipsa argumentationes sunt, & enthymemata, unum ex alio inferentes; atque ut vera ejusmodi sit enunciatio non requiritur veritas partium componentium, sed bonitas consecutionis alterius ex altera; hinc vera erit hypothetica enunciatio, etsi una, aut utraque componentium sit falsa, veluti: *si homo alas haberet, volaret*; & vicissim, dum utraque componens vera est, enunciatio hypothetica falsa esse potest (§. Enthym.). Hypotheticis propositionibus opponuntur *absolutæ*.

Causales.

§. 132. In *quarta* ponuntur *causales*, quarum pars una componens significat causam alterius, veluti. *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum.* Ad harum enunciationum veritatem requiritur, ut causa sufficiens & legitima afferatur; si enim inepta sit, quæ apponitur causa, nulla constabit veritas enunciationi causali, veluti: *Justæ fuerunt calumniæ, doctissimo viro nuper impactæ, quia ille rabulis coram despumantibus, nihil respondit.* Quæ causa? nunquid illustrius est, semidoctorum ineptias silentio superare?

§. 133.

§. 133. In *quinta* classe ponuntur enunciationes *discretæ*, quæ de eodem subjecto duplex judicium proferunt, quorum alterum affirmat, alterum negat, velut illud Horatii: *Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* *Discretæ.*

§. 134. In *sexta reduplicativæ*, in quibus subjecti significatio, cui tantum idea prædicati convenit, repetitur, veluti: *Philosophus, qua Philosophus ratiocinatur.* *Reduplicativæ.*

§. 135. In *septima* sunt enunciationes *relativæ*, quarum una pars ad aliam refertur, & ab ea vim sumit v. g. *qualis vita, mors est ita.* Item: *tantum cuique laudis & existimationis accedit, quantum virtute, & scientiis profecerit.* *Relativæ.*

§. 136. Enunciationes, quæ clam & implicite componuntur, quasque vulgus logicorum *exponibiles* vocat, propterea, quod quadam explicatione indigeant, ad tres classes revocantur; in prima sunt *exclusivæ*, quæ rei ita aliquid aut tribuunt, ut omnes res alias illius communicatione excludant; aut ita negant, ut omnibus aliis illud attribuant, veluti: *Deus tantum est æternus.* Continet hæc enunciatio implicite duas, quarum prima est: *Deus est æternus*, altera: *alia autem omnia, quæ existunt entia, non sunt æterna.* Item: *solus Deus non est ortus*, explicatur per hanc duplicem: *Deus non est ortus*, &: *Omnia alia entia sunt orta.* Item: *in solis insulis Moluccensibus crescunt cariophylli aromatica.* Quandoque particula exclusiva afficit subjectum, quandoque prædicatum, veluti: *tantum oculus videt*; &: *oculus videt tantum*; prioris hic sensus est: oculus videt, & nullum aliud sensorium corporis; alterius iste: oculus videt, & nullam aliam distinctam sensationem elicit. Quæ sane omnia in judiciis diligenter expendenda sunt. *Enunciationes exclusivæ.*

§. 137. Parcissime judicia ferre oportet cum ejuscemodi notis exclusivis, cum earum veritas difficillime pateat; si enim *exclusiva* vocula subjectum afficiat, debet notitia haberi omnium aliorum subjectorum exclusorum; si afficiat prædicatum, debet subjecti intima natura esse explorata enuncianti, quod non adeo obvium est, & expeditum. *Caute exclusivis utendum est.*

Exceptivæ. §. 138. In *altera* classe sunt *exceptivæ*, in quibus aliquid prædicatur de omnibus subjecti partibus, una tantummodo excepta, veluti: *omnia animalia, præter hominem, sunt rationis expertia. Omnia entia, præter spiritus, sunt mortalia* &c.

Comparativæ. §. 139. In tertia sunt *comparativæ*, quarum partes invicem comparantur, veluti: *Ambitio voluptate est validior;* id est: Ambitio & voluptas sunt validæ passiones, ambitio tamen voluptate validior. *Error magis nocet, quam ignorantia. Corpora velocius cadunt, dum fiunt terræ propiora. Cerebrum passeris est majus humano cerebro;* attenta nimirum proportione inter magnitudinem passeris, & hominis. Alii plures classes enumerant, veluti: *inceptivarum, continuativarum, desitivarum*, veluti: *ab Augusto Romanum imperium sumpsit exordium* &c.; quæ tamen non merentur commemorationis operam; non enim menti novas veritates manifestant. *Clericus* ejusmodi enunciationes ex *Arte cogitandi* in suam Logicam transtulit; hinc merito a *Buffier* operam inaniter perdidisse incusatur.

Quatuor modi enunciationum. §. 140. Quatuor præcipue modis prædicatum subjecto competere potest: vel *necessario*, vel *contingenter*, vel *possibiliter*, vel *impossibiliter*. Hinc etiam enunciationes, prædicatum de subjecto affirmantes, hoc respectu quadruplices sunt: prima *necessaria*, ut: *circuli omnes radii sunt æquales* &c. Secunda *contingens*, ut: *in Germania est bellum.* Tertia *possibilis*, ut: *cras morieris.* Quarta *impossibilis* ut: *quadratum est* circulus.

Propositionum modalium alia enunciatio. §. 141. Quibusdam placet mox enumeratas propositiones sic enunciare: *circuli omnes radii necessario sunt æquales. In Germania contingenter est bellum* &c. De quibus vulgares dialectici infinitas texunt lites, nullius frugis, nullius momenti; mihi satis fuerit paucis rem absolvisse: nimirum *necesse* connotare certam veritatem, *contingenter* veritatem probabilem, *possibiliter* falsitatem probabilem, *impossibiliter* falsitatem certam; & quoniam plures enunciationes formantur in materia contingente, quam necessaria, præcipua cura haberi debet, ut status subjecti determinetur, & quomodo prædicatum

tum ſubjecto conveniat? hujus determinatio tantas diſtinctiones in Scholas invexit.

§. 142. Commodum hic occurrit communis ceſpitatio, ac per conſequens offenſa veritatis, uſurpans paſſim *probabile* pro *poſſibili*, cujus tamen utriusque latiſſimum eſt diſcrimen. Prædicatum *probabiliter* ſubjecto convenire dicitur, cum veroſimilia illius adſunt argumenta; at ut prædicatum ſubjecto *poſſibiliter* competat, opus duntaxat eſt, contradictionem abeſſe, etſi hactenus nullum probabile illius argumentum ſuppetat. *Male poſſibile ſumitur pro probabili.*

§. 143. Hunc errorem fovet communis blandiendi cura, aut ſibi, aut aliis impenſa: militem gregarium, forti animo præditum, quispiam nuper dixit tribunum futurum, *probabiliter*, cum non niſi *poſſibiliter* dicere oportuiſſet. Tot inter gregarium militem, & tribunum intercedunt gradus, ſigniferorum, ſubcenturionum, centurionum &c. ut ſi agatur de tribuni creatione, majora argumenta ſibi vendicent vicinæ dignitates, & ne ſpem quidem relinquant gregario militi. *Poſſibile* tamen eſt, id eſt: nulla contradictio obſtat, quin gregario militi, in tribuni renunciatione, hæc ſparta obtingat; interim nihil emolumenti adferet gregario militi *poſſibilitas*, in concurſu *probabilitatis* aliorum. Examinemus plures ejuſcemodi probabiles propoſitiones, inter humana negocia fieri ſolitas, videbimus eas recidere in claſſem *poſſibilium*. *Exemplum.*

§. 144. Quemadmodum *phyſica impoſſibilitas* oſtendit repugnantiam ſubjecti cum prædicato, veluti *eſſe vallem ſine monte*; ita *moralis impoſſibilitas* cognoſcitur ex oppoſitione ad ſanam normam cogitandi; hac ratione impoſſibile eſt, ut homo ſenſatus ſponte ſe in ignem conjiciat, quia communi ſenſui repugnat, ſe ſponte in ignem conjicere. *Impoſſibilitas moralis.*

§. 145. Hoc intellecto reſolvuntur plures difficiles quæſtiones, veluti: circumferatur in imperio Turcarum Jeroſolymis libellus, ſparſus nomine Chriſtiani cujusdam principis Europæi, jubens Chriſtianos, Jeroſolymis degentes, Mahumetum publice calumniari. Illico judicare licebit, *moraliter* eſſe *impoſſibile*, ut libellus ille a *Exemplum impoſſibilitatis moralis.*

M 3 Chri-

Christiano principe divulgatus sit; rationi enim repugnat, ut Christiani principes, summo studio tranquillitatem Christianorum, Jerosolymis degentium, adcurantes, facto tam inutili voluerint eos persecutionibus devovere; atque adeo dicere oportebit, libellum illum esse a Turcis ipsis nequissime subtrusum, nempe cujus obtentu possint in Christianos acerbius grassari. Non tamen *moralis impossibilitas* excludit *absolutam possibilitatem;* siquando *absolute possibile* est, Christianum principem adeo sanis consiliis destitui, ut ejuscemodi incentivum furiarum inter infideles spargat.

Axiomata quæ sint?

§. 146. Enunciationum quædam sunt, vocanturque *axiomata*, quædam *postulata*, aliæ *theoremata*, aliæ *problemata*, aliæ *consectaria*, aliæ *lemmata*, aliæ *scholia*, aliæ *proverbia.*

Axiomata male confunduntur cum proverbiis.

§. 147. *Axioma* est enunciatio, necessario vera, quæ argumentis stabiliri non eget, sed illico ut percipitur, assensum obtinet. Scholastici plurima axiomata recensent, veluti: *nemo dat, quod non habet. Natura ab imperfectioribus non per saltum, sed gradatim ad perfectiora tendit; hinc animarum successio est necessaria. Entia sine necessitate multiplicanda non sunt. A privatione non datur regressio ad formam. Essentiæ rerum sunt ab æterno. Ab Assuetis non fit passio. Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.* Et sexcenta ejusmodi, quorum tamen plerisque adeo obscurus, dubius & fallax sensus inest, ut perpetuis distinctiunculis eorum morbis mederi sit opus, & aptius ad *proverbiorum* classem referantur.

Quæ sint vera axiomata?

§. 148. Pro *axiomate* illud duntaxat recte assumitur, quod fundatur in principio contradictionis, veluti: *idem non potest simul esse & non esse.* Et quis hujus evidentiam non advertit plurimum antistare huic proverbio: *natura ab imperfectioribus per gradus ad perfectiora tendit?* Si quis autem enunciationes illas omnes esse *axiomata* nihilominus contendat, non refragabor, dummodo serio expendat, an axioma universale sit? & an casus ille particularis in axiomate contineatur? non enim veritas particularium casuum æstimanda est ex veritate arbitrarii cujusdam axiomatis; sed magis ex conformitate particularis casus cum axiomate, æstimanda est hujus extensio.

§. 149.

§. 149. *Postulatum* est propositio, cujus tanta est claritas, ut opus non sit eam probare, sed veluti certa, concedi interim petatur, veluti: *ex puncto ad punctum datum lineam rectam ducere.* *Postulatum quid?*

§. 150. *Theorema* est speculativa propositio, quæ per definitiones & axiomata demonstratur. *Problema* est propositio, quæ aliquid efficiendum, vel describendum proponit. *Lemma* est propositio, alteri propositioni demonstrandæ præmissa. *Theorema & Problema, Lemma.*

§. 151. Ne quid de enunciationibus prætermisisse videar, exponam brevissime quatuor illarum proprietates, nempe *oppositionem, subalternationem, conversionem,* & *æquipollentiam;* ne scholarum institutum videamur data opera neglexisse. *Proprietates enunciationum.*

§. 152. *Oppositio* est pugna duarum enunciationum, quæ constant eodem subjecto, eodemque prædicato; estque quadruplex; *prima*, dum enunciationes pugnant inter se secundum quantitatem, & dicuntur *subalternæ;* veluti: *omnes homines vivunt in libertate; aliqui homines vivunt in libertate.* *Secunda*, dum enunciationes universales sibi opponuntur in qualitate, nimirum affirmatione vel negatione, & vocantur *contrariæ*, veluti: *omnes homines vivunt in libertate; nullus homo vivit in libertate.* *Tertia*, dum propositiones particulares secum pugnant in qualitate, & dicuntur *subcontrariæ;* veluti: *aliquis homo vivit in libertate; aliquis homo non vivit in libertate.* Hæ proprie oppositæ non sunt; non enim necessum est, utriusque subjectum pro eodem habere. *Quarta* demum, dum enunciationes pugnant secundum quantitatem, & qualitatem simul; & dicuntur *contradictoriæ*, veluti: *omnis homo vivit in libertate; aliquis homo non vivit in libertate.* Ad has etiam revocantur enunciationes singulares, veluti: *Terentius est comicus; Terentius non est comicus.* Licet enim sibi secundum quantitatem non opponantur, pugnant tamen inter se, quantum pugnare possunt. *Oppositio enunciationum.*

§. 153. In *materia necessaria* Enunciationum contrariarum una est vera, altera falsa, veluti: *omnis homo est rationalis; nullus homo est rationalis.* In *materia contingente* potest utraque esse falsa, non autem simul vera, veluti: *omnis homo est doctus, nullus homo est doctus.* *Quæ sit veritas contrariarum.*

doctus. Subcontrariarum, in materia necessaria, una vera est, altera falsa, veluti: *aliquis homo est rationalis, aliquis homo non est rationalis*; in materia contingente potest utraque simul esse vera, non item falsa, veluti: *aliquis homo est philosophus, aliquis homo non est philosophus.* Contradictoriarum semper una vera est, altera falsa. Subalternarum, quandoque utraque vera est, quandoque utraque falsa, quandoque una vera, altera falsa.

Usus oppositionum. §. 154. Notitia harum oppositionum duplex subsidium menti offert, *primo*, ut earum ope intelligamus, quam late pateant sententiæ auctorum, leges civiles, Canones Ecclesiastici, utque earum sensum ex oppositarum enunciationum valore rite interpretemur, veluti, hæc propositio: *in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur interiori gratiæ.* Falsa est, & anathemate Ecclesiastico fulminata; igitur propositio huic contradictoria erit vera, nempe: *in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur interiori gratiæ.* Contraria autem: *in statu naturæ lapsæ semper resistitur interiori gratiæ* etiam falsa est, est quippe in materia contingente. *Secundo*, ut in adversario nostro infrunitas negandi licentias coërceamus. Neget quispiam propositionem veram, fiat opposita propositio, quam si rursus negaverit, ostendatur ei, quam pervicaciter & sine ratione neget, cum oppositorum alterum debeat esse verum, & idem non possit simul esse, & non esse.

Subalternatio. §. 155. *Subalternatio* enunciationum est, dum propositioni universali, particularis, in universali contenta, subjungitur, veluti: *omnis homo est rationalis.*

Conversio. §. 156. *Conversio* propositionum fit, quando termini duarum propositionum locum mutant, & subjectum in prædicati locum transfertur, ac vicissim, veluti: *omne necessarium est immutabile; omne immutabile est etiam necessarium.* Quandoque fit conversio ex universali in particularem, veluti: *omne quadratum est æquilaterum; ergo quædam figura æquilatera est quadratum.* Hæ tres enunciationum proprietates: *oppositio*, *subalternatio*, *conversio* pro speciebus illationis seu ratiocinii haberi possunt, hinc etiam a quibusdam vocantur *consequentiæ immediatæ.*

§. 157.

§. 157. *Æquipollentia* demum inventum sophistarum est, e Grammaticæ officinis erutum, quo ad inanes captiunculas impense abutebantur, neque ullius momenti est, eo quod ex idiomatis peritia, & variis loquendi formulis consarcinetur. Est autem *æquipollentia* duarum enunciationum idem valor & potestas, quamvis verbis discrepent. Plurima æquipollentiæ exempla in latina tantum lingua, non vero in aliis subsistunt; veluti: *non omnis est doctus*, æquivalet huic: *aliquis homo non est doctus*. Item: *aliquis homo est doctus*, æquivalet huic: *non omnis homo non est doctus*. Quæ unquam culta natio sub cælis cogitationes suas alteri communicare consuevit, cum tanta perplexitate atque barbarie inanium sophistarum? Dispendium temporis, & jactura operæ foret, ejuscemodi ineptiis explicandis diutius immorari. *Æquipollentia.*

§. 158. Circumstantias in judiciorum formatione attendere comprimis necessum est; illarum enim variatio vim habet, judicium ex vero in falsum commutandi; veluti: *decorum est*, *recentissimos eventus bellicos aliis hominibus enarrare*. Rectum judicium est; dum nempe homines illi alii adhucdum ignorant eventus illos; quod si vero quis enarrare eos velit ducibus, & archistrategis, qui ipsi interfuerint, & negocium confecerint, inepte & ridicule judicaret; nam auditoribus narraret, plura scientibus, ac narrator ipse, imo qui forte devia narrantem non sine stomacho fastidirent. *Circumstantiæ in judiciis attendi debent.*

§. 159. Venit mihi hic opportune in mentem nuperus scriptor, qui laudes reginæ cujusdam defunctæ publicavit, eamque censuit esse extollendam a variarum virtutum, præsertim modestiæ & submissionis studio. Bene equidem; quomodo vero hoc executus est? *Subjectum* nempe augustam illam Principem proponit, tanquam fœminam, temperamenti valde præcipitis in iram, & contumelias suorum famulorum; hanc vero labem ut insigni virtutis exercitio emendaret, solitam fuisse, etiam contemptus non leves, a famulis sibi frequenter illatos, forti animo tolerare; quod ponit pro *attributo*. Quæ barbara & exotica isthæc cogitandi ratio? quis unquam sanus laudibus fœminæ principis intemperantem iracundiam adjunxit, quod absurdum deinde per aliud absurdum emendari debeat, nempe ut infrunita audacia famulorum patienter feratur? De vulgari fœmi- *Circumstantiarum exemplum.*

N na

na hoc dicere licuisset, nunquam de principe, cujus actiones regulæ sunt justi & æqui, ut non tam populum infrunitum sustineat, quam inflictis pœnis ad reverentiæ officium traducat.

CAPUT II.

De veritate, & Criterio veri.

Veritatis studium omnes ætates exercuit. §. 160. Veritatem, & arcanum eam inveniendi, explorandique modum animo mihi versanti, continuo occurrit omnis retro hominum, & literarum memoria: quam difficillimum, maximeque necessarium hoc argumentum, acutissima ingenia semper lacessiverit, adeo quidem, ut alii philosophorum hujus obtinendæ spe, aut amore incitati, humano consortio nuncium miserint, siquidem cum Epicuro in altis montium, illi cum Academicis inter silvarum latebras, tranquillæ meditationi vacantes; alii in æmulorum stimulis confisi, publicos cœtus coiverint, sectas condiderint, æternarum litium sedes, variis placitis inædificatas, singulas veri possessionem controverso jure sibi vindicantes. Quæ lites in nostra usque tempora descenderunt.

Objectio contra studium & dignitatem veritatis. §. 161. Sed jurene, dicet aliquis, an temere, & inani solum affectatione austeritatis Philosophicæ tanti fecerint veteres sapientes cognitionem veritatis? non videri dignitatem, neque necessitatem illius tantam contentionem mereri: plerumque eam, etiam cum apprehensa creditur, elabi, & confidentes eludere: vivere homines, qui ea prætermissa solo naturali lumine conducuntur, veluti primi mortalium patres, prudenter, tranquille, inoffense, jucundissime, dum interim anxii inquisitores veritatis, quod passim in controversiis accidit, amaritudines facessant, & sibi & aliis, & tamen vix plus veritatis etiam post longissimum studium obtineant; quin imo si recte sapiunt, vident post immensam operam, quam humanus animus imbecillis sit, quam frustra in inquisitione plurimarum veritatum occupetur: quod si etiam quaspiam veritates, dubiis implexas, assequitur, hæc ipsa eidem causare anxietates, tædia, timorem agendi,

agendi, tristem indifferentiam, sine quibus omnibus, dum animus erectus est, majori cum felicitate & sapere, & vivere licuisset. Et alia ejusmodi.

§. 162. Verumtamen qui sic judicat, næ ille magnopere fallitur, & palam facit, se non modo res invicem connexas nullatenus perspicere, sed neque etiam sui ipsius agnoscere pretium ac dignitatem: tolle veritatis cognitionem ab hominibus, nihil eis proderit, rationali anima donari, hujus enim in ea conspicitur præstantia: neque dignius, neque illustrius agere valebit quam bruta, quæ, itane res, in qua versantur, se habeat, an secus, nihil sollicita, non justitiæ, non æquitatis, non, quod in vita dulcissimum est, humanitatis & benevolentiæ studiosa, circa res omnes sola sensus libidine exercentur, aut legibus instinctus animalis: quodsi veritatis inquisitio aliquos in anxietates, & tædia conjecit, id inde factum est, quod veritatem, quæ ipsam etiam prudentiam moderatur, aut non assecuti sint, aut illius facere nescierint usum, aut demum quod eam confuderint cum dubiis & incertis; sed & præter veritates *morales*, aliæ permultæ sunt *physicæ*, *metaphysicæ*, *theologicæ*, *juridicæ*, *politicæ* &c. quas prorsus ignorare sine maximis incommodis non possumus: veritas salutarem cognitionem sui ipsius homini confert: ostendit angustos mentis limites: præceps inanium persuasionum retundit acumen: quid res sint, manifestat: quæ lateant in aliis, quæ ex aliis rursum consequantur, clare revelat: fiduciam agendi ingenerat: immittit securitatem: propellit formidinem: e præteritis, præsentibus, futuris mirabili harmonia conspirantibus jucunditatem & delicias colligit; ita ut qui hanc humanæ menti eripuerit, is omne lumen actionum, omnem dignitatem animi, & delicias vitæ eidem sustulisse videatur (*g*).

Criminatio a veritate depellitur.

Veritatis elogium.

 §. 163.

(*g*) Thomasius in caut. circa præcognit. Jurisprud. C. 1. v. 6. *existimat: veritatem suapte natura neque bonam, neque malam esse, sed omnino ad utrumque indifferentem; quin imo non raro a quibusdam veritatibus homines fuisse in corruptelam dejectos; quemadmodum e converso multi errores, & ignorantiæ perquam utiles ac salutares extiterunt. Verum præclarus ille vir, quod pace illius dictum sit, non advertit, veritatem, humanæ mentis lumen, sinceram rerum omnium imaginem, & falsitatis expultricem, non posse nisi bonam*

Thomasii sententia de veritate.

Veritas est præcipue triplex.

§. 163. Veritatis autem triplex est potissimum distinctio: alia est *veritas metaphysica*, quæ habetur in rebus, propria sua undequaque natura constitutis; sic veritas metaphysica *auri* involvit omnia requisita ad auri constitutionem: alia est *veritas ethica*, seu moralis, quæ sermoni potissimum tribuitur, & est convenientia seu consensus verborum, aut quorumcunque signorum exterorum cum animi nostri conceptibus, opponiturque mendacio: alia demum est *veritas logica*, quæ est conformitas idearum cum objectis, aut conformitas judicii cum rebus ipsis, dum nimirum ideas componimus, seu negando, seu affirmando, ut deinde judicium, ex hac compositione consurgens, objectum repræsentet, uti in se est (§. 114.), quod fit affirmando quidpiam de subjecto, quod ei competat, aut negando aliquid, quod ei non competat. Hæc proprie veritas ad nostrum pertinet institutum, opponiturque falsitati.

Ante veritatis probam, existentia corporum probari.

§. 164. Antequam autem prolatis argumentis evincam, mentem nostram revera pertingere ad ejusmodi conformitatem cum objectis non paucis, rejicienda est mihi breviter, ac confutanda singularis illa fanaticorum impudentia, qua nullum omnino existere objectum

bonam esse, & humano generi, etiam pro directione voluntatis, & vitæ, morumque innocentia unice exoptandam; quodsi ejus cognitione perversitas quandoque in homines correpsit, id non veritatis vitio, sed abutentium malitia, & vel maxime docentium imprudentia factum esse, dum nempe rem optimam, loco, & tempore, quo minime oportebat, protulerunt; velut si quis infrunitis, & lascivis juvenibus, nec Medicinæ, nec Chirurgiæ studio vacantibus, anatomiam muliebrium corporum, & omnem generationis modum atque historiam erudite interpretaretur, porcisque margaritas projiceret. Ipsa sanctissima Dei nomina ad præstigias, & abominationes adhibentur, quin ulla iis insit, aut perinde accedat iniquitatis labes. Venit mihi hic opportune in mentem Helvetius, *qui in libro suo* Esprit, *tantis ubique censuris protrito, commonet: ut si quis peculiarem quampiam veritatem (sic ille vocat sua pseudo-principia, ex Hobbesii, & Spinozæ placitis assumpta) assecutus sit, fortiter manum comprimat, neque ulli eam aperiat veritatis ostendendæ causa. Si vera sunt* Helvetii *principia agendi, & officiorum, erunt utique & bona; bona quippe disciplina moralis veris principiis inniti debet, adeoque non oportebat ea tam sollicite a publica luce retrahere: sin autem falsa sunt, erronea, & summis periculis obnoxia, cur* Helvetius *ipse consilium suum, aliis datum, secutus non est? cur manum suam aperuit aliis, & librum etiam de suis veritatibus impressum evulgavit? saltem intra cancellos proprii consilii pœnam non incurrisset.*

Helvetius notatur.

objectum corporeum & sensibile: quidquid objecta sensuum, quidquid ipsas sensationes compellamus, nihil aliud esse, quam mentis conceptus, & ideas, quæ promptitudine sua & vivacitate omnia coram sistant, ac mentiantur, nihilque attinere in tanta animi fertilitate insuper res corporeas inducere, sine ratione, & sine fronte pertendunt; quasi vero novum ipsi magistratum tenerent, omnia præter phantasmata sua annihilandi; nequiter omnino & putidissime.

§. 165. Nam qui omnia dicunt suis in ideis contineri, nihil illi utique extra se positum agnoscunt, neque opus esse autumant ulla alia re ad totius universi constitutionem, quam mente sua, suarumque idearum serie ac evolutione; igitur quæ corpora esse existimantur, ideæ sunt: ideæ sunt, quæ extra nos concipiuntur spirituales substantiæ & immateriales: imo & ipse Deus, in nobis relucens, idea est; igitur quemadmodum ideæ repræsentant materiam, quin ulla sit materia in rerum natura, repræsentabunt & eædem ideæ substantias spirituales, imo & Deum ipsum, quin ulla spiritualis substantia, imo & Deus ullus usquam existat; rationi enim consentaneum est, res in Scena hac imaginaria sibi obversantes commensurari; neque etiam ulla occurrit ratio, quare extra ideam Dei, in mente existentis, alius revera Deus existat, & non existere identidem deberent, extra ideas mentis, aliæ res, seu corporeæ, seu immateriales, quæ tamen omnes circulum illum, & colligationem Causæ primæ cum creaturis unitim ac necessario ingrediuntur. Quod si autem ultro concedunt, nullum extra mentem Deum haberi; igitur idea sua Deus est, reductique sunt ad ridiculum, atque ad impossibile, ut Deum esse dicant ideas suas, in quibus & ipsi persuasissimi sunt abesse prorsus Divinæ naturæ infinitatem; neque alio, quam satyrico ejuscemodi argumento contemptui haberi debent homines petulantissimi.

Retunduntur fanatici, negantes existere quidquam præter suas ideas.

§. 166. Sin autem reponunt: existere omnino alias res extra se, non corporeas illas quidem, sed spirituales, veluti *Deum, animam, spiritus* &c. edicant, quæso, an magis intelligant communicationis modum, quo substantiæ illæ spirituales mentem suam subiissent, ut veritatem existentiæ suæ per alienas ideas declarent? si vero non comprehendunt hunc communicandi modum, eccur non admittunt,

Alia confutatio idealistarum.

 substan-

ſubſtantias corporeas, quas tot aliæ humanæ mentes affirmant ſe certo & concipere, & experiri, modo quopiam, pariter ignoto, in mentem ſuam adpuliſſe? præſertim cum modus unionis tam corporearum, quam immaterialium ſubſtantiarum cum noſtra mente æque nos lateat, cumque tot illuſtria argumenta exiſtentiæ corporum noſtram ipſam experientiam undique communiant, atque confirment.

Maxima diverſitas corporum, & idearum.

§. 167. Amabo! cui homini, ſana mente donato, non relucet in ideis ſuis, obices quosquos imaginarios non coërcere ſuam agendi libertatem: conſtringi ſe autem; & impediri penitus, ſi obices, quos corporeos dicimus, objiciantur? concipiat ille ad portam ſuam, quæ in hortum patet, mare affluere, imagineturque ſibi illud etiam firmiſſime contra teſtimonium ſenſuum, nihilominus imaginariam illam cum altera, a ſenſibus obtenta, ideam contendens, clare perſpiciet, ſe, utut in imaginariam illam ideam maris extra portam proceſſerit, non eſſe aquis hauriendum, quin imo, quod altera idea, a ſenſibus ſponte oblata, indicat, ex porta in hortum libere præceſſurum.

Continuatur argumentum.

§. 168. Sit jam alter obex corporeus, poſitus extra portam, veluti fortis murus; maxime intelliget in idea ſua, ſe nequicquam contra hunc obicem moveri; imo etiam, ſi finxerit animo, obicem illum prorſus non adeſſe, inanem hanc fore ad progrediendum perſuaſionem; igitur perſpicuum quidem eſt, ideas, quas a corporibus deſumi dicimus, vim habere omni imaginaria, & ideali virtute ſuperiorem, atque ideo etiam rebus corporeis non poſſe ſubſtitui conceptus mentis: cur igitur non vult extra ſuam mentem exiſtere, quod in mentis poteſtate non eſt avertere, nec ſupprimere, nec immutare?

Modus cogitandi idealiſtarum non eſt naturæ conformior.

§. 169. Fruſtra etiam obtenditur, ideas illas in mente degentes, multo aptius, & naturæ conformius aſſumi ad intelligendum, quam ſi a corporibus ad ſenſus, & ab his demum ad ſubſtantiam, per omnia diſſimilem, nempe animam, tranſire perhibeantur; idque etiam brevitati, in omnibus naturæ operibus conſpicuæ, eſſe maximopere conſentaneum; ineptiſſima, inquam, hæc eſt objectio; ſiquidem breviſſimum, naturæque accommodatiſſimum id cenſeri jure debeat, quod ordinem, a Deo, atque a natura ſancitum, tenet, & ſequi-

ſequitur; videmus autem, & experimur, cogitandi munus a Deo hiſce legibus fuiſſe adſtrictum, ut corpora a ſenſibus perciperentur, & ſenſationes rurſum ignoto commeatu in animum penetrarent; igitur hæc cogitandi ratio ſecundum hodiernam Providentiam eſt breviſſima; & aliunde non quæritur: quid fieri potuerit? qua ratione potuiſſet cogitandi modus in hominibus diſponi? ſed quid revera conſtitutum ſit? & quid reipſa fiat? intorrogatur. Quid ſi vero quis eo impietatis abſcedat, ut etiam coarguere audeat, Deum ſapientiſſimum impendiſſe imperfectiora conſilia rebus conſtituendis, cum illo nobis negocium non eſt, ſed rejicimus ad publicos blaſphemiarum ultores, qui eum externæ ſubſtantiæ vim, & agendi duritiem caſtigando doceant, atque ad meliorem frugem traducant.

Conformitas noſtræ mentis cum objectis revera obtinetur.

§. 170. Jam autem, ſi tam immaterialium, quam corporeorum objectorum, quæ cogitandi materiam præbeant, extra noſtram mentem indubia eſt exiſtentia: ſi ad exploranda objecta corporea ſenſus nobis a natura collati ſunt: ſique etiam lumen agendi, & perſpicientia noſtris mentibus eſt propria, quis judicia noſtra neget poſſe objectis conformari? Non enim æque fallitur ille, qui nonaginta homines dixerit eſſe centum, quam qui decem homines eſſe centum dixerit; itaque alter priore eſt remotior a veritate; ſi igitur variæ, definitæque ſunt a veritate diſtantiæ, debebit etiam neceſſario eſſe diſtantiarum terminus, nempe veritas, quam is demum, qui centum homines eſſe centum dixerit, acu continget.

Aliud argumentum a contradictoriis.

§. 171. Præterea obtinetur etiam neceſſario veritas ab iis, qui faciunt propoſitiones contradictorias in materia neceſſaria; enunciet aliquis: *lignum eſſe ſubſtantiam materialem;* alter reponat: *lignum non eſſe ſubſtantiam materialem;* alteruter horum feret judicium ad ligni naturam omnino exactum; ſiquidem idem, ob contradictionis vim, non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe.

Duplici via devenitur ad verum.

§. 172. Quo autem interveniente medio, qua via, quove ſubſidio poſſit hæc cum rebus ipſis judicii conformatio obtineri? duobus his nimirum: *experientia ſenſuum*, & *reflexione mentis;* extra quas duas ſemitas nulla eſt veri comprehenſio, ſeu de rebus corporeis agatur, ſeu de immaterialibus.

§. 173.

Primo per sensus. §. 173. Sensus eum in finem beneficentissimus Deus, & natura concessit, & mirabili vinculo ad mentis communionem adjunxit, ut rebus corporeis eorum succursu aditus in mentem pateret. Cæci, aut surdi a nativitate, dum medicorum arte, quod sæpius factum fuisse accepimus (*b*), videndi, audiendive fiunt compotes, cum sensu novo novas ideas, ad sensum illum pertinentes suscipiunt, quarum prius ne vestigium quidem in se refulsisse confitentur. Qui objecti cujusdam, veluti *auri*, obscuram notionem habet, & solum illius nomen novit distinguere, si sensus solerter impenderit, aut eruditorum de eo doctrinam excipiens, aut oculos ipse suos, & manus applicans ad explorandum & fulgorem illius, & specificam gravitatem, & ductilitatem &c. ad verum poterit de auro judicium eluctari.

Mens sensationibus obtemperat. §. 174. Veritas hæc, per vivaces sensus in animum transfusa, tam firma, & certa est, ut ne mens quidem aliud, ac sensus eidem suggerunt, queat percipere. Qui *ignis* vim aliquando senserit, si deinde multa alia corpora, *terram*, *aquam*, *ferrum*, *lignum*, *vitrum* &c. tangendo periclitetur, atque exploret; subito, ut admoti ignis sensus redierit, eum non modo ab omnibus aliis corporibus tactu distinguet, sed etiam utut mentem, & imaginationem alio convertat, aliudve, quam ignem, adesse, fixissime cogitet, experietur, totum imaginationis vim, & arbitrarias suppositiones incassum recidere, atque sensum præsentis ignis omnem persuasionem superare.

Sensus non fallunt. §. 175. At, dicet aliquis: sensus nostros sæpe fallere: solem in cælo, piscem subtus aquam eo loco videri, ubi non est: sæpe nos etiam per phantasmata, per somnum multa videre, tangere, & versare objecta, quæ tandem expergefacti ceu ludibria deridemus, ac fallacias; hoc autem sensuum certitudini nihil officit: judicii error est, piscem in eo, quo videtur, loco constituere, & ignorantia legum dioptricarum, quas leges radius lucis per duplex diversum medium, nempe aërem & aquam transiens, sequitur, quasque qui non intelligit, nunquam audeat de radiis refractis sententiam pronunciare; refundet enim errorem, ex sola judicii præcipitatione natum,

(*b*) *Vide histor. Acad. Reg. Paris. Ao.* 1703.

natum, in ſenſus, a quibus, objecta, uti oportet, referentibus, nihil delictum eſt. Eodem fere modo aliæ fallaciæ diluuntur; vel enim objectum, ad eum ſenſum, qui ad judicandum induxit, non pertinet: vel nimis remotum eſt: vel demum ipſe ſenſus, quodam vitio contaminatus, defungi munere ſuo non valet; de quibus phyſici plurima exempla adferunt. De ſomni denique ludibriis neque reſpondere libet, quando cum hominibus vigilantibus res agitur, qui, quid ſomnum inter & vigiliam interſit, intima conſcientia, ſine alterius ratiocinio condocentur.

Reflexionos in veritatem rerum immaterialium inducit.

§. 176. Rerum autem immaterialium, & quæ ſenſus non afficiunt, veritatem *reflexione* colligimus, idque tam certo, & infallibiliter, ut omnis vel dubitandi intercludatur occaſio. Quis totum hoc univerſum animo percurrens, illiusque mirificum ordinem, partium conſenſionem, & exinde manantem totius firmitatem, mundi æternos ambages, occidentium, & renaſcentium rerum fluxitatem, & non ſolum particularium quarumque rerum, ſed etiam totius collectionis horum particularium neceſſarium deſcenſum ab alio &c. animo ſecum reputans, non ducitur in veritatem exiſtentiæ cauſæ alterius cujusdam, multo eminentioris, nempe Dei, cujus quidem neceſſariam exiſtentiam adeo clare & diſtincte perſpicit ex ſenſibilium rerum conditione inferri, ut multi præſtantium Philoſophorum etiam dixerint, ideam neceſſariæ hujus exiſtentiæ eſſe hominibus innatam, ac proinde multo magis conſpicuam, multoque magis domeſticam hominibus, quam alias quasque veritates, ſenſuum adminiculo adlectas. Hac reflexione veritas Divinæ exiſtentiæ intelligitur, & vindicatur.

Aliud argumentum reflexionis profertur.

§. 177. Porro, quis vim quandam in ſe mirabilem rationis conſiderans, intelligendi res abſtruſas, principia & cauſas rerum inferendi ex multiplicibus & implexis cauſis argutas conſequentias comparandi ſimilitudines: facultatem fingendi: res præteritas, ac remotas ſibi ſiſtere præſentes, & cum præſentibus præteritas futurasque contendere: ex ordine & conſpiratione rerum ſentire pulchritudinem totius, atque decorem partium: ſuppeditare in rebus arduis conſilia recte agendi, & cogitandi &c: quis, inquam, hæc animo tranquillo ſecum revolvens, non deprehendit in ſe aliud

quodpiam admirabile principium, nempe rationalem animam, ab omni compage materiæ longissime alienam? idque tam verum tenebit & infallibile, quam verum esse intelligit, viribus inertis, atque extensæ materiæ, quam sensu percipimus, omnia eximia illa munera cogitandi repugnare.

Denique alterum, argumentum reflexionis politicæ.

§. 178. Denique si virtutum moralium definitiones secundum omnes sui partes, ac distinctiones animo retinemus: si artes, ac facultates varias, ingeniose & multipliciter digestas comprehendimus: si attendimus humanas necessitates, & mutua officia, quorum hæc virtutum exercitio, illæ artium cultu sustinentur, ac reparantur; verissimum esse inferimus: felicem Rempublicam, & salvam tam publicam, quam privatam fore incolumitatem, dum mutuis subsidiis & virtutes, & scientiæ civibus suffragantur.

Unde criterium justæ experientiæ & reflexionis.

§. 179. Sit hoc itaque: veritatem *reflexione*, & *experientia sensuum* aquiri; id tamen mirari subit, quod homines & præstantia sensuum, & reflexionis acumine non dissimiles tantopere in diversum abeant? sæpius in civitate hominem comparuisse, dicit aliquis, quem alii affirmant peregre tum abfuisse: quæstiones omnes metaphysicæ, etiam ab acutissimis hominibus post immensas reflexiones plerumque in contrarias partes disceptantur; quomodo hæc tam opposita consentiunt cum veritate originis? aut unde saltem præsidium, normam, & criterium repetere liceat, quo certi reddamur, huic magis, seu experientiæ, seu reflexioni, quam alteri oppositæ, suam constare veritatem?

Duplex est criterium veritatis: intima conscientia, & optimorum consensus.

§. 180. Duplex est ejusmodi veritatis norma, seu *criterium: 1mo. Intima conscientia objecti* de quo agitur. *2do. Optimorum hominum in idem consensus.* Oportet autem esse conscientiam pacatam, tranquillam, passionibus ereptam, quæ nos plane convincat, atque ad idem de objecto sentiendum adstringat. Contingit id autem tum præcipue, quando ipsa affirmatio, vel negatio prædicati de subjecto in ipsa notione subjecti continetur; quod utique claram & perspicuam ideam subjecti deposcit (*i*).

§. 181.

(*i*) Cl. Wolffio *convenientia prædicati cum subjecto dicitur* determinabilitas prædicati per notionem subjecti. *Propositio illa:* ego cogito: ergo sum, *est*

§. 181. Multi erronee existimant, intimam cujusdam rei, partim aut omnino non intellectæ, se habere conscientiam; hinc eos videas acriter, & cum summa animi contentione illam tueri; sed fit hoc potissimum præcipitantiæ, credulitatis & oscitantiæ culpa; nam ubi longius meditando processerunt, aut severiote studio expenderunt suam sententiam, ab ea non inviti discedunt, atque etiam aliam amplectuntur; qui tamen, si priori sententiæ intima adstitisset conscientia, nunquam ne vacillare quidem in ea potuissent; propterea, quod res eadem, quam intima conscientia penitus inspicit, nunquam aliter se habere possit, nec a semetipsa queat esse unquam aliena. Perpetuus disputationum tumultus in scholis præbet judicandi argumentum, quam paucæ claræ ac distinctæ ideæ, atque adeo paucæ intimæ objectorum conscientiæ ibidem reperiantur. *Sæpe intimam conscientiam cum dubiis confundimus.*

§. 182. Hac porro intimæ persuasione conscientiæ ne abutamur, juverit, in veritatis cujusdam occursu, eam cum altera, cujus certissimam habemus conscientiam, mature conferre, & nisi eadem in illa, quæ in hac, perspicientia animi reluceat, atque securitas, nunquam de intimæ conscientiæ, aut clararum idearum lumine sibi adblandiri. *Quo medio detegere liceat intimam conscientiam?*

§. 183. Sit exemplum: intima conscientia mihi est hujus propositionis, &, nisi omnia me fallunt, exploratissima: *cubiculum, in quo nunc moror, esse meum*; omnis quippe in eo apparatus utensilium: portæ, fenestrarum, murorum situs: domesticorum ac familiarium observatio: & tacitus inolitæ consuetudinis annutus, me hujus reddunt certissimum; itaque si quælibet altera veritas afferatur ad examen, revocetur primo in animum conscientia illa intima propositionis illius: *cubiculum hoc esse meum*: tum contendatur e fronte hujus veritatis illa quæcunque altera; & nisi in illa altera, eadem, quæ priori, partium omnium & circumstantiarum securitas, atque *Exemplum hujus certitudinis affertur.*

est exemplum claræ hujus, & distinctæ convenientiæ; falluntur autem omnino Cartesiani, dum in ea propositione veritatis omnis criterium constituunt; tum quod hæc propositio in alias veritates non influat: tum quod aliæ propositiones plures eadem firmitate mentem convincant, quales in Mathesi pura multæ sunt, veluti: linea curva, ex uno puncto ad alterum ducta, longior est recta, inter duo illa puncta contenta &c. in Physica pauciores &c. *Cartesii criterium veritatis.*

atque claritas inesse intelligatur, nunquam censeatur habere genuinæ veritatis notas, neque intimæ conscientiæ criterio suffulciri. Comparatio ejuscemodi, identidem & sæpius inter veritates commissa, non perficiet quidem eam, quam solum rationis lumen ingenerat, ideam *intimæ conscientiæ* in universum, sed retinebit solummodo animum, ne eam cuivis veritati apparenti, justo liberalius, impertiatur.

Intima conscientia non pervidet omnes objecti partes.

§. 184. Id unum porro de intima conscientia, ad quam prærequiri claram & distinctam ideam subjecti, supra diximus (§ 27.), observasse juverit; sæpius & plerumque eam haberi de objecto, in quo multa adhucdum dubia, incerta, aut omnino incognita delitescunt, neque id intimæ conscientiæ adversari, si modo dubium & obscurum non eandem, quam intima conscientia, attingat quæstionis aut objecti partem. Quilibet ex infima plebe hanc veritatem perspicit: *oculum suum videre*, non convenire hanc videndi facultatem neque auribus, neque linguæ &c. at vero ignorat, quomodo, quove mechanico opificio id peragatur in oculo; scient hoc fortassis eruditi; illa tamen ignoratio haud quaquam frustratur illius intimam conscientiam pro suo casu. Philosophi certum, exploratumque tenent *affectiones corporum vim suam exercere in animum*, modum autem communicationis harum duarum substantiarum, prorsus dissimilium, nullus assequitur; quod eis tamen priorem veritatem minime intercipit. Quod si conniventes Philosophi, aut intima conscientia, quam in una objecti parte, aut modo assecuti sunt, nimium elati, cæteros objecti modos, aut quæstiones eadem se perspicientia complecti autumant, fit plerumque, ut volendo nimium sapere, & ignotis vindicare evidentiam, etiam in eo, quod prius vere cognoverunt, labascant, & veritatem, quam tandem intelligunt in quibusdam objecti partibus abesse, in cæteris omnibus quærant.

Alterum criterium veritatis: optimorum consensus.

§. 185. Demum optimorum hominum, eruditione, & fide præstantium, consensus etiam nos de veritate certos reddit (*) maxime si accedat nostræ internæ perspicientiæ, & cognitioni rei ipsius. Sic certa

(*) *Supponimus interim, certo constare de intima sententia præstantium virorum; quia vero humanum cor est inscrutabile, proferentur (§. 202.) quæpiam particularia, pertinentia ad testium securitatem.*

certa est illa propositio, a peritissimis Chimicis tradita: ***aurum esse omnium metallorum fixissimum***; an enim non foret, non dicam humanitate, sed etiam ratione destitui, ut tot præclaris hominibus, qui maximo ingenio, & majori adhuc veritatis inquirendæ sollicitudine præditi, acuratissimis, totiesque repetitis experimentis id compererunt, abnegare veritatem, quam cuilibet alteri sensuum suorum experientia confert (§. 173.)? Si modo debitis cum cautelis observet.

§. 186. Quod si præclaros homines conspirasse quidem unanimiter intelligitur, animus tamen intra se non sit claritate rei ipsius, & evidentia collustratus, tum dicetur haberi veritas externa; certa quidem, *non* tamen *evidens;* ast ubi externo testimonio optimorum etiam intima conscientia adjuncta fuerit, tum veritas habebitur, & certitudo, & *evidentia.* ***Veritas evidens & non evidens.***

§. 187. Ex quo consequitur: veritatem aliam esse certam, & *non evidentem*, eam nempe, quæ a firmitate testimoniorum arcessitur; velut *certitudo historica*, & vel maxime certitudo *mysteriorum*, quæ in divina revelatione continentur; item & *traditionis* infallibilitas, constanti serie, ac consensu per os fidelium propagata. Aliam esse veritatem certam, & etiam *evidentem*, quæ ex intimæ cognitione causæ consurgit (*k*); hæc scientiis est propria, illa eruditioni. Alia est veritas *probabilis*, cui multa motiva assistunt, quamvis non omnia, nec universalia, neque fortasse omnibus aliis eruditis probata, veluti: hominem eruditum, indefessum, justum, magistratui admotum *probabiliter* conjicimus negocia & causas egregie administraturum; neque enim requisita enumerata sunt omnia; insuper requiritur perseverentia in allatis virtutibus, & moribus, quos plerumque novæ dignitates immutare consueverunt. ***Veritas probabilis.***

§. 188. Omnis veritas *probabilis* etiam est *possibilis;* cum enim probabilitas sit de existentia rei, quam utique, ut sit, possibilitas debet præcedere; at vero non omnis *possibilis* veritas est etiam *probabilis*, nulla quippe est legitima argumentatio a possibilitate ad existen- ***Probabile non debet confundi cum possibili.***

(*k*) *Cognitio per causam, dicitur experientia, aut ab effectu, vocatur cognitio* a priori: *cognitio vero a sola cognitio* a posteriori.

existentiam; quare sollicite præcavendum est, ne probabilitas cum possibilitate, quod supra diximus (§. 142.), confundatur, aut promiscue usurpetur in omni genere officiorum. In moralibus quoque spes, quæ probabili fundamento nititur, rationabilis & prudens est: irrationabilis prorsus & stollida, si in objectum pure possibile feratur; veluti si quis e plebe Christianus in Italia ob bonum opus, a se præstitum, sibi a Deo remuneratore Poloniæ regnum, cujus nulla facta est promissio, collatum iri confidat.

Probabilitas male confunditur cum certitudine.

§. 189. Quemadmodum autem non levis insipientia est, *possibilitatem* pro *probabilitate*, & vicissim assumere, ita judicii rectitudinem multo atrocius lædit commistio veritatis *certæ* cum veritate *probabili*, & utriusque pro eodem usurpatio; quo quidem nihil frequentius usuvenit; convertamus paulisper animum ad varias facultates, *Theologiam*, *Philosophiam*, *Medicam*, *Jurisprudentiam*, & intueamur juvenes illos præsertim, qui emenso disciplinæ suæ curriculo conclusiones, ex tota illa facultate decerptas, publico tentamini exponunt; nolim prorsus inficiari, multa ibidem vera, & certa reperiri; sed erunt citra dubium etiam multa, quæ ob quoddam argumentum adlecta, ab aliis ceu incerta, aut omnino falsa respuantur: attamen mos inveteratus, & proprie mercis amor jubet eos eodem Zelo, eademque contentione & *certa*, & *probabilia* defendere; imo quo magis sententiam quamdam controversiis agitatam, & impugnatam intelligunt, eo impensius sibi eam persuadent, & acriori etiam stimulo tuentur. Quid aliud ex hac perturbatione rerum prodire possit in ejuscemodi hominibus, quam ut perpetuo eorum animi eadem cum promptitudine ad opiniones, quantulacunque argutia suffultas, quam ad ipsam veritatem adhærescant: ut negligant candorem: rempublicam litibus, injustitia & falsitate permisceant, atque in claro die, dum inter tenebras palpitant, se versari ineptissime glorientur.

Remedium evitandæ hujus confusionis.

§. 190. Non præcidetur filum malo, in scientiarum, & tranquillitatis publicæ perniciem grassanti, nisi Professores scientiarum, veluti ex condicto in singulis facultatibus, id quod verum, certumque est, a probabili & controverso dispescant: veritates licet paucas, in ordine & conspectu collocent, iterum iterumque revolvendas; tum

tum vero alias propositiones incertas, & probabili solum fundamento nixas, seu placita, in ambiguo posita, subnectant (*l*); super quibus deinde intacto veritatis scopo in utramvis partem libere disputare liceat, & quænam duarum sententiarum probabilior sit, periclitari.

§. 191. Præter veritates *probabiles*, quæ quandoque fundamento sat debili, aut unius solum auctoris suffragio & fide sustentantur, aliæ sunt veritates *probabiliores*, quæ utut & ipsæ incertæ, attamen cum veritatibus probabilibus collatæ, fundamenta habent multo graviora, & illustriora. ***Quid probabile, quid probabilius?***

§. 192. Percrebuit autem nuper celeberrima disputatio, præsertim in theologorum moralium scholis: *an nimirum liceat probabilem sequi sententiam, relicta probabiliori de eodem objecto?* affirmant Probabilistæ, renitentibus Probabilioristis, omnino salva animi innocentia id licere; frivole hoc equidem, & levius, quam cordatos viros in gravi argumento deceat; sed refutatur horum sententia, non tam argutiis sophisticis, quam solido ratiocinio, ex naturali intellectus lumine descendente: cum enim ex omnium gentium consensione animus noster, ex naturæ suæ dignitate, verum desideret, & in solo illius amplexu delicietur, ac conquiescat; illud sponte sua, evidenterque consequitur, ut, si in ambiguis, controversisque causis veritatem assequi non licet, eam de iis saltem sententiam deligat, quæ ad verum, humanarum mentium scopum, propius accedit; idque ob solum, & nativum impulsum pertingendi ad veritatem, quæ veritas quadantenus attribui potest probabiliori in concursu sententiæ oppositæ probabilis; at vero ipsum probabile, dum probabilius adest, magis dici falsum meretur; igitur si indecens, & ignominiosum est humanæ menti in quocunque themate, etiam quod ad solam intellectus exercitationem pertinet, prætermisso probabiliori ad probabile defle- ***Probabilismus evertitur, ac profligatur.***

(*l*) *Præcipuum meritum, quod immortalis memoriæ vir* Baco Verulamius, *Angliæ cancellarius ad emolumentum scientiarum protulit, est, quod generali & vastissima contemplatione dispexerit objecta omnium scientiarum naturalium, ea in classes suas apte disposuerit, & demum, quod indicaverit ea, quæ studio præteritorum sæculorum detecta sunt, quæque hodiedum in tenebris & ambiguo posita supersint declaranda studiosis hominibus.* De dignit. & increment. scientiarum.

deflectere, an non erit impium, & execrabile, idipsum *probabile*, cum de christiani hominis officiis, de animæ & actionum nostrarum sanctimonia, de obedientia debita principibus, atque de æternæ salutis negocio agitur, *probabiliori* anteferre (*m*)? præsertim si tota hæc probabilitatis electio in unius, nescio cujus, hominis auctoritate fundetur; Ciceronem olim dixisse compertum est: nullam esse tam absonam, & dementem opinionem, quæ Philosophorum aliquem non habuerit aliquando vindicem, ac defensorem; quid de tot moralis doctrinæ theologastris, quorum continuo tot propositiones damnabiles ab Ecclesiæ Præsulibus proscribuntur, aut casuistis dicemus, quos Cl. *Graveson* in Historia Ecclesiastica ait sæculo decimo sexto sicut fungos ubique locorum excrevisse, & novis argutiis doctrinam christianam moralem contaminasse (*n*)? Apage igitur effrontem *probabilismum*, ea solum de causa excogitatum & invectum, ut ad arbitrium humanæ petulantiæ normam justi & æqui, divina mandata, & salutis curam exigant, vitiorum licentias distendant, & cum omni genere spurcitiarum libere & erudite nundinentur. Sed ad hæc quidem theologalia extra nostrum tramitem deflexismus.

CAPUT III.

De certitudine humanarum historiarum; & quodnam præcipuum sit illius fundamentum?

Quid sit certitudo?

§. 193. Certitudo est intima mentis securitas de veritate cujusdam propositionis; innitur quippe omnis certitudo veritati, sine formidine oppositi. Quoniam autem nexus idearum ab hoc quidem homine clare perspicitur, non item ab altero, paulisper tardiore; hinc fit, ut eadem propositio, vera in se cæteroquidem,

Non omnibus est idem probabile, nec probabilius.

(*m*) *Non omnia argumenta* probabilia *eadem vi omnes homines convincunt;* probabiliora *quandoque esse alicui videntur, quæ in aliorum comparatione* probabilia *duntaxat sunt: illam proinde oportebit amplecti in morali doctrina sententiam, quæ menti, studiose inquirenti, revera videtur esse* probabilior; *utut alii, contrariis argumentis convicti, ad contrariam sententiam* probabilius *adstringantur.*

(*n*) *Propositiones damnatæ Busenbaum, La Croix &c.*

quidem, illi judicii ſecuritatem & quietem adſerat; alteri ſit prorſus incerta.

Intrinſeca & extrinſeca.

§. 194. Præter ſecuritatem judicii, ex idearum, propoſitionem componentium, perſpicientia natam, alia eſt certitudo, quæ teſtium auctoritati ſuperſtruitur, quin inclaruerint intimæ partes propoſitionis. *Prior* certitudo dicitur *intrinſeca*, e cognita rei veritate deſumpta: altera *extrinſeca*, quæ ipſam veritatem non contingit, ſed teſtem; qui teſtis ſi fallax ſit, non niſi erroneam ſecuritatem intellectui ſuppeditabit.

Certitudo metaphyſica.

§. 195. Alia eſt *certitudo metaphyſica*, cujus veritatis tam clara & vivida luce perfunditur intellectus, ut ei ob metaphyſicam rei neceſſitatem refragari prorſus nequeat. Ejuſcemodi certitudines colliguntur ex cognitionibus rerum per cauſam intrinſecam; veluti: *animam, quæ materia non eſt, non interire cum corpore* &c. Hæc certitudo dicitur etiam *mathematica*, dum eſt de rebus mathematicis, veluti: *triangulo non poſſe duos angulos rectos ineſſe* &c. quas quidem propoſitiones, utut imperitis perplexas, mathematici ex perpetua axiomatum & definitionum cohæſione ſic evolvunt, ut intermedias veritates ſimul exhibeant, ubivis allegantes principia, & cum certitudine evidentiam copulantes.

Certitudo phyſica.

§. 196. Alia eſt *certitudo phyſica*, cujus ſecuritas ex veritate legitimorum experimentorum ope ſenſuum eruitur, & in naturæ legum neceſſitate fundatur (§. 173.): ſic certus ſum, manum meam ab igne, ut primum eam illi immiſero, aduſtum iri, propterea quod ignis natura, ut omnis generis experimenta evincunt, neceſſario urat, & manus mea aduſtionem neceſſario ſentiat. Sed de utraque hac & *metaphyſica* & *phyſica* rerum certitudine hoc loco non agitur.

Certitudo moralis.

§. 197. Alia *certitudo moralis* eſt ſecuritas nata ex teſtimoniis, nullo vitio, aut ſuſpicione contaminatis, quibus paſſim in humana ſocietate confiſi, nec erronee, nec temere egiſſe dicimur, propterea, quod locorum & temporum anguſtiis conſtricti, ea, quæ olim, aut alibi gentium acta ſunt, ſecuriori via intelligere nequeamus, utut abſolute teſtimoniis illis ſubeſſe falſum poſſit, diciturque *extrinſeca.*

Talis securitas est historiarum humanarum, de cujus robore ac valore quæstio est hujus loci, ad definiendam humanarum historiarum auctoritatem, in quibus præteritorum temporum documenta ad defendendam privatam, publicamque incolumitatem continentur (*o*).

Certitudo moralis non est securitas absoluta. §. 198. Ex quibus intelligitur, *certitudinem moralem* non esse *securitatem absolutam*, neque etiam in necessitate rerum fundari, cum eæ absolute aliter, at testimonia afferunt, se habere possint; ideoque cum aliæ certitudines veram securitatem pariant, rei, ut vidimus (§. 195.), necessitate contentam; *moralis* tamen *certitudo* non necessitate, sed solum prudenti fide nitatur, ob humanarum rerum commercium adoptata.

Requisita ad testimonium fide dignum. §. 199. Ut autem testimonium sit omni exceptione superius, hæ eidem debent accedere prærogativæ: 1mo Ut testes fidem mereantur, qui nimirum gravi facultate judicandi valentes, rerum actarum notitiam, accurate requisitam, etiam studiose expenderint; quique a partium studiis, & præsertim malevolentia alieni, noluerint aliis obtrudere imposturas. 2do. Ut res ipsæ, quæ describuntur, non confligentur inter se ulla contradictione, sintque conformes illis ideis cognitis, quæ rerum usu in nostram mentem devenerunt; quam enim securitatem habere liceat de re non intellecta?

Quare humano testimonio non assistat certa fides? §. 200. Quod si humanum testimonium sola aptorum sensuum certitudine, & experimentorum rite factorum valore niteretur, pateret utique etiam *absolutam* mentis *securitatem*, fundatam in physica rerum & sensuum necessitate (§. 196.); non enim est ratio, eccur justa meorum sensuum, visus, auditus &c. experientia plenam mihi conferat certitudinem, & non conferret eandem mihi experientia illa, quam alii testes purgatis oculis & auribus ceperunt de rebus, fide sua roboratis? sed in humana testimonia præter experientiam sensuum etiam ingreditur animus testium, cujus abdita consilia cum nullus mortalium valeat inspicere, omnem aliis sua de sinceritate

Animus humanus non cognoscitur.

(*o*) *Ad constituendas leges, aut abrogandas, aut immutandas haurienda sunt principibus lumina ex historiis, & humana fide.* Memoire pour servir a l'Histoire de Brandebourg. Dissertation sur les raisons d'etablir, ou d'abroger les Loix.

te eripiunt ſecuritatem; utut enim adſtruat fidem candoremque ſuum ſeveris verbis, ea tamen ſua eſt ad diſſimulandum aptiſſima natura, ut invidiæ aut malitiæ concedens ſe occultum fallaciarum architectum ſæpe gaudeat, aut certo gravi paſſione, ſeu fanatismo abreptus neſciat, animi ſui teſtimonium ab experientiæ veritate longiſſime ſeparari. Et hoc occultum verſatilis animi artificium, tam amicum nec prorſus inane ſcepticorum præſidium, deſtituit plena certitudine humanum teſtimonium, etiam in ſenſuum certitudine fundatum.

§. 201. De ſacris hiſtoriis, quæ divinas revelationes compleɛtuntur, alia eſt, longeque diverſa judicandi ratio; earum quippe ſcriptores, divinæ veritatis lumine illuſtrati, & impulſi, nulla ludicrarum paſſionum, aut malitiæ, aut fanatismi contagione laborarunt; unde animus eorum ne umbram quidem ſeu fallaciæ, ſeu diſſimulationis ſuſtinens, certitudinem teſtimonio eorum conciliat, omni humana ſecuritate, etiam metaphyſica majorem. Quod quidem non intelligent, niſi illæ mentes fidelium, quibus miſericorditer a Deo infuſum donum fidei contulit robur agnoſcendi divinum hunc afflatum, & ſacrarum narrationum credibilitatem, aliis etiam humanis hiſtoriis convenientem, evehendi ad ſummum certitudinis faſtigium, ob agnitam in fide peculiarem Dei aſſiſtentiam, ſacris ſcriptoribus collatam. *Sacri ſcriptores Divinarum revelationum non ſunt ſuſpecti.*

§. 202. Cæterum ut revertar ad humanas hiſtorias, videtur de eis omnino conſtituendum eſſe, earum certitudinem, ſi inſcrutabilem animum teſtium expendimus, ultra probabilitatem non aſſurgere: eſſe fallibilem teſtium, quam interponunt, fidem: quibuscunque etiam promiſſis candide & ſincere ſe agere fateantur, id tamen ſemper objicere licebit: forſan ob ſummum humani cordis receſſum, ita, ut adſtruunt, actum non eſſe, adeoque argumentum plenæ certitudinis in humana fide, in univerſum ſpectata, non reperiri; quamvis erroris jure poſtulari, qui probatas hiſtorias ſecutus eſt, nemo poſſit, dum firmiora argumenta, quibus inſiſtere opporteat, deſiderantur. *Humanum teſtimonium ultra probabilitatem non aſſurgit.*

Quædam facta historica sunt tamen certissima.

§. 203. Sunt tamen nihilominus quædam facta historica adeo certa, inconcussa, & universali consensione suffulta, ut si quis abnegaret eis fidem, is gygantum more, qui diis bella intulerunt, cum ratione & ipsa natura pugnare censeretur; quorum primum fabulosum, alterum autem stultum est; neque enim magis adversari videtur rationi, solem in meridie negare, aut animos perseverare post mortem &c. quam extitisse olim decantatum in Romana historia *Julium Cæsarem;* aut *Pompejum* &c. forte æquius ferrent homines, me, qui tres ante dies huc Romam adpuli, negantem, hac me modo in Urbe degere, quam inficiari supplicium publice illatum ante tres septimanas homini malefico, quod tota Urbs inspexit, quodque mihi Romam adventanti omnis ordinis & ætatis homines exposuerunt; videtur enim quodammodo impossibile, ut varii homines sine emolumento, aut alterius spei ostentatione, quin etiam mutuo & prævie inter eos convenerit, factum aliquod contra publicam fidem effingant, quo me, nihil ejuscemodi merentem, delusum velint. Itaque certitudo quorumdam factorum historicorum ejusdem prope est roboris cum metaphysica, aut physica rerum securitate; adeoque & illa niti debebit fundamento infallibili, sito in necessitate naturæ, & in stabili humanorum animorum conditione.

A probitate testium non potest repeti certitudo historica.

§. 204. Quod vero illud esse debeat fundamentum infallibile, in ipso animo scriptorum, tot arcanis studiis sæpe illudentium, collocatum? Plerique Philosophorum hanc certitudinem arcessunt ab historicorum fide, candore & probitate, præsertim si ejusdem facti plures adsertores habeantur; verum, quod pace eorum dixerim, incassum id omnino agunt; nunquam enim in historicorum fide & probitate ultra probabilitatem proceditur (*p*) ob inaccessa eorum cordis

Parkeri argumentum pro veritate Christianæ religionis.

(*p*) *Nuper* Samuel Parkerus *in* Censura Philosophiæ Platonicæ *novum protulit pro veritate Christianæ religionis argumentum, petitum ex candore atque probitate testantis; cum enim Christus, arguit ille, sanctissimus illius auctor, prolixus in omne genus hominum fuerit, atque perpetuus: cum in omni propemodum legis puncto innocentiam, candorem, mansuetudinem & germani amoris officia unice præcipiat: cumque innocentes præprimis, quod in S. Joanne Evangelista contigisse proditum est, & ab ætatis morumque simplicitate commendatos dilexerit; certum profecto videri debet, animum tam clementem, tam modestum atque amabilem in summo negocio religionis nullatenus se obstrin-*

cordis penetralia (§. 200.): quo illi clarius ſe inſpexiſſe autumant animum ſcriptoris: quo plures in eo colligunt ſinceritatis notas: quo etiam plures intelligunt eidem adſtipulari probos ſcriptores, probabiliorem ſemper illius eſſe narrationem merito judicant, ſemper tamen intra probabilitatis terminos concluſam (*q*) cujus perpetuum eſt a plena ſecuritate divortium. Quod ſi de probitate *Socratis* agitur, de religione *Numæ Pompilii*, de abſtinentia *Epicuri* &c. certum eſt, famam eorum per omnium mortalium ora atque admirationem percrebuiſſe; an autem revera tales extiterint, quales fama ferebat, ſolo argumento candoris teſtium nullatenus evincitur.

Solidius fundamentum certitudinis hiſtoricæ.

§. 205. Itaque ut ſolidius fundamentum conſtituatur certitudinis humanarum hiſtoriarum, illud firmiter inviolateque tenendum eſt, quod ſicut humanus quiſque animus ex naturæ ſuæ conditione ſumme arcanus, & inſcrutabilis eſt, ita quoque diverſiſſima ſit unicuique ratio cogitandi & agendi, ſecundum varietatem fortium paſſionum *commodi*, *queſtus*, *iræ* &c. ſecundum item varia educationis prin-

obſtringere valuiſſe vitio impoſturæ. Pulchra ſane & acuta argumentandi ratio, plena ſolatii, ſed iis duntaxat, qui Divinas in Chriſto prærogativas per fidem agnoverunt, & credunt Evangelio; exteri & increduli homines, qui Chriſtum in communi cæterorum mortalium claſſe reponunt, nihil hac argumentatione permoventur: his ille ſemper cenſebitur communes animorum nævos ſuſtinuiſſe: effinxiſſe violentam ſanctimoniam, qua fucaret ambitionem Divinitatis: fierique multo facilius poſſe, ut homines deinde mitiorem legem ſequerentur, quam ut auctor illius talis revera fuerit, qualis prædicatur.

(*q*) In Transact. Philoſoph. *auctor quiſpiam elucubravit calculum, juxta quem definire opporteat certitudinem moralem. Res eo redit, ut oſtendat ex pluribus probabilibus tandem ad certum deveniri. Ex mente hujus auctoris, plures teſtes probabiles ſunt veluti annuli catenæ, quorum terminus ſit certitudo: primus teſtis faciet fidem ſemiplenam, igitur illius ductu medium iter ad certitudinem conficietur: alter teſtis accedens, paris cum priore auctoritatis, per medium denuo reſtantis ſpacii me conducet, ut tres partes itineris ad veritatem abſolvam: Tertius ſuperaccedens medium reſiduæ viæ ſuperare faciet; atque ita porro: ſed vereor, ut algebraica hæc operatio finem ſuum, quem intendit, aſſequatur, dum omnes particulares auctores ſolam probabilitatem continent, qui fieri poterit, ut ex pluribus probabilibus alterius ſpeciei & præſtantiæ facultas, nempe certitudo enaſcatur? quis unquam dixerit ex opinionibus, quotquot demum in unum congerantur, tandem componi ſcientiam, cujus omnes partes, etiam ſimul collectæ natura ſua ſunt longe inferiores?*

principia, secundum temperamenti illicia, & varios objectorum appulsus; quibus omnibus oppositarum sententiarum principiis cum humana natura necessario adstricta sit ob corporis compagem, fieri omnino non poterit, ut si quispiam, peculiari suæ passioni obtemperans, talem aliquam fictionem procudit; alter, aut plures alii, ab aliis diversisque passionibus pro corporum diversitate occupati, libere & ipsi condiderint alterius illius fictionem, suis principiis repugnantem, quin prævie inter se paciscerentur; hocque quadam humanæ conditionis necessitate, liberos animos hisce discriminibus implicante.

Passiones humanorum animorum non correspondent.

Securitas ex consensione plurimorum.

§. 206. Igitur si plures in tanta mentis volubilitate & principiorum conflictu idipsum contigisse maturo judicio fateantur, argumentum erit, e rei natura desumptum, nihil intemperantis passionis ad illud testimonium accessisse, omniumque animos a causa externa fortiore, quæ est facti veritas, idipsum ut saperent, & testarentur, esse compulsos (*r*).

Quomodo ipsæ passiones sint fundamentum certitudinis?

§. 207. Videtis, quam testium, historiarumque certitudo altius conscendat subsellium, & fundetur in necessaria humanæ naturæ conditione: quamque mirabiliter illæ ipsæ protervæ passiones, quæ in peculiarium auctorum animis latenter foventur, iisque securitatis robur intercipiunt, in plurimorum consensione plane evincant historiæ securitatem; quod certo Pyrrhonismum historicum plane jugulat.

Ratio probandi incredulis Evangelium.

§. 208. Eadem ratione suam opportebit vindicare certitudinem Christianæ religioni, & veris miraculis, in utroque testamento Divina virtute editis; dum nimirum res agenda est cum infidelibus, virisque incredulis, qui Evangelistas & Apostolos constituunt in numero cæterorum hominum, pugnantibus studiis inter se dimicantium; quibus utique indulgere non potuerunt, quin in diversas sententias contra

Baylii sententia de historicis.

(r) *Inde est; quod varii scriptores idem factum sæpe prodant tanta cum diversitate, ut singuli ab invicem excidant, quin imo aliud ab alterius instituto persequi videantur. Certo* Baylius, *censor ille scriptorum lynceis oculis, dicere amabat: se nunquam lectitare historicos eo proposito, ut factorum veritatem doceatur, sed ut tantummodo intelligat, quidnam scriptores illi de rebus gestis memoriæ mandarint.*

contra testimonium harmoniæ Evangelicæ abiissent. Sed ad fideles hæc argumentatio non pertinet, qui per fidem, divinam suspiciunt in Evangelio veritatem.

§. 209. Sed neque officit quidpiam huic certitudini, si unus duntaxat auctor factum historicum, cui præsens adfuit, testetur accidisse; dummodo in facie publica, & tacita omnium consensione protulerit suum testimonium, neque ei ullus violatæ fidei indixerit litem; omnes quippe coætanei testium defunguntur officio, quos tanta affectuum conflictatione distractos, atque convulsos sola explorata apud omnes veritas in unum potuit devincire. *Etiam unus testis securitatem adfert.*

§. 210. Quod si factum historicum sola perpetua traditione nitatur, aptos saltem concordesque præcessisse testes opportebit, a quibus illud unanimiter exceperint posteri, qui deinde fideli traditione connectant tempora, & hodiernos homines ad lucem ultimorum sæculorum reducant. Quin etiam monumenta publica, *columnæ*, *ædificia*, *inscriptiones lapidales*, *nummi*, *sepulchra* &c. rebus, quas referunt, gestis summam fidem, securitatemque adjiciunt, ceu testimonia authentica, ipsius naturæ exanimis subsidio custodita. *Traditio & monumenta publica.*

§. 211. Sed erunt fortasse nonnulli, qui ne in hac quidem consensione plurimorum testium, diversa indole comparatorum constitui posse pertendant certitudinem historicam, qui clamitent: obesse multa & gravia huic persuasioni argumenta: putidas deorum, heroumque fabulas esse ab omni Græcia unanimiter, & incredibili cum ardore propugnatas: nihil fuisse Romanis antiquius festo illo commento, quod fera Lupa fratrum utrumque, *Romulum* & *Remum* enutrierit, idque etiam in tot antiquis marmoribus perennare: *Philostratum* conscripsisse 8. libros de vita, & miraculis *Apollonii Tyanæi*, universali omnium gentium adplausu atque encomiis celebratos, quos soli Christiani falsitatis & imposturarum redarguerint: *Mahometem* certo vaferrimum illum tenebrionem totius gentis suæ concordi suffragio in cælum evehi, atque divinis prærogativis decorari; quomodo igitur plurium conspiratio, quomodo traditionis catena certitudinis fundamentum esse possit, quæ in hodiernum usque diem alit tot immanes imposturas, atque impietates? *Objectiones contra allatam sententiam.*

§. 212.

Deorum fabularium falſitas.

§. 212. Verumtamen hæ & ejuſcemodi objectiones nihil contra allatam ſententiam proficiunt, cujus ne ſcopum quidem contingunt; nam primo negandum omnino eſt, illis prolatis hiſtoriis legitimum adfuiſſe teſtimonium; Deorum enim heroumque decantatas fabulas quod attinet, quis neſcit, eas vulgo duntaxat religionem & terrores adſpiraſſe: ſapientes, & principes intus, & in animo omnem illarum ineptiarum cumulum ludificarunt; interim tamen libenter paſſi ſunt, populum his figmentis deludi (s), & ſeipſos ad ejus normam ſimulato compoſuerunt, ut nempe fræna religionis non deeſſent, quibus ille in officiis contineretur. An vero hoc mereatur univerſalis conſenſionis titulo inſigniri?

Fabula de nutritione Romuli exploditur.

§. 213. Enutritionem Romuli & Remi, quam quidam perperam feræ lupæ attribuerunt, antiquiſſimi ſcriptores falſitatis coarguerunt ob æquivocum nomen lupæ; uxor enim paſtoris *Fauſtuli*, quæ curam egit infantum illorum, *Lupa* vocabatur; inde data eſt occaſio Romano populo, pro mole ſuæ amplitudinis Divinam unice originem & portenta ſomnianti, eam ut fabulam procuderet, quamvis ea longo poſt Romulum & Remum tempore prodierit in lucem, & marmoreis etiam ſtatuis ſit honorata; ut proinde locupletis teſtimonii tota forma deſideretur.

Apollonii Tyanæi falſa elogia.

§. 214. Tantum abeſt, ut *Apollonii Tyanæi* vita, resque mirabiliter geſtæ ſufficiente teſtium coætaneorum conſenſione roborentur, ut potius multi ſuæ ætatis eundem pro veteratore peſſimo, & mago habuerint. Certo *Domitianus* imperator eundem maleficiorum cauſa in vincula & carcerem juſſit conjici: totam gloriæ illius pompam, e meris mendaciis conſutam, adornavit *Philoſtratus*, centum & amplius poſt eum denatum annis, idque potiſſimum invidiæ & livoris cauſa, ut Chriſtianorum ſacris protervius inſultaret, & iisdem paganum aliquem, Chriſto ſupparem objiceret. Quis iſte legitimus teſtis pro certitudinis adſertione requiſitus.

§. 215.

Chriſtianæ religionis univerſalitas.

(s) *Alia Chriſtianæ religioni eſt facies, quæ iisdem legibus & dogmatibus & rudes & ſapientes æque obſtringit; quod cum ſub initium Evangelii paganorum ſapientes adverterent, neque id a ſemetipſis impetrare poſſent, ut ſuum ingenii faſtum ad populi ideas ſubmitterent, cæperunt & Chriſtianam hiſtoriam in dubium revocare, & aſpernari penitus, quemadmodum & paganorum theologiam inteſtina falſitate laborare dudum ſciebant.*

§. 215. Denique nihil certi, nihil explorati omnibus *Mahumetis* figmentis inesse peritissimi critici pertendunt, solus siquidem cum esset, & remotis arbitris miracula se patrasse impostor ille venditat: dum cælesti se dicit visione collustratum, nemo alter adfuit: dum arbores reverenter motæ, & percitæ, signa suæ in eum teneritudinis protulerunt: dum lunam imperio suo ex astris in terram compulit, & nutu suo rursum in priorem sedem revexit, totus mundus tum cæcutiit, nemo alter miraculo testis accessit. Quis in nefastis hisce jubilis, a Mahumete allatis, colligere possit legitimam plurium conspirationem ad obtinendam certitudinem? quidquid auctoritatis aut consensionis in hoc luxu mirabilium continetur, depromptum est ab effrœni passione gentis, in sui ducis & legislatoris gloriam cæco impetu ruentis, quam tamen fanatismi labem cordati & tranquilli animi omni tempore impugnarunt. *Mahometis imposturæ.*

§. 216. In his similibusque sublestis & falsis historiis revelantur vestigia generalia, quomodo irrepserint plurimæ falsæ persuasiones in humanum genus, quæ deinde universalem conspirationem mentiebantur. Vestigia illa, seu indicia falsitatis in eo consistunt, quod peculiaris quidam auctor primum, quacunque passione aut mentis debilitate conductus, rem testatus sit falsam, cui testimonio alii coætanei, variis oppositisque passionibus acti, nullatenus suffragati sunt, quin imo si pervenissent in notitiam illius testimonii, etiam objurgatione non dissimulata illud confodissent. Interim superstes illud post multa tempora testimonium, utut spurium, & patentibus fallaciæ notis involutum, testimonium tamen fuit posteris, eo quidem accommodatius ad obtinendam fidem, quo longius ab origine sua processit in caliginem præteritorum, aut etiam quo hominem in sua figmenta proniorem invenit. *Generalia indicia falsarum historiarum, & ortus earum.*

§. 217. Jam vero si impostura illa, ab inidoneo ad faciendam certitudinem auctore olim prolata, vanitati aut alteri passioni totius etiam cujusdam gentis arrisit; tota illa gens aut natio unius solius hominis numero atque auctoritate censeri debet, neque unquam universalis conspirationis vim obtinere potest, ad generandum securitatem necessariam; propterea quod universalis conspiratio intelligatur esse illa, quam varii homines, variis passionibus distracti, pe- *Quæ censeri debeat universalis consensio.*

culiari ſua quique ex conſcientia proferunt: non item illa, quam plures homines, eadem cum paſſione idem objectum reſpicientes, aliunde oblatam ſine cautelis receperunt. Convenire plures omnino poterunt in eo, ut falſam alterius narrationem, ſuis tamen affectibus blandientem, unanimiter excipiant: at vero fieri nunquam poterit, ut plures, adverſis paſſionibus conflictati, falſam hiſtoriam libera conſenſione teſtentur, quin inter eos prius de hac fallacia convenerit, aut quin tota paſſionum humanarum diverſitas & oppoſitio in unam ſolam coalucrit, propoſito falſo themati ſuffragantem.

Quæ acceptatio teſtimonii pariat certitudinem?

§. 218. Itaque univerſalis conſpiratio, ſecuritatis & certitudinis fundamentum, eſt teſtimonium liberum plurimorum, ſingularem fidem interponentium; aut etiam acceptatio alienæ quidem narrationis, ſeverum tamen auctoris examen ſubſecuta; non autem illud teſtimonium plurium, qui narrationem eadem paſſione & natam, & in alios diffuſam, offerentemque fluxitatis ſuæ argumenta acutis aliorum oculis, ſine maturo auctoris & rei ipſius examine temere ſunt amplexati. Quæ omnia ſi quis in hiſtoriis diligenter expenderit; næ ille earum aut fallaciam aut ſecuritatem facillime internoſcet.

Hiſtoriæ Paganorum, prodigia recenſentes, non ſunt certæ.

§. 219. Quæ in paganorum hiſtoriis portenta atque prodigia adferuntur, veluti: clauſum fuiſſe a diis Manibus placatis ſcrobem illum Romanum, poſtquam *Marcus Curtius* ſe hoſtiam voluntariam conſcenſo equo in eum præcipitavit: item fudiſſe delphicum tripodem perpetua vaticinia &c. omni prorſus fide & certitudine deſtituuntur; tum quod natura non pareat fictis deitatibus, tum quod pleræque gentes indomita gloriæ affectatione conſueverint originis ſuæ hiſtoriam amplificare cum Deorum Heröumque commerciis; ubi vera prodigia non ſuppetebant, adſciverunt ſibi ea ex vicinis gentibus, aut ſaltem ad earum ſimilitudinem nova liberrime effinxerunt, animati ipſa caligine temporum præteritorum. Hinc antiquiſſimarum gentium fabuloſæ origines, quarum prima tempora diis, proxima heroibus, ultima hominibus tribuuntur. Moyſis prima omnium gentium hiſtoria, & tantis ubique veri Numinis prodigiis plena, inſpiravit aſtrum fingendi profanis ſcriptoribus, atque ad illius ſimilitudinem rerum ſuarum humilitatem extollendi; multi etiam Chriſtiani ſcriptores in hoc turpiter prolabuntur, quod *Herculis, Minervæ, Bachi,*

Bacbi, *Jovis*, *Vestæ* &c. elegantias ſacris adſpergunt hiſtoriis; in hoc paulo deteriores ethnicis ſcriptoribus, quod hi Moyſis ſacram hiſtoriam fictis nominibus imitarentur: illi autem ipſa profana nomina Sacrario inferant. *Herodotus* (*t*) *Diodorus ſiculus* verminant hiſce fabulis, & portentis adſcititiis.

§. 220. Sed & illa in profanis hiſtoriis nullam fidem merentur, quæ naturali quidem ordine continentur, attamen cum phyſicis experimentis non ſat apte cohærent; magis quippe rationi conſentaneum eſt, animum ſcriptoris, domeſticis paſſionibus ſuperatum, a vero, (§. 199.) quam perpetua ſenſuum experimenta ſuis a legibus abſceſſiſſe. Hinc ceu falſum repudiari debet, quod fama tulit de Mythridate, eum nempe, ut inſidias eluderet, hauriendo toxico aſſueviſſe maxima copia ſine ulla læſione valetudinis; nunquam id verum toxicum fuit; neque enim quis felicius aſſueſcere poterit toxico bibendo, quam ictibus pugionis: neque credendum eſt, quod *Curtius* Lib. IX. aſſerit de Alexandro, ejusque ducibus: eos nimirum, *Multa falſa in hiſtoricis.*

(*t*) *Quis bonæ fidei labem in* Herodoto Halicarnaſſenſi *ſuſpicaretur, qui a Cicerone Lib. I. de Legg. vocatur* Pater hiſtoriæ, *atque etiam a Longino* Ὁμηρικώτατος? *attamen hunc ipſum infrunitæ paſſionis cum veritatis jactura vexaverunt; in ſuis quippe novem libris, Muſarum nomine inſignitis, in quibus bellum Perſarum contra Græcos a Cyro usque ad Xerxem eſt perſecutus unice laudes in elegantia ſtyli conſectatur, eaque opprimit rerum ſinceritatem; hinc de eo* Juvenalis:

Creditur olim
Velificatus athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria

Secundo: partium ſtudiis vehementer laborabat; ſic cum Medus eſſet, nimium quantum extulit Artemiſiæ, Halicarnaſſi reginæ laudem, & victricem gloriam, e pugna ad Salaminam contra Græcos obtentam; Græcos autem etiam injuriis laceſſit; nam Themiſtoclem inique depingit, & Adimantem, Corynthiorum imperatorem criminatur turpi fuga eſſe elapſum e pugna ad Salaminam, cum jactura totius Græciæ, contra ac Plutarchus aſſerit; meritus inde eſt, ut idem Plutarchus Tractatum componeret περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας de malignitate Herodoti, *in quo hiſtoriam quidem illius magnificam, amænitatis & facundiæ plenam eſſe fatetur, attamen maledicentiæ virus in ea ſpargi.* Dio Chryſoſtomus, *qui ſecundo Chriſti ſæculo vixit, Orat. 37. delegit hujus maledicentiæ cauſam; cum enim Corynthii Herodoto petenti præmium pecuniarium negarent, quod gloriam ſuam nollent a pecuniæ largitione proficiſci, ille in rabiem actus, non tantum omnem de eis narrationem mutavit, ſed & laudes eorum in ignominiam convertit.* *Cenſura & indomitæ paſſiones Herodoti.*

rum, cum ex fluvio in mare descendere pararent, & subito ingruente maris æstu in flumen retroacti fuissent, ignaros hujus phænomeni vehementer obstupuisse; quis enim sibi persuadeat, Alexandrum Aristotelis discipulum, & tot versatissimos duces ignorasse phænomenon maris, nulli accolarum unquam ignotum. &c.

Criterio securitatis omnes historiæ subjiciuntur.

§. 221. Id denique pro coronide admonuisse juverit, omnino exigi opportere ad regulam & criterium securitatis, superius allatum (§. 205.), omnes quasque historias, etiam eas, quæ longa populorum incuria iniquam certitudinis possessionem sibi vendicarunt; sic sua historiis quibusque fides restituetur, & passionum humanarum innotescet vis seu ad deprimendam, seu elevandam rerum certitudinem; quarum quidem passionum etiam validissimarum *odii*, *iræ*, *invidiæ* &c. nulla unquam fuit fanatismo valentior ad inferendas historiis corruptelas, seu fanatismum Religionis, spectes, seu principum, seu alterum quemcunque.

Fanatismus infecit historiam Ecclesiasticam.

§. 222. Ecclesiastica historia furoris hujus fanatici immanes vibices ostentat, illatas a Christianis scriptoribus, qui scientia & reverentia destituti, a solo cæco zelo perciti, adjecerunt Ecclesiæ rebus magnifica commenta, ut causam fidei redderent ethnicis ornatiorem; quasi vero posset Divinæ veritati ab humanis mendaciis accedere incrementum (*u*). Justissima sane est Ludovici querela (*x*), de historiis quibusdam in Ecclesia confictis, prudenter ille sane, ac graviter eos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere; id quod & maxime periculosum est, & minime necessarium. Mendaci siquidem homini ne verum quidem credere solemus. Quamobrem qui falsis atque mendacibus scriptis mentes morta-

Scaligeri sententia. (*u*) *Scaliger Epist. ad Casaubonum pag.* 303. *scribit:* illud me yehementer movit, quod videam primis Ecclesiæ temporibus quam plurimos extitisse, qui facinus palmarium judicabant, cæleslem veritatem figmentis suis ire adjutum: quo facilius nova illa doctrina gentium sapientibus admitteretur. *Item Fell Episcopus Angliæ in præmiss. monit. Confess. suppofit. S. Cypriani:* Tanta fuit primis sæculis fingendi licentia, tam prona in credendo facilitas, ut rerum gestarum fides exinde graviter laboraverit; nec orbis tantum terrarum, sed & Dei Ecclesia de temporibus suis mysticis merito queratur.

(*x*) *Lib. I. de tradendis disciplin. apud* Melchiorem Canum *Lib. XI. de Locis Theologicis. Cap.* 6

mortalium concitare ad Divinum cultum voluere, hi nihil aliud mihi videntur egisse, quam ut veris propter falsa adimatur fides, & quæ severe ab auctoribus plane veracibus edita sunt, ea etiam revocentur in dubium. Sed de scriptis his suppositiis & interpolatis plura in Arte Critica adferemus.

CAPUT IV.

De Opinione, Dubio, Hypothesi, Errore, & Ignorantia.

§. 223. Veritatis hactenus & certitudinis naturam, atque præstantiam pro feliciori earum & inquisitione, & qua licet assecutione, interpretati sumus; nunc ad inferioris ordinis objecta redit disputatio, ad *opinionem*, *dubium*, *hypothesin*, *errorem*, *ignorantiam*; tot labes & nævos humanorum ingeniorum, quot eorum sunt nomina, contrario ex fine suscepta, ut nimirum de eorum inanitate condocefacti, necessitati eorundem, sæpius occurrenti quam licet parcissime serviamus; dum nihil pretii illis inest, nihil dignitatis suapte natura: quidquid commendationis ab illis accedere menti potest, totum id in prudenti usu eorundem, seu potius contemptu, & emendatione consistit. *Veritate sunt opinio & dubium multo inferiora.*

§. 224. Cum duarum idearum, quarum unam de altera affirmare, vel negare opporteret, neque nexus, neque repugnantia clara & distincta est, neque etiam oppositi possibilitas omnino excluditur, tum mens de illis dicitur *opinari* (y); Hæc tamen mentis opinantis actio non tam est assensio, quam propensio ad assentiendum; id est: mens adeo destituta est pondere momentorum, ad assensum incitantium, ut pronum paratumque judicium ferre non possit; quod si omnino urgeret necessitas ad judicandum, hæc utique præ illa vide- *Opinio quid sit?*

 retur

(y) *Non agitur hic de opinionibus,* quibus mundum regi, *vetus est paræmia; sic enim opinio idem sonat, quod* persuasio, *aut* imaginatio firma. *Has imaginationes in omni rerum & scientiarum genere, atque in omni argumento apud eruditos recurrentes fuse persecutus est* Cl. Gendre *in Tractatu:* de l'Opinion.

retur ſententia conformior veritati. Quod certo quam debile, & infirmum ſit, atque etiam infra mentis præſtantiam jaceat, nemo non videt, præſertim ſi opinioni inerter inhæreat animus, negligens in majoris claritatis ſpe contentionem, aut ſi futilem deſperatamque cauſam prorſus non abjiciat.

Vulgaris definitio opinionis non ſuſtinetur.

§. 225. Vereor itaque, ut vulgaris definitio: *opinionem eſſe aſſenſum cum formidine oppoſiti* ſuſtineri queat; ſi enim is, qui aſſentitur propoſitioni, veram eam eſſe judicat: & is, quem oppoſiti formido tenet, revera timet de falſo; quo pacto licebit aſſenſum cum oppoſiti formidine conjungere? niſi dicere libeat: judicare, quod verum ſit; & judicare, quod forte falſum ſit, in uno eodemque poſſe ſimul componi.

Opinionum duo genera.

§. 226. Opinionum duo ſunt genera: quædam opiniones veroſimiles ſunt, & *probabiles*, quibus quædam inſunt notæ veritatis, inſufficientes tamen ad aſſenſum (z); quædam opiniones nullam quidem veritatis ſpeciem oſtentant, non ita tamen poſſunt rationibus convelli, aut convinci, ut inter certos errores eas referre liceat. Ejuſcemodi opiniones dicuntur *improbabiles*. Quod cum in finem attuli, utne, quod paſſim fieri ſolet, opinionem improbabilem pro falſa, aut impoſſibili habeamus: certo *perpetuum mobile* nullam veritatis ſpeciem refert, at impoſſibile hactenus demonſtrari non potuit.

Quæ ſit radix omnium opinionum.

§. 227. Radix omnium opinionum in univerſum ſita eſt in inertia (§. 52) aut inhabilitate (§. 53.) noſtrorum ingeniorum; Quidam ſeveris experimentis, quæ veritatis promptuarium ſunt, objectum identidem periclitari negligunt: alii circa objecta, humanis mentibus inacceſſa occupantur; & hi, & illi ultra opinionem & incertitudinem non aſſurgunt, & in principiis delinquunt.

Dubium quid ſit?

§. 228. Dubitare tum dicimur, cum æquales rationes ſunt ſic, aut aliter judicandi; tum quippe mens in utrumque æque propenſa fluctuat, quemadmodum fere lances libræ, æqualiter utrinque depreſſæ,

(z) *Similia, & per conſequens veroſimilia cenſentur eſſe ea, quæ quibusdam quaſi partibus conſentiunt, & quædam communia habent.*

pressæ, in æquilibrio detinentur. Est itaque dubium conditio mentis suspensæ, & quanam judiicii via exeundum sit, ignorantis. Qui quidem mentis, ad omnia negocia ineptæ languor, ex claritatis defectu, & idearum, earundemque discriminis confusione natus, rarius occupat ardentes animos, ob motuum vigorem ad judicandum proniores; inde etiam plerumque a scepticismi periculis magis alieni sunt.

Dubium effectivum. *Dubium methodicum.*

§. 229. Aliud est dubium *effectivum*, aliud *methodicum*. Dubium *effectivum* mentem, ut ante dictum est, suspensam inter utrumque oppositum assensum retinet ob apparentem momentorum æqualitatem. Dubium *methodicum* differt sententiam, non quod animus in ambiguo revera hæreat, aut, quo propendendum sit, non videat; sed ut ea in suspensione liberius in res, non intime perspectas inquirat, aut etiam, ut validius sentiat momenta sententiæ suæ veteris, eamque novis argumentis undequaque stabiliat, aut certo ut priores vanas persuasiones, in medio positus, sine partium studio falsitatis condemnet. *Cartesius* hujus generis dubio usus est, dum sibi, vulgariumque Philosophorum placitis diffisus, novam suam judicandi methodum, in inquirendi necessitate fundatam cum tanto Philosophiæ incremento induxit; estque diversum quam maxime ab altero illo dubio feroci, cæco, impudentissimo scepticorum (§. 415.); hoc namque dubium est perduellionis & tenebrarum: illud luminis & liberalissimæ contentionis; a *dubitare* enim proceditur ad *philosophari*.

De quibus dubitare liceat?

§. 230. Hoc tamen dubium ut prosit Philosopho, assumi debet de objecto, cujus nondum sat claram & distinctam ideam habemus (*a*); ut quid enim de rebus certis, & exploratis dubitaretur? veluti: *an nos & alii in orbe homines existant? an lapis in America ex aëre in terram decidat, an potius ibi mirabiliter in aëre suspendatur?* quorum

Walchius notatus.

(*a*) *Ridicula videtur* Walchii *sententia, in Lexico Philosophico* §. dubium *docentis: non esse dubitandum, nisi bene examinatis perpensisque argumentis. Vi examinis dubium deponi debet, non assumi; nisi forte de objecto, humanis viribus superiore; at tum neque ante, neque post examen dubium assumptum quicquam proficiet, meliusque erit, & dubium & examen intermittere, suamque de eo ignorantiam profiteri.*

quorum utrumque verissimum est, alterum ob constantem sensuum experientiam (§. 173.); alterum ob reflexionem, & analogiam, generale gravitatis attributum omnibus corporibus jure tribuentem; assumptum quippe dubium eo respicere debet, ut inquirantur veritates, non ut pessumeant. Et amabo! si justa reflexio mentis, & exactum testimonium sensuum a Deo & natura constitutum est fundamentum veritatis & certitudinis, an non ille imprudentissime ageret? an non quæreret in scirpo nodum, qui hujus rursus principii & fundamenti aliud requireret principium, atque ita in infinitum abscedens, ipsam veritatem pro dubio haberet?

Turpius est repudiare veritatem, quam ignorare.

§. 231. Tam enim illi aberrare mihi videntur a recta inquisitione veritatis, qui dubitant proterve nimium, quam qui nimis facile persuadentur: neque magis abripiuntur homines in transversum nimio ardore decidendi veritatem, quam nimia anxietate fugiendi errorem. Modus in utroque retineri debet; si miseri sunt illi, qui prolabuntur cautelæ defectu: miseriores utique illi haberi debent, qui excessu præcautionis repudiant veritatem; illi namque venia censentur esse digniores ob labem ignorantiæ, quam hi ob protervos insultus non merentur.

Cartesii Censura.

§. 232. Quamobrem dum *Cartesius* docuit, de omnibus omnino esse dubitandum: *facile quidem supponimus*, ait Parte I. Princip. §. 7. *nullum esse Deum, nullum cælum, nulla corpora, nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum corpus.* Et Medit. I. *tandem cogor fateri, nihil esse ex iis, quæ olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsiderantiam, aut levitatem, sed propter validas, & meditatas rationes, ideoque etiam ab iisdem, non minus quam ab aperte falsis accurate deinceps assensionem esse cobibendam, si quid certi velim invenire.* Denique Part. I. Princip. §. 2. *quin & illa etiam, de quibus dubitabimus, utile erit haberi pro falsis, ut tanto clarius, quidnam certissimum, & cognitu facillimum sit, inveniamus.* Non desunt, qui censoria illum virgula feriant, quod extra chorum prosiliens dubiis nimium indulserit; usurpari ab eo, inquiunt, *dubitare*, & *ceu falsum rejicere* pro eodem, quæ tamen diversissima sunt; alterum quippe vult suspendi sententiam: alterum eam ferri. Secundo: hac ratione a Cartesio late

pandi

pandi viam ad scepticismum & Atheismum; si enim sensuum nostrorum testimonia, si ideæ claræ & distinctæ, si communis sensatorum hominum conspiratio nil nisi perpetua dubia offerunt humanis mentibus: si illud, de quo dubitatur, etiam falsum esse supponi debet, quid porro vetat, sine fronte omnia pernegare, propriæ rebellare conscientiæ, & effractis modestiæ repagulis inter scepticos nomen suum palam profiteri?

§. 233. Verumtamen videtur *Cartesius* de illis evidentissimis rebus dubitasse, non quod suspectam, aut ancipitem earum haberet veritatem, sed ut his allatis in speciem dubiis veritatem collocaret in clariori lumine, & aliis forte oborituras dubitationes adimeret; quod omni & ignorantia, & vitio caret (*b*). Et profecto corrupta temporum illorum judicandi ratio, & inolita consuetudo, ineptias quasque Scholasticas pro veritatibus habendi, extorsit *Cartesio* reformatori duriores illas expressiones; nec enim poterat, nisi vi & protervia, vulgarium Philosophorum excuti veternus: quemadmodum fere nautæ, cymbam in oppositam fluminis rippam conducturi, coguntur altius ad retundendum aquarum impetum collimare. *Proprius Cartesii Scopus.*

§. 234. De Fidei mysteriis, quæ in divinis scripturis, & perpetua fidelium traditione revelata (*c*), ab Ecclesia universali credenda præcipiuntur, nunquam liceat dubitare, horum quippe obscuritatem supplet Dei testimonium, atque ad summum veritatis fastigium adducit. *Dubium nunquam admittitur in rebus fidei.* Nomine autem divinorum mysteriorum non debent intelligi fanaticæ quædam persuasiones vulgi superstitiosi (§. 462.) qui, ut in cæteris omnibus, conditionis suæ infelicitatem consolatur ignava sentiendi libidine, placitis suis facile conciliat divinam auctoritatem, vera autem mysteria non raro sat languide reveretur. *Fanatismus vulgi in religione.* De his Pseudo-mysteriis multo animosius, quam de humanis argumentis dubitandum est, propterea quod de his quidem dubitans ab errore: de

(*b*) *Videatur Muratorius de Moderatione ingeniorum in materia Religionis Lib. I. Cap. 2.*

(*c*) *Quandoque traditio orthodoxam speciem præ se ferre videtur, quæ tamen, si recte examinetur, universalis & perpetua non est, sed particularium hominum & temporum, adeoque nec veris traditionibus, nec fidei mysteriis sunt inserendæ.*

quorum utrumque verissimum est, alterum ob constantem sensuum experientiam (§. 173.); alterum ob reflexionem, & analogiam, generale gravitatis attributum omnibus corporibus jure tribuentem; assumptum quippe dubium eo respicere debet, ut inquirantur veritates, non ut pessumeant. Et amabo! si justa reflexio mentis, & exactum testimonium sensuum a Deo & natura constitutum est fundamentum veritatis & certitudinis, an non ille imprudentissime ageret? an non quæreret in scirpo nodum, qui hujus rursus principii & fundamenti aliud requireret principium, atque ita in infinitum abscedens, ipsam veritatem pro dubio haberet?

Turpius est repudiare veritatem, quam ignorare.

§. 231. Tam enim illi aberrare mihi videntur a recta inquisitione veritatis, qui dubitant proterve nimium, quam qui nimis facile persuadentur: neque magis abripiuntur homines in transversum nimio ardore decidendi veritatem, quam nimia anxietate fugiendi errorem. Modus in utroque retineri debet; si miseri sunt illi, qui prolabuntur cautelæ defectu: miseriores utique illi haberi debent, qui excessu præcautionis repudiant veritatem; illi namque venia censentur esse digniores ob labem ignorantiæ, quam hi ob protervos insultus non merentur.

Cartesii Censura.

§. 232. Quamobrem dum *Cartesius* docuit, de omnibus omnino esse dubitandum: *facile quidem supponimus*, ait Parte I. Princip. §. 7. *nullum esse Deum, nullum cælum, nulla corpora, nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum corpus.* Et Medit. I. *tandem cogor fateri, nihil esse ex iis, quæ olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsiderantiam, aut levitatem, sed propter validas, & meditatas rationes, ideoque etiam ab iisdem, non minus quam ab aperte falsis accurate deinceps assensionem esse cohibendam, si quid certi velim invenire.* Denique Part. I. Princip. §. 2. *quin & illa etiam, de quibus dubitabimus, utile erit haberi pro falsis, ut tanto clarius, quidnam certissimum, & cognitu facillimum sit, inveniamus.* Non desunt, qui censoria illum virgula feriant, quod extra chorum prosiliens dubiis nimium indulserit; usurpari ab eo, inquiunt, *dubitare*, & *ceu falsum rejicere* pro eodem, quæ tamen diversissima sunt; alterum quippe vult suspendi sententiam: alterum eam ferri. Secundo: hac ratione a Cartesio late pandi

pandi viam ad ſcepticismum & Atheismum; ſi enim ſenſuum noſtrorum teſtimonia, ſi ideæ claræ & diſtinctæ, ſi communis ſenſatorum hominum conſpiratio nil niſi perpetua dubia offerunt humanis mentibus: ſi illud, de quo dubitatur, etiam falſum eſſe ſupponi debet, quid porro vetat, ſine fronte omnia pernegare, propriæ rebellare conſcientiæ, & effractis modeſtiæ repagulis inter ſcepticos nomen ſuum palam profiteri?

§. 233. Verumtamen videtur *Carteſius* de illis evidentiſſimis rebus dubitaſſe, non quod ſuſpectam, aut ancipitem earum haberet veritatem, ſed ut his allatis in ſpeciem dubiis veritatem collocaret in clariori lumine, & aliis forte oborituras dubitationes adimeret; quod omni & ignorantia, & vitio caret (*b*). Et profecto corrupta temporum illorum judicandi ratio, & inolita conſuetudo, ineptias quasque Scholaſticas pro veritatibus habendi, extorſit *Carteſio* reformatori duriores illas expreſſiones; nec enim poterat, niſi vi & protervia, vulgarium Philoſophorum excuti veternus: quemadmodum fere nautæ, cymbam in oppoſitam fluminis rippam conducturi, coguntur altius ad retundendum aquarum impetum collimare. *Proprius Carteſii Scopus.*

§. 234. De Fidei myſteriis, quæ in divinis ſcripturis, & perpetua fidelium traditione revelata (*c*), ab Eccleſia univerſali credenda præcipiuntur, nunquam liceat dubitare, horum quippe obſcuritatem ſupplet Dei teſtimonium, atque ad ſummum veritatis faſtigium adducit. *Dubium nunquam admittitur in rebus fidei.* Nomine autem divinorum myſteriorum non debent intelligi fanaticæ quædam perſuaſiones vulgi ſuperſtitioſi (§. 462.) qui, ut in cæteris omnibus, conditionis ſuæ infelicitatem conſolatur ignava ſentiendi libidine, placitis ſuis facile conciliat divinam auctoritatem, vera autem myſteria non raro ſat languide reveretur. *Fanatismus vulgi in religione.* De his Pſeudo-myſteriis multo animoſius, quam de humanis argumentis dubitandum eſt, propterea quod de his quidem dubitans ab errore: de

(*b*) *Videatur Muratorius de Moderatione ingeniorum in materia Religionis Lib. I. Cap. 2.*

(*c*) *Quandoque traditio orthodoxam ſpeciem præ ſe ferre videtur, quæ tamen, ſi recte examinetur, univerſalis & perpetua non eſt, ſed particularium hominum & temporum, adeoque nec veris traditionibus, nec fidei myſteriis ſunt inferendæ.*

de illis vero etiam ab impietate se contineat; & quoniam tota labes a fanatismo, & animi intemperantia proficiscitur, nullo negocio aptius, quam judicii suspensione, & presso examine poterit reparari.

Hypothesis quid sit?

§. 235. Per *Hypothesin* intelliguntur ideæ, & regulæ in certum ordinem consociatæ, de quarum veritate demonstratio nulla fieri potest; tantisper tamen eo consilio assumuntur, ut ex iis ratio reddatur eorum, quæ experientia cognoscuntur. Tales hypotheses sunt *Capernicana*, *Tychonica*, *Ptolomaica*. Refertur itaque hypothesis ad opiniones & conjecturas, estque semper eo incertior, quo plures modi, idem phænomenon explicandi, excogitari possunt; quodsi unus modus explicandi cæteris videatur multo planior, & expeditior, non tamen ideo cessabit esse hypothesis, neque ad veritatis dignitatem assurget, nisi demonstretur, idearum illarum existere objectum; meritoque ridendi sunt illi, qui enunciationem aliquam, ceu hypothesim recipiunt, hanc tamen ceu verissimam, & demonstratam plenis buccis extollunt; cum hoc naturam hypotheseos evertat.

Causa & occasio Hypotheseon.

§. 236. Ratio excogitandi varias hypotheses fuit ista: incurrebant in sensus varia naturæ phænomena, quorum causa, existendique modus latebat: omnia illa phænomena erant experientiæ particulares, e quibus nihil consequitur; igitur ut ex iisdem quidpiam inferri, & concludi posset, necessum erat hypotheses, ceu universales propositiones constituere, atque inde hypotheses emanarunt.

§. 237. Hypotheseon duæ sunt præcipuæ classes; altera *technica*: altera *imaginaria*. *Technica* hypothesis normam ac regulas quasdam in ordinem digerit, pro problematum, humanæ societati admodum proficuorum, resolutione. Ejuscemodi sunt: *Arithmetica hypothesis*, *formulæ variæ algebraicæ* &c. licuisset equidem alias ab his, quæ hodie obtinent, constituere numerorum combinationes (*d*). *Imaginaria* classis respicit phænomenorum occurrentium explicationem juxta leges generales, utut sine hac sat bene intelligi possint phæno-

(*d*) *Aliæ gentes, illæ præsertim, quibus nulla nobiscum olim intercessit communicatio, veluti Chinenses, alia arithmetices hypothesi utuntur, veluti* Arithmetica duali.

phænomena particularia. Tales hypotheſes ſunt: *modus unionis* animæ cum corpore; nulli quippe mortalium mutuum hoc vinculum ignoratur: agere, & diſponi mentem ſuam ad corporis modulum: & viciſſim, corpus regi, exercitarique ad animi arbitrium; has tamen peculiares cujusque experientias, ut alii latiori indagine comprehenderent, atque explicarent, hi quidem cum Peripateticis *influxum phyſicum:* alii cum Carteſio *Cauſas occaſionales:* nonnulli cum Leibnitio ingenioſiſſime *Harmoniam præſtabilitam* excogitarunt, & plures hodiedum novis modis explicandi hoc commercium, nec multo aliis felicius occupantur. *Item:* particularia phænomena ubertim indicant, calorem quempiam, ſeu ignem diffundi per totam late naturam, qui omnia quæque corpora, varia admixtione ſubiens, æquilibrii leges moderetur: motus ſit principium, & variam fluiditatem pro vario ad varios homines reſpectu, variam raritatem, condenſationem, lucem, nubes, pluvias, fulgura, fulmina &c. efficiat; quis vero iſte ſit ignis, cum incertum ſit, alii *materiam ſubtilem* Carteſii, alii *ignem ſolarem*, alii *elementarem*, ſeu *centralem* telluris, alii multo acutius *materiam electricam* in ſuam phænomena explicandi hypotheſim adoptarunt &c.

§. 238. *Primi generis* hypotheſes plerasque ſummo cum humanæ ſocietatis emolumento eſſe olim inventas, & feliciſſimo hodiedum uſu coli, nemo eſt, qui inficietur; ut enim præteritis cæteris id de ſola affirmem Arithmetica; quis ea carere poſſit in publicis privatisque officiis? Algebraici hodiedum varias novas formulas pro problematis *Nauticis*, *Mechanicis*, *Aſtronomicis*, *Architectonicis* &c. reſolvendis in lucem proferunt utiliſſime. ***Technicæ hypotheſes laudabiliter coluntur.***

§. 239. Opportet nihilominus omni cuique hujus ordinis hypotheſi duas has adeſſe conditiones: *primo*, ut omnia problemata illius ope reſolvi queant. *Secundo*: ut certus modus habeatur intelligendi, an bene, an vero perperam uſi fuerimus hypotheſi? Arithmeticæ utrumque convenit: omnia enim problemata illius beneficio ſolvuntur; habeturque etiam regula, operationis rectitudinem ſua in hypotheſi explorandi: proba bonæ *multiplicationis* eſt *diviſio*. Quam qui dem ſecuritatem in operationibus arithmeticis obtinemus ex perſpicuis ideis numerorum, quorum reſolutione ad prima & ſimplicia numeri ***Duæ conditiones hypotheſium Technicarum.*** ***Arithmetica hypotheſis ſecura.***

numeri cujusque elementa devenimus; quod si de objectis aliarum hypotheseon æque claras ideas, & æque faciles resolutiones in sua elementa simplicia haberemus, utique tantæ utilitatis necessitatisque forent illæ hypotheses, quantæ est Arithmetica; sed harum conditionum defectus plerumque facit alias hypotheses claudicare.

Hypotheses imaginariæ non sunt multiplicandæ.

§. 240. *Secundæ classis* hypotheses cum arbitrariæ sint, cumque earum ratio, ob quam inductæ sunt, nulla possit aut necessitate communiri, aut evidentia, non tam animare nos debent ad comminiscendum novas rursum hypotheses, quin imo potius ab inutili aliorum collocata in iis opera avocare. Id verum est: evehi non raro causas ancipites per longa studia, novasque inventiones tandem ad gradum aliquem veritatis, aut certitudinis; sed tum requiritur, ut novæ illæ accedentes inventiones, & hypotheses propius scopum feriant, sintque non modo luculentiores & verosimiliores prioribus, verum etiam spem bonam faciant ad verum tandem pertingendi. Quod si novæ hypotheses, priorum vitia reparaturæ, aliud novum vitium adjiciant, quid juverit, novis ambagibus veteres salebras permiscere, præsertim si particularia phænomena, quorum causæ omnes hypotheses suscipiuntur, non reddantur illustriora?

Consilium ad capienda experimenta loco hypotheseon.

§. 241. Cæterum, quisquis in dubiis perplexisque causis ad securius ferendum judicium aliis cupit facem accendere, ille, mea quidem sententia, hypotheseon generalium loco, experimenta particularia plurima faciat, & phænomena congerat omnis generis, & difficultatis; plerumque enim hypotheses ideo vagæ sunt, & incertæ, quia eliciuntur e phænomenis, justo paucioribus, neque per omnes causæ circumstantias diffusis, secundum quas deinde omnia naturæ phænomena obtorto collo explicantur; Quod si tandem phænomena in omni causæ latitudine, judicium variis cautelis moderante, prolata fuerint; tum sponte cuilibet, non quidem hypothesis, sed principiorum veritas elucescet. Attamen difficillimum est ad tantum experimentorum numerum pervenire, & in plerisque etiam causis desperatum (§. 71.) propterea quod phænomena ut plurimum dependeant a catena ingredientium rerum occultarum, sensus nostros subterfugientium; imo etiam rerum, de quibus hypotheses fabricantur, intima natura plerumque nos latet; & quis se putet *modum unionis*

unionis corporis cum anima in quacunque hypothesi assecuturum, dum ipsa natura mentis & corporis ignoratur, & forte perpetuo ignorabitur? (§. 5.)

Ignorantia quid, & quotuplex fit?

§. 242. *Ignorantia* est ea mentis conditio, qua unius, pluriumve rerum, de quibus agitur, cognitione caret; adeoque non tam in actione mentis, quam torpore quodam, & cœcitate illius consistit. Duplicis illa *ignorantia* est ordinis; aut enim est *vulgaris*, dum ignoramus res sensuum & memoriæ beneficio in animum advenientes; veluti si quis paucissimas, aut pene nullas plantarum species viderit, anteactorum prorsus non recordetur, &c. Aut est *Philosophica*, quæ mentem obnubilat, causarum cognitione, & ratiocinio destitutam, veluti si quis ignoret: eccur, & quibus legibus cymba supra aquas feratur, &c. (*e*)

Quomodo tollitur ignorantia?

§. 243. Vulgaris ignorantia eliminatur a solicita experientia objectorum; quia vero homines, locorum & temporum angustiis constricti, nequeunt ipsi infinita objecta videre, tangere, audire; ideo auscultatione magistrorum, & librorum lectione communiter depellunt ignorantiam. Quæ quidem discendi ratio interim valere potest in alterius absentia; nunquam tamen propriam objectorum experientiam, auribus, oculis, &c. captam adæquabit; propterea, quod tales constanter sint ideæ, quales sunt perceptiones: in magistrorum autem auscultatione, & librorum lectione aliæ perceptiones, quam quas ipsorum objectorum experientia postulat, eliciuntur, atque etiam alienæ species substituuntur propriis; sed & peculiaris cujusque magistri indoles ideis audientium plerumque admiscetur. Inde est, quod permulti, postquam de rebus plurima audiverunt, vel legerunt, cum tandem sensibus propriis experimenta illorum objectorum capiunt, mirentur, ideas enasci in suo animo longe alias ab illis, quas lectio eisdem prius obtulit, estque illis longe molestissimum, audire sciolos,

Fortior est experientia, quam librorum lectio vel auditio.

R 3

(*e*) *Theologi, qui de Christianis officiis disputant, duas adferunt ignorantiæ species, quarum prima* vincibilis *dicitur, altera* invincibilis: *Invincibilis, cui deponendæ facultas non suppetebat, a culpa eximitur; at vincibilis, quæ contra legem, quam scire licuisset, operatur, culpæ obnoxia est.*

los, qui ſola aut narratione, aut lectione imbuti, ea confidenter docent, quæ alii revera experti ſunt. Optima itaque ratio vulgarem ignorantiam depellendi, eſt ipſarum rerum, ſuis circumſtantiis veſtitarum experientia, ſola hæc ſecuritatem animi, & vigorem affert, neque vacillare patitur; dum alii, ſola aliorum narratione tincti, neſcio quid fluxum & imbecille in tota ſua eruditione nundinantur.

Præcipua cauſa ignorantiæ Philoſophicæ. §. 244. *Philoſophica ignorantia* potiſſimum ex neglectu analyſeos dependet; dum nempe negligimus materiam phænomeni in ſua principia ſolerter reſolvere; Sic dum radius excipitur quocunque latere priſmatis vitrei æquilateri, videbitur ſimplex duntaxat objectum lucidum; at ſi idem radius in priſmate, itidem æquilatero, ex nativa cryſtallo exſciſſo excipiatur, videbitur in quibusdam lateribus duplicari, cujus cauſa ex cryſtalli figura originaria hexagona deducitur, quam variam materiam priſmatis niſi quis analytice reſolvat, atque examinet, ille variantis phænomeni cauſam ſemper ignorabit. (*f*)

Ignorantia egeſtatis mater. §. 245. Sicubi ignorantia in populis alte radices egit, ibi non modo ingeniorum liberalitas & elegantia exulat, verum etiam vitæ commoda & artium deliciæ neſciuntur; quemadmodum barbaras gentes premi videmus rerum omnium & commodorum egeſtate (§. 564.) neque equos manſuefaciunt ad currulia obſequia, rhedas non habent, neque ſcalas, quarum ope in altas arbores aſcendant: neque naves, ut flumina trajiciant: neque arma: neque hamos, ut agant prædas piſcium fame compulſi: neque firma domicilia, &c.

Ignorantia artium excitat vires naturales. §. 246. Mirabile tamen eſt, horridos illos populos, quod *Kolben* de Hottentotis ſcribit, incredibili eſſe curſus celeritate; ſumma promptitudine in ſcandendo altiſſimas arbores: natando piſcibus antecellunt, eosque capiunt: lapides ex amuſſim jaciunt, &c.:

Beccaria laudatus. (*f*) *Variæ gemmæ pro varia ſua originaria configuratione vario modo immutant radium incidentem, aut multiplicant. Quod recens* Beccariæ *inventum mirifice illuſtrabit hiſtoriam naturalem, ac præſertim analyſim gemmarum.*

&c. : nempe quo minus ſtudiis, & artium tædiis ſeſe implicuerunt, eo vires animi corporisque habent validiores, quas deinde in neceſſitates ſuas, in curſum, natatum, &c. audacter conferunt, eoque confidentius, & ſui ſecurius operantur, quo minus ab externis artium præceptis & ſubſidiis adjuti, omnem ſucceſſum norunt a ſola virium ſuarum contentione obtineri. Hac ratione dicitur *ignorantia* ſæpe naturæ facultates excitaſſe, & perfeciſſe; modo tamen plerumque moleſto & feroci. Profecto inepti artifices, qui regulis ſuis, quas non bene intelligunt, unice innituntur, iisque confidunt, multo deterius quandoque agunt, quam ſi externa auxilia ignorantes, ſimplicis naturæ vires, & lumen ſuiſſent æmulati. *Ineptorum artificum miſeria.*

§. 247. *Error* eſt mentis aſſenſus, falſæ propoſitioni temere, aut ſine ratione præſtitus. (*g*) Patentiſſimum itaque diſcrimen eſt erroris ab ignorantia : *ignorantia* quippe excludit prorſus cognitionem objectorum : *error* autem de cognito objecto perperam ſentit. (*h*) Patet & alterum : quo pacto Logica ſcientia a cæteris facultatibus diſtinguatur; nam hæ variarum rerum cognitiones menti inferunt, ut ignorantiam depellant : illa autem contra errores arma ſumit, & declinare docet de rebus jam cognitis falſa Judicia ; quod certo argumentum eſt *univerſalis ſcientiæ*, per *Error quid ſit?*

(*g*) *Error non eſt pœna, transgreſſioni Protoparentum noſtrorum inflicta; ſiquidem erravit Eva, antequam peccarent; Nam ait ad ſerpentem* Geneſ. 1. : *Dixit Deus, non comedetis fructum ligni, ne forte moriamini; quod falſum eſt, cum Deus abſolute dixerit : moriemini, ſi comederitis.*

(*h*) *Talis error paſſim admittitur in enumeratione quatuor Monarchiarum, quarum altera alteram : Babylonia eam, quæ fuit Medorum & Perſarum : hæc rurſum Græcam Monarchiam : Græca Romanam proxime anteceſſiſſe dicitur ; cum tamen durante adhuc Babylonia, ſeu Aſſyriaca jam cœperit Medorum Monarchia, Arbate facem præferente Medis, ut excuſſo Aſſyriorum jugo Mediam ſuam libertati adſererent. Interim Aſſyriaca etiam ſubtractis Medis multo amplior, & illuſtrior perſtitit Monarchia Medorum; hæc tamen Græciæ vicina, majori nominis gloria apud Græcos floruit, quam remota Aſſyriaca. Perſtiterunt ſimul ambæ illæ Monarchiæ fere 150. annos, donec Cyrus Perſa, Medorum ſuppetiis fultus Babyloniorum Regem Sardanapalum vicit, & utramque Monarchiam in ſe unum transtulit, &c.* Vide Boſſuet Diſcours ſur l' Hiſtoire Univerſ. *Error in quatuor Monarchiis.*

per cæteras omnes diffusæ. In universum *error* multo deterior est *opinione*, *dubio*, *hypothesi*, &c. ; nam in his mens suæ sibi infirmitatis est conscia : errorem autem plerumque sectatur sine falsi formidine, nubemque pro Innone liberrime amplexatur.

Error duobus modis fit. §. 248. Duplex est in *errorem* incidendi ratio : vel enim de objecto mens quidpiam enunciat, quod eidem non convenit : vel etiam ex veris propositionibus male perverseque concludit : neque enim, quod Cartesianis arrisit, error ullus in sensus refunditur; cum hoc ad judicium pertineat, & sensus ut summum dici possint occasionem erroneo judicio præbuisse. (§. 66.)

Error theoreticus & practicus. §. 249. Alius est error *theoreticus* : alius *practicus*. *Theoreticus error* inducit falsitatem ex quibusdam pseudo - principiis methodo scientifica. *Error practicus* est, qui falsitatem non tam ratiocinio, quam opere & factis tuetur. *Theoreticus error* natura sua pejor est practico ; directe enim veritati adversatur, ejusque loco falsum vult inducere : *practicus* non nisi ex consequenti ; quandoque tamen practicus theoretico multo execrabilior est. (*i*)

Consilium ad deponendos longos errores. §. 250. Qui longa incuria constanter assueverunt erroneis judiciis, illis, ut ad meliorem se queant frugem recipere, idem, quod diuturno morbo oppressis, consulitur, ut nempe totum corpus, atque vetus temperamentum expurgent, & animi etiam habitum immutent : judicandi pronitatem, tantopere sibi familiarem, coër-

Practici Athei sunt deteriores Theoreticis. (i) *Sint duo Athei*, theoreticus *alter : alter* practicus : *prior negat Deum stultis argumentis, atque impio ratiocinio subnixus : alter in omne genus scelerum liberrime effunditur, perinde atque nullus in rerum natura Deus, criminum ultor, haberetur ; Prior quia Deum rerum omnium, ipsiusque veritatis largissimum fontem scientificis principiis opprimere satagit, utique damnabilior altero est, qui ob securiorem vitæ licentiam Deum inficiatur ; sua quippe maxime interesse putat, ut Deus ultor criminum nusquam existat ; Quia tamen plerumque theoretici Athei sunt studiosi, indagatores, pacifici, parum nocent societati ; imo si cæteroquin vitam agant inoffensam, bonis moribus conspicuam, etiam anteponuntur perdito Christiano : practici autem, qui ceu perniciosa pestis exemplis pessimis Rempublicam funestant, majus detrimentum Societati humanæ inferunt, & enascuntur passim in sinu earum nationum, quæ opibus luxu, libertate, ingenio petulciunt.*

coërceant, neque unquam, nisi clara & distincta idea collustrati (§. 180.) ferant sententiam. Quam pauci sunt, qui expulsa veteri natura ad veriora judicia sic eluctantur! Præclare *Baco Verulamius* dicit: *Nemo adhuc tanta mentis constantia, & vigore inventus est, ut decreverit, & sibi imposuerit theorias & notiones communes penitus abolere, & intellectum abrasum, & æquum ad particularia de integro applicare. Itaque illa ratio humana, quam habemus, ex multa fide, multo etiam casu, nec non ex puerilibus, quas primo hausimus notionibus, farrago quædam est, & congeries. Quod si quis ætate matura & sensibus integris, & mente repurgata se ad experientiam, & ad particularia de integro applicet, de eo melius sperandum est ..... Non est spes nisi in regeneratione scientiarum, ut ea scilicet ab experientia certo ordine excitentur, & rursus condantur, quod adhuc factum esse, & cogitatum, nemo, ut arbitramur, affirmaverit.* (§. 72.)

CAPUT V.

De Fide Divina & humana: & quisnam assensus certis utriusque Fidei auctoribus debeatur?

§. 251. Fides in universum spectata, est *mentis assensus, qui alterius testimonio, non autem claritati, aut certitudini idearum innititur. Divina Fides* nititur Dei revelantis auctoritate: *humana* autem hominum, aut aliarum quarumque etiam inanimatarum rerum, fidem facientium, testimonio; atque ita omnis seu *Divina*, seu *humana fides* involvit rerum ipsarum, quæ testimonio proferuntur, obscuritatem: *Divina* quidem mysteriorum, quacunque creata intelligendi facultate suapte natura sublimiorum: *humana* autem earum rerum, quæ propria cujusque experientia non sunt perceptæ, attamen in alterius testimonio clare & perspicue, quod in Divinis rebus non accidit, cognoscuntur. (*k*) **Fides in universum quid sit?**

§. 252.

(*k*) *Delectantur homines auctoritate aliorum inertiæ causa non raro & applicationis tædio; facilius quippe rerum cognitionem alieno testimonio, quam proprio studio & labore capiunt.*

Cognoscendi genuinos auctores criticæ leges statui debent.

§. 252. Quisnam certis ſuis cujusque fidei auctoribus aſſenſus debeatur, hoc loco definiendum eſt; id vero ut ordine fiat, præmittere opportet quaspiam criticas leges cognoſcendi: an revera teſtimonium illius auctoris ſit, cui vulgo attribuitur; atque etiam ſpuria a genuinis operibus diſcernendi. Primo de humana auctoritate acturi præcipuos ſequentes canones ſtatuimus.

Primus Canon.

§. 253. I. *Si effatum, aut liber ſtylum referat, quo auctor, vulgo creditur, nunquam ſit uſus argumento aliorum ſuorum operum: aut qui voces contineat, ætate illius ſcriptoris multo recentiores, merito liber ille aut effatum pro ſuppoſititio habetur.*

Galeni teſtimonium.

Galenus oſtendit partem aliquam libri *de natura hominis* non eſſe Hippocratis, non tantum e re ipſa, ſed etiam e ſtylo & vocibus, ejus ævo recentioribus; Ita quippe ait: Τοῦ δὲ νεώτερον εἶναι τὸν παρεγγράψαντα ταῦτα, καὶ ἡ τοῦ συνόχου προσηγορία τεκμήριον ἐστιν. οὐδαμόθεν γὰρ οὐδ' Ἱπποκράτης, οὔτε τις τῶν παλαιῶν τὸν συνεχῆ πυρετὸν ὀνόματι σύνοχον, ὥσπερ οὐδὲ οὐρήματα τὰ οὖρα, ἀλλὰ ταῦτα ὀνόματα νεωτέρων ἐστὶν ἰατρῶν, ὅσοι τὴν παλαιὰν λέξιν ἠγνόησαν. *Juniorem eum fuiſſe, qui hæc addidit, certo oſtendit appellatio* συνόχου (pro febre continua) *neque enim unquam Hippocrates, vel ex antiquis alius febrim continuam vocavit* σύνοχον, *uti nec* οὐρήματα *urinas; ſed hæc ſunt nomina recentioribus medicis uſitata, qui veterem linguam ignoraverunt.* (l)

Pauli Epiſtola ad Senecam ſuppoſititia.

Hac eadem de cauſa S. Pauli ad Senecam Epiſtolæ, & hujus viciſſim ad illum ſcriptæ rejiciuntur; nihil enim utroque dignum in iis apparet.

Origenis opus ſuppoſititium.

Suppoſititius quoque cenſeri debet *Commentarius latinus in Jobum*, Origeni tributus, cujus textus græcus, e quo translatus eſt, fertur periiſſe; nam quæpiam ibidem continentur, quæ librum latinæ originis eſſe declarant, veluti: *Ita conſummatus eſt beatus, atque glorioſus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiæ conſummatione; ob hoc enim Lucianus cognominatus eſt, tanquam*

(l) *Galenus Comment.* 2.

tanquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis lucens. Quis non sentiat latinæ originis vestigia?

Harduini commentum de auctoribus classicis.

Ridendus merito est *Joannes Harduinus* pertendens, (*m*) omnes auctores classicos, *Tit. Livium*, *Æneidem Virgilii*, *Terentium*, *Jos. Flavium*, *Eusebium*, *Dionysium Halicarnass.* *Diodorum Siculum*, *&c.* exceptis duntaxat *Ciceronis* operibus, *Georgicis Virgilii*, *Satyris Horatii*, & *Historia naturali Plinii* esse suppositios, & spurios fœtus, seculo decimo tertio prognatos a certa hominum societate in Galliis, qui antesignano *Severo Archontio* e paucis illis genuinis operibus vastissima opera consarcinarunt. (*n*) Quis adeo vecors sit, ut rudissimo hoc ferreæ latinitatis sæculo splendida illa putet opera prodiisse, dum auctores illius sæculi *Guilielmus Parisiensis*, *Martinus Polonus*, *Vincentius Bellovacensis*, *S. Thomas Aquinas*, *&c.* tantam sermonis barbariem referunt. An contra inveteratam sententiam, longissimi temporis præscriptione firmatam argumenta convincentia, quod factum opportuit, attulit *Harduinus?* quomodo societas illa erudita, ex monachis potissimum coacta, effictas suas farragines potuit in omnium gentium manus, & bibliothecas diffundere, tot adornare exemplaria, malo dolo antiquiorem originem mentientia, quin eruditi aliarum gentium publicam imposturam subodorarentur? Nunquid opportebat cœtum illum Monachorum, in Galliæ sinu delitescentem plurium gentium, ac præsertim græco ore eleganter loqui? cum tamen ne vestigium ejuscemodi linguarum in eruditis Gallis illius temporis occurrat: Quis adeo frivolus sit, ut credat, triste monasteriorum silentium, & mancipatum spontaneum extitisse scholam percellendi orbem immortalibus illis ausibus, quæ in *Cæsaris* commentariis leguntur, & quibus non nisi animus, ad magna natus, & in perpetua Imperii administratione attritus, esse suppar conjicitur? An etiam in consarcinata Thucydidis historia recursum tot eclipsium, cùm magnitudinis & durationis significatione recensere licuit, quando barbaro illo sæculo nullæ adhucdum tabulæ astronomicæ extiterunt, ad qua-

S 2 rum

(*m*) *Harduinus in Prolusione Chronologiæ, ex nummis antiquis restituta, de nummis Herodiadum.*

(*n*) *Scopus hoc adstruendi fuit Harduino, ut traditionem esse unicam, & infallibilem regulam ostenderet, devolvendi ad nos genuina ex ultima antiquitate monumenta.*

rum normam narrationes ſuas imaginarias exegiſſent: Lapides profecto, e terra ſæculo XIV. eruti, inſcriptiones referebant, examuſſim *Livio*, *Dioni*, *Diodoro Siculo*, *&c.* conſonantes; quomodo Galli illi falſarii, XIII. Sæculo viventes, figmenta ſua ignotis illis, & defoſſis adhucdum *Inſcriptionibus Lapidalibus* conformarunt? credat hoc Judæus Apella.

Secundus Canon criticus. §. 254. II. *Quod ſi in libro quopiam offendantur errores, fabulæ, ineptiæ, nugæ, &c. a quibus indubie agnoſcitur abhorruiſſe auctoris animus, aut coætaneorum teſtimonio, aut aliorum operum colore, ille merito in falſi ſuſpicionem revocatur.*

Vitæ Patrum ſuppoſititiæ. Vitæ Patrum, *S. Hieronymo* alias attributæ, ſpurius eſſe fœtus deprehenduntur; quod anilibus nugis late ſcateant: in vita *Macarii Romani* locus deſcribitur, in quo *Lucifer* alligatus ſit: ubi *Seraphim* ignito gladio excubet, & homines in Paradiſum ingredi vetet: deſcribitur regio *Myrmidonum*, avium colloquentium, &c. quis *Hieronymum* hujus dementiæ incuſet?

Exceptio contra Canonem. Aliter judicandum erit, dum in confeſſo eſt, auctorem aliquem prioribus ſententiis renunciaſſe; veluti conſtat accidiſſe Origeni, cujus libri, poſt perverſionem elucubrati tanto diſcrimine variant a prioribus, ut dictum ſit: *Ubi Origenes bene, nemo melius: ubi male, nemo pejus.*

Altera exceptio. Canoni huic allato nihil officit, quod veterum ſcriptorum plerique, præſertim polygraphorum, in quopiam prolapſi ſint; de illo enim errore hic non agitur, qui veluti nævus in pulchra facie apparet, ſed agitur de frequentibus peccatis, iisque craſſioribus, quam ut prudenter cenſeri poſſit vir doctus contaminatus fuiſſe. (o)

Canon tertius. §. 255. III. *Dum facta, errores, conſuetudines, ſententiæ, &c. adducuntur in quodam libro, quæ poſt auctoris mortem demum conſecutæ aut prolatæ fuerint, notat hoc aut totum opus eſſe apocryphum, aut ſaltem interpolatum.*

Epi-

(o) *Joan. Clericus Artis Crit. Part. III. Sect. 2. Cap. 5.*

Abgari Epistola ad Christum supposititia.

Epistola *Abgari* Edessenorum principis ad Christum, & hujus ad illum data responsio, ab *Eusebio* relata, (*p*) merito ut subtrusa, rejicitur; dicit quippe in ea responsione Christus: Γέγραπται γὰρ περὶ ἐμοῦ, τοὺς ἑωρακότας με μὴ πιστεύσειν μοι, ἵνα οἱ μὴ ἑωρακότες αὐτοὶ πιστεύσωσι, καὶ ζήσονται. *De me enim scriptum est, eos, qui me viderunt, non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam accipiant.* Cum textus hic contineatur in *S. Joannis* Evangelio, quod post Christi mortem primo consignatum est. Quis ex turpi anachronismo commentum Epistolæ non suboleat? quis locum tam illustrem putet sanctos Evangelistas intermisisse? (*q*) Item in fine *Deuteronomii*, cujus *Moyses* auctor extitit, refertur mors, & sepultura Moysis; quod quidem minime sufficit, ut *Deuteronomium* contra unanimem omnium ætatum traditionem *Moysi* abjudicemus, cum probe sciatur, Moysis scriptis tandem quædam ab *Esdra*, aut alio hagiographo accessisse.

Mercurii Trismegisti supposititia fragmenta.

Cum imperiti Christiani *Mercurio Trismegisto*, antiquitate & nominis fama adeo celebri, quædam fragmenta supposuissent, quæ in rem suam pertrahere *Trismegistum* viderentur; fecerunt & idem Pagani in rem suam; singuli alio & suo modo: Pagani *Trismegistum* produxerunt in habitu recentioris doctrinæ Græcanicæ; ut solo aspectu pateat, *Trismegistum* illum non esse genuinum.

Canon quartus.

§. 256. IV. *Suppositionis labem etiam ille liber palam exhibet, qui quæstiones, ac controversias discutit & refutat, sui auctoris ætate omnino inferiores.*

Symbolum Atha-

Hinc suppositítium judicamus *Symbolum S. Athanasii*, in quo confu-

(*p*) *Eusebius Histor. Ecclesiasticæ Lib. I. Cap.* 13.

(*q*) *Sunt tamen nonnulli critici, qui vindicias harum duarum Epistolarum condiderunt, hac maxime de causa, quod S. Ephrem Syrus earum faciat mentionem; sed nunquid hic Scriptor eodem subreptitio rumore decipi poterat, quo Eusebius; verosimilius tamen est, falsarios hanc laciniam Eusebio assuisse, quod deinde originem dederit errori Ephremiano.*

nasii supposititium. confutantur hæreses posteriores Eutichianorum, Monothelitarum, &c.: censeturque esse Vigilii Tapsensis. (*r*)

Canon quintus. §. 157. V. *Pro suppositititio quoque illud opus habeatur, cui in recentiori editione alterius auctoris nomen præfigitur, quam in editione vetustiori; nisi certi simus, veterem errorem ope recentioris critices esse sublatum, & factum genuino suo parenti vindicatum.*

Liber de Imitatione Christi. Aureus *de Imitatione Christi* libellus, olim *Joanni Gersoni* adscriptus, hodie nomen *Thomæ a Kempis* præfert. Post tot vindicias, utrinque allatas, cuinam horum potiori jure adjudicandus sit, sententia hodiedum hæret in ancipiti. Quidam probabilius auctorem illius esse censent *Joannem Gersen* Abbatem Benedictinum S. Stephani Vercellensis: Scribarum oscitantia ex *Gersen* prodiisse *Gersonem*, tum temporis celebrem Cancellarium Parisiensem; ipsius quippe libelli testimonio clare intelligitur, (*s*) auctorem monasticam fuisse vitam professum, quam *Joannes Gerson* nunquam amplexus est.

Falsus Æmilius Probus. *Vitis excellentium virorum* olim præfixus erat auctor *Æmylius Probus*, (*t*) cujus tamen esse genuinum parentem *Cornelium Nepotem* recentius sæculum detexit.

Canon sextus. §. 258. VI. *Non habeatur pro genuino fœtu cujusdam auctoris ille liber, cujus nulla mentio fit a coætaneis, qui res, ab eodem auctore alioquin gestas, memoriæ tradiderunt, neque etiam a posterioribus, qui data opera auctorum scripta collegerunt.*

§. 259. VII.

(*r*) *Vixit* Vigilius Tapsensis *sæculo quinto in Africa; præfixum est autem Symbolo suo nomen Athanasii, ut majori valeret contra hæreticos Nestorianos & Eutychianos robore.* Vide Hist. Eccl. Alexandri Natalis.

(*s*) *De Imitat. Christ. Lib. III. Cap.* 10. & 46.

(*t*) *Erat Æmylius Probus homo Librarius tempore Theodosii Imperatoris, qui intollerabili catachresi se vocat auctorem libri, quem tantummodo descripserat.*

Canon septimus.

§. 259. VII. *Si quempiam librum veteres, qui ab ejus origine proxime abfuerunt, dubium aut suppofititium cenfuerunt, illos recentiorum favor, nifi firmiffimas rationes afferant, non reddet genuinos.*

Rationes supponendi, & interpolandi libros.

§. 260. Ecce! præcipuos Canones ad internofcendum opera auctorum genuina ab adulterinis; neceffarium quippe duxerunt acuti critici, incredibilem fupponendi, interpolandique licentiam, omni tempore, etiam inter veteres ufitatam, ipfaque anteactorum temporum caligine adjutam, his fubfidiis retundere; nam quidam ambitione, feu avaritia inducti, operi aut fuo, aut aliunde oblato, nomen illuftris auctoris præfixerunt, fi non lucrum majus, certo celebritatem aucupaturi. Quidam impudentius, poftquam vir quispiam, peculiari nominis fama inclytus expiravit, multa de eo *anecdota*, & fplendida illa *ana*, veluti *Huetiana*, *Perroniana*, &c. conficta, (*u*) quod vivo illo non aufi funt, ediderunt, avido fæculo impofturam queftuariam obtrudentes. Multi hodiedum circumferuntur libri, qui ut liberalius divendantur, honorificam ex Anglico traductionem mentiuntur, & communia præjudicia in librariorum convertunt emolumentum; quafi vero & inter celeberrimos Anglos nonnemo opus fatuum confcribere potuiffet. Alii gentem fuam, familiam, Principes, religionem, (*x*) &c. temere elatu-

(*u*) *Queruntur eruditi de multis ejufcemodi, mala fide fubtrufis hiftoriis in variis* Recueil d' anecdotes, memoires fecrets, &c. *Certo in* Recueil d' anecdotes litteraires Tom. 2. pag. 369. *feruntur producti fuiffe vagi amores Ludovici XIV. Gallorum Regis in publico Theatro Londini, cui contemptui ut Gallia vicem redderet, juffiffe Dominum de* Torci, *Guilielmi Angliæ Regis amores pariter in fcena Gallica ludi. Nullus unquam effrons fpectaculum, tantis principibus & fagaciffimo miniftro indignum, feu in Gallia, feu in Anglia confpexit; neque ullus credet, nifi infolitorum amatores.*

Anecdota falfaria.

Fl Jofephi hiftoria.

(*x*) *Cum* Jofephi Flavii *Hiftoria multis locis favere videatur Chriftianorum rebus, pertendunt judæi, Jofephum fuum confcripfiffe græco idiomate fallacem Hiftoriam ad gentilium palatum, orbis Imperium tum obtinentium; tenere fe autem genuinam aliam, toto cælo diverfam hiftoriam Jofephi fuis pro contribulibus hæbraico idiomate defcriptam, continentem magnalia Judaicæ religionis contra Chriftianos. Quis non intelligit fætum hunc Jofepho, in publica luce Romani Imperii agenti & fcribenti tandem a perfidis Rabbinis effe fubtrufum?*

Albertus Fabricius *in codice* apocry-

elaturi, luculentas interpolarunt historias, aut prorsus de novo confinxerunt; neque ulla forte circumforaneorum impostura est litteraria major; quod clarissimus *Menkenius* fuse prosecutus est. (*y*)

Regulæ traduntur ad intelligendum auctorum, ut eis assentiamur dignitatem.

§. 261. Genuino itaque cujusvis testimonii, seu libri auctori, juxta præmissos Canones cognito, præbetur assensus, non alius quidem; quam probabilius; certitudinem siquidem non in unius duntaxat fide, sed in plurium conspiratione esse positam, supra ostendimus. (§. 205.) Porro an auctor quispiam etiam hanc probabilem fidem mereatur? sequentium regularum ope licebit intelligere.

Regula prima.

§. 262. I. *Non liceat Scriptoris cujusdam auctoritatem rejicere, propterea, quod fallibilis homo fuerit, & errandi periculo obnoxius.*

Nam ex potentia male arguitur ad actum, præsertim in eo casu, in quo ipsum factum est beneficentiæ ex bona voluntate instruendi posteros profectum, quod utique sinceritatis præsumptionem habet, neque etiam falsitatis sine juris læsione coargui potest, nisi argumentis indubiis contrarium evinci queat. Tenenda est igitur & in hoc casu auctorum testantium lex illa generalis: omnem quemque opportere tamdiu pro bono haberi, donec malus probetur.

Regula secunda.

§. 263. II. *Quod si res afferantur a Scriptoribus, quæ attentionem, experientiam, & judicii maturitatem postulant, probabilius est testimonium viri sagacis, & experti, quam alterius rudis, & ab omni rerum examine imparati.*

§. 264.

Pseudo-Evangelia.

cryphorum *Novi Testamenti Tom. I.* enumerat 50. *Evangelia, olim obtinentia, solo titulo plerumque diversa. Primis quippe Christianorum temporibus multi præpostero Religionis zelo inducti e dubiis narrationibus vitam, & miracula Christi conscripserunt, eaque suo cogitandi more consarcinata tam pertinaciter coluerunt, ut si quopiam loco aliis Evangeliis contrairent, eum ab aliis vitiatum fuisse libere clamarent.*

(*y*) *Menkenius Charlatanerie des Savans.*

§. 264. III. *Si testimonia sola sensuum simplicitate nitantur, ejusdem erit valoris testimonium seu a rudi, seu ab erudito Scriptore prolatum; imo non raro hujus alterius testimonio postponitur.* *Regula tertia.*

Nempe eruditi cum plerumque in rebus plures consequentias, & adjuncta extranea intueantur, facilius etiam prolabuntur in passiones, & factorum mutationes; sua etiam cognoscendi perspicacia adacti sæpius rebus mederi volunt, & eas non tam referunt, ut contigerunt, sed uti contingere ex eorum mente opportuisset. A qua suspicione rudes quam maxime sunt alieni.

§. 265. IV. *Testis, qui oculis suis factum peragi viderit, probabiliorem assensum meretur, ac is, qui ex aliorum relatione illud acceperit.* *Regula quarta.*

Ad relationes enim testium animus ingreditur, qui semper fallibilis est (§. 204.), at vero ipsorum sensuum experimenta certitudinem physicam pariunt. (§. 196.)

§. 266. V. *Quod si in comperto sit, scriptorem erga objectum aliquod fortem animi passionem nutriisse, illius auctoritas, utut cæteroquin commendetur ab eruditione & candore, eo tamen in casu secure contemnitur: item etiam si nimia imaginationis vehementia agatur.* (§. 56.) *Regula quinta.*

Questus, & alienus a Corynthiis animus celeberrimi *Herodoti* testimonio labem sublestæ fidei adspersit. (§. 219.)

Qui in alchemiæ studium perdite feruntur, eorum oculis passio, seu creatrix imaginatio, dum vacant experimentis, mirabilia objicit phænomena, in re nusquam existentia: alii rursum, quos tædium & indignatio ejuscemodi experimentorum tenet, ne illa quidem phænomena percipiunt, neglectu animi obsistente, quæ alias attentis hominibus communiter videntur; inde est, quod eorum scripta utrinque fallaciis abundent. *In Alchemiam passio.*

T Sanctis

Sanctis quibusdam hominibus, præſertim fæminis, vehemens imaginatio, crebris piisque contemplationibus incitata, vivaciſſimas apparitiones coram exhibuit, & collocutiones cum cœleſtibus incolis, ut revera exiſtimarent, ſe auribus & oculis illa omnia experiri; hinc pie deluſæ, pro hiſtoriis viſiones ſine decipiendi animo condiderunt, neque fide, neque auctoritate valentes.

Regula ſexta.

§. 267. VI. *Quod ſi Scriptori cuidam ſolenne ſit parabolas orientalium more texere, atque earum ope inſtillare ſeu moralem, ſeu politicam diſciplinam, illius teſtimonio aſſenſum hiſtoricum præbere non liceat.* (§. Her.)

Barlaami & Jobi hiſtoria.

Huc forte refertur narratio de vita *Barlaami*, & *Joſaphat*, quam *S. Joannes Damaſcenus* condidit; nullibi quippe inter Perſarum reges Joſaphatus aliquis occurrit. Ipſa *Moyſis* narratio de *Jobo* inter effictas ad virtutis & patientiæ ſpecimen hiſtorias a quibusdam rejicitur. (z)

Regula ſeptima.

§. 268. VII. *Si poſteriores Scriptores narrationem ſuam e quopiam antecedente deſumpſerunt, tanta auctoritate pollebunt, quanta fontes, e quibus eam ſunt mutuati.*

Variis priſcorum lucubrationibus, a *Plutarcho* in vitas virorum illuſtrium, a *Diogene Laërtio* in Philoſophorum vitas, a *Plinio* in Naturalem hiſtoriam congeſtis, nihil perinde novi roboris accedit; niſi forte ideo, quod in eo eruditionis genere, in quod peculiarem operam contulerunt, meliora viderint, atque ita ſententia ſua veterum monumenta confirmarint.

Homeri hiſtoria belli Trojani.

Hiſtoria belli Trojani a multis peritis criticis in dubium revocatur, quod omnes eam ex *Homero*, vel ut *Ælianus lib.* 14. *cap.* 21. pertendit, a quodam *Syargo*, primo belli Trojani ante Homerum ſcriptore deſumpſerint; *Homerus* autem alegoricis formulis & figmentis indulget, ut ex celebri illa Βατραχομυομαχία fit palam: aut certo *Homerus*, ex plurium, qui ante ipſum extiterunt,

(z) *Videatur Calmetus in Diſſertationibus.*

runt, bellica fortitudine, heroïcum poëma capti Ilii poëtica libertate conflavit.

Sic historiam vulgatam septuaginta duorum interpretum, qui S. Scripturam ex hebræo in græcum transtulerunt tempore *Ptolomæi Philadelphi*, Ægypti Regis, ducentis fere ante Christum natum annis, multi periti critici rejiciunt, propterea, quod *Josephus* hebræus, aliique eam ex uno *Aristæa* hauserint, auctore nec sat cognito, nec a commentis multum alieno, quod historiæ suæ facies ostendit. *Septuaginta Interp. historia.*

§. 269. VIII. *Dum coævi, aut ætate proximi Scriptores factum memorabile tacuerunt, quod Scriptor quidam posterior in lucem protulit, non merebitur assensum hujus posterioris testimonium, præcipue si nimium credulus fuisse intelligatur.* *Regula octava.*

Tabula de *Joanna* Papissa, quod *Martinus Polonus*, posterior scriptor attulit, a nullo coævo, aut propinguioris ætatis scriptore commemoratur.

Causa mirabilis, quæ *S. Brunonem* permovit, ut in asperam eremum secedens, Carthusianum Ordinem fundaret, triplex nempe illa terribilis exclamatio mortui Doctoris Parisiensis, quæ a posterioribus scriptoribus *S. Antonino*, (*a*) & *Joanne Gersone* Cancellario invecta est, merito rejicitur; nam a Scriptoribus Coætaneis, qui data opera illius Sancti gesta condiderunt. *Petro Cluniacensi*, *Guiberto* Abbate, *Sigeberto*, *&c.* nulla illius fit mentio, neque censeri debent Scriptores hi eventum tam mirabilem supprimere voluisse. Nihil de hac secessus causa ab anno 1086., quo contigisse fertur, usque ad annum 1420. in lucem erupit; imo ipse *S. Bruno* apud *Launoyum* (*b*) scribit, non se Lutetiæ Parisiorum, sed Durocortori Rhemorum abeundi in eremum animum cepisse. Certo *Guibertus* Abbas scribit *Brunonem* inductum esse ad recedendi consilia a corruptissimis moribus *Manassis* cujusdam Archiepiscopi *S. Brunonis causa secessus fictitia.*

T 2

(*a*) *Incusatur nimiæ credulitatis fuisse S. Antoninus.*

(*b*) *Launoyus Tom. V. Parte 2.*

ſcopi Rhenienſis, malitiam ſuæ Eccleſiæ præferentis; ſed & Breviarii correctores fictitiam illam cauſam e Breviario expunxerunt.

Antigoni de Pyrrhone narratio nullam fidem meretur. *Antigonus Caryſtius* refert apud *Diogenem Laertium* (*c*) de *Pyrrhone*, quod ſectæ ſuæ principiis inſiſtens, nullius rei appenderit momenta, omnes eventus æquo animo excipiens: nec alio moverit pedem, quam deſtinaſſet, etſi currus rapidus, ingens præcipitium, aut rabidus canis occurriſſet: amicis ſuis id muneris incubuiſſe, eum ut vitæ periculis eriperent, &c. quis fidem det *Antigono*, tam ſtulta de *Pyrrhone* narranti? cum *Æneſidemus*, qui ſectam Pyrrhonicam 8. libris prius condidit, nihil hujus inſaniæ de ejus auctore narret. Præterea quis ſibi prudenter perſuadeat, tot ſequaces comprobare voluiſſe, & amplecti Ducis ſui portenta, ex cujus vita conſurgit multo diverſum ratiocinium; vixit namque *Pyrrho* nonaginta prope annos, plerumque inter varias gentes, *Perſas*, *Indos*, *&c.* profectus; ſitne credibile, hominem, tot ſe diſcriminibus objicere ſolitum, eam attigiſſe ætatem? quomodo amicos, aut averruncos ſemper ad latus habuit ſuis in itineribus? quomodo homini perdite amenti Elidenſes ſui ſummum pontificatum detulerunt reverentiæ cauſa? quomodo Athenienſes ipſi ſtultum hominem, abſentem, fama tamen inclitum, jure civitatis donaviſſent? (*d*)

Argumenti negativi vis. §. 270. *Argumenti negativi* vis, atque præſtantia contra poſitiva teſtimonia aperte intelligitur in pluribus aliis. Narrat *Plinius* de Brachmanibus Indorum Philoſophis: (*e*) eos ab exortu ſolis ad uſque occaſum perſtitiſſe ſolem contuentes immotis oculis, atque alternis pedibus inſtitiſſe ferventibus arenis totum diem, ſuperiora myſteria in hoc igneo corpore ſpeculantes. (§. 220.) *Strabo* autem (*f*) tum ex coætaneis, tum aliis, qui certiori origine id tenuerunt, Brachmanum res ſtudioſe referens, ſilentio inſolitam illam, ac pene intollerabilem Philoſophorum conſuetudinem

(*c*) *Diog. Laërt. Lib. X. n* 62.
(*d*) *La Motte de Vayer de la vertu des päcens pag.* 226.
(*e*) *Plinius Lib. VII. cap.* 2.
(*f*) *Strabo Lib. XV.*

nem prætermittit; neque etiam *Stephanus* Byzantinus, neque *Hierocles* in Philiſtoricis ejus meminerunt, ut ut dedita opera agant de *Brachmanibus*, eosque peculiari ritu ſoli devotos fuiſſe aſſeverent.

Brachmanum hiſtoria interpolata.

§. 271. Igitur argumentum negativum *Plinii* teſtimonio jure anteponitur; rem quippe tam inſolitam, & humanis viribus prope ſuperiorem non modo non tacuiſſent præcipui illi Scriptores, quin potius conſuetudinem, portento ſimilem, primo loco annotaſſent poſteris; quod cum factum non ſit, argumentum forte enaſcitur, eos de ea vel omnino nihil audiiſſe, vel eam præteritam ad populares fabellas ablegaſſe; & alioquin quis neſcit, pluribus non raro de cauſis (§. 259.) ſcriptores obtruſiſſe commenta poſteritati? nulla autem occurrit ratio, ob quam factum adeo mirabile conticuiſſent.

Vampyrorum hiſtoria fanatica.

§. 272. Infandam *Vampyrorum* hiſtoriam, è Moraviæ & Hungariæ finibus per omnium gentium ora divulgatam, conſtituti nuper anno 1757. publica auctoritate ſeveri inquiſitores fabulam eſſe compererunt, ab imaginatione & fanatiſmo populi, inter montes inhabitantis, profectam, & in vagis indiciis portenta ſomniantis; plebecula tamen hactenus contra quaſcunque eruditorum ſententias fanaticam ſuam tuetur perſuaſionem. (*g*) Jam ſi homini emunctæ naris provincia deferretur condendi hiſtoriam noſtri temporis, ille utique rerum actarum bene peritus, ne recordaretur quidem *Vampyrorum*, quos tamen alii poſteriores Scriptores, ſolo populari rumore imbuti, amplis deſcriptionibus diffunderent. An poſteri propterea plus fidei vulgaribus his rumoribus, quam juſto ſilentio coævi ſcriptoris impendant?

(*g*) *Vulgo dicuntur Vampyri tale fœdus cum Cacodæmone pepigiſſe, ut poſt mortem cadaver eorum non rigeat, neque contabeſcat, ſed vividum & flexile permaneat, atque inciſum recenti etiam ſanguine manet, quin imo illatum tumulo ſub ſingulas noctes rupto ſepulchro ad domeſticos ſuos redeat, manducet, bibat, &c. ingruente diluculo rurſus ſepulchrum petat, ibidemque ridente vultu diem exigat, futura nocte homines denuo infeſtaturum. Ferturque unus ejuſcemodi maleficus pollere vi plurima aliorum cadavera, etiam innocentum redanimandi. Hæ vulgi deliria.*

Quando non valeat argumentum negativum? §. 273. Quod si auctor coævus factum tacuerit, aut ex insolita sæculi sui ruditate, aut forte, quod circumstantia quædam historica tanti habita non sit, neque prævisum fuerit, posterorum plus, quam coævorum interfuturum, eam explicari; tum argumento negativo nulla inerit vis. Sed tum severum criticum examen præmittatur.

Agitur de divina auctoritate. §. 274. Hæc quidem de *humanæ auctoritatis* indiciis, & valore hactenus disputata sunt, nunc ad *divinam* juvat procedere, & duas de ea similes prioribus, resolvere quæstiones; *primo:* quinam libri, aut testimonia præfulgeant divina hac auctoritate? *tum:* qua reverentia, & certitudine amplecti divina testimonia jubeamur? Quod autem in præsenti rerum ac finium dispositione necessum fuerit divinam voluntatem hominibus significari, id sequenti ratiocinio evincitur.

Divinæ revelationis necessitas. §. 275. Nam si Deus, ens illud optimum & perfectissimum necessario existit: si liberrima diffusione infinitæ suæ beneficentiæ condidit res diversissimas, eisque pro varia naturarum, & finium necessitate varios insculpsit gradus suarum perfectionum: si Deus hominem ratione, ceu quadam divinitatis imagine præ cæteris animantibus extulit, eundemque ad agnitionem sui creatoris, gratitudinem, adorationem, peculiarem cultum, atque ad præmia meritorum, aut pœnas, spirituali & perenni animo competentes, provide coordinavit: si demum mortalium mentes, ab originaria culpa prostratæ & excæcatæ jacent in perpetua passionum intemperie, & in perversitate cogitandi de sanctioribus studiis; necessum omnino fuit, paucis saltem, ex omni mortalium numero misericorditer delectis, revelari modum officiorum, quibus coli, placarique vellet Deus; homines autem securiori fiducia felicitatis suæ bravium consequerentur. Hæc divina revelatio, multifariam olim sanctis hominibus tradita (*h*), & literis

(*h*) *Variis modis Deus voluntatem suam hominibus testatus est: alii, interno lumine perfusi, Prophetiæ spiritu claruerunt: alii incomparabili felicitate ipsi Deo, aut, ut Apostolus innuit Actor.* 7. *v.* 30. *Galat.* 3. *v.* 19. *Hebr.* 13. *v.* 2., *vicariis angelis collocuti, aut Christo Domino conversati, superna documenta hauserunt: alii in somno, non illo quidem vulgari, sed prophetico, divinas perceperunt revelationes, veluti* Adam & Salomon: *alias etiam in*

literis pro aliorum instructione consignata, hodie codicem constituit divinarum scripturarum, & revelatæ religionis fundamentum.

§. 276. Sit itaque necessaria in statu hodiernæ divinæ providentiæ revelatio divinæ voluntatis, id porro restat investigandum: quo pacto, quave lege scire liceat: hanc in sacris Bibliis contentam revelationem revera a Deo esse profectam, atque ideo divina auctoritate esse conspicuam, dum aliæ tot revelationes, & Dei testimonia circumferuntur, quæ aut apertæ imposturæ sunt, aut saltem nullo valent robore ad faciendam fidem.

Quæ sit regula noscendi divinum testimonium?

§. 277. Ejuscemodi subtrusarum revelationum plena est omnis historia: Quidam populum, quem recens surgentem legibus formare nitebantur, ad proniorem obedientiam inflexuri, auditum sibi Numen, vel communicata cum eo in remotis silvis aut montibus consilia confinxerunt, veluti *Numa Pompilius* &c. alii malo dolo Numinis afflatum mentiti sunt, ut perenne nomen suum sectæ, quam effinxerunt, miserrima ambitione relinguerent: permulti magicis artibus divinam virtutem æmulati, populis imposuerunt: Nonnemo delirus proprium suum internum mentis dictamen pro divina inspiratione venditavit: alii forti imaginatione, & piis etiam contemplationibus delusi, existimarunt, Deum aut cælites sibi præsentes esse, & colloqui, cum viva solum phantasmata eis obstreperent: alii gratuitis, ut theologi vocant, donis, ac Prophetia (*i*) insigniti fuerunt, quamvis a vera essent religione extorres, neque id, quod prædicebant,

Revelationes falsæ & subtrusæ.

in Theocratiæ statu hebræorum Deus oracula fudit ex Arca; ex Urim *&* Thumin (*quæ voces significant* luces *&* perfectiones, *incertumque est, an gemmæ fuerint in rationali summi pontifitis? an duæ parvulæ figuræ Cherubicæ, rationali inditæ. ut Spencerus existimat? an nomen Dei Tetragrammaton* יהוה, *rationali insculptum? an demum divina inspiratio, facta pontifici, suis vestibus induto ut Clericus opinatur?*) *alii demum hodiedum in dono fidei divinas excipiunt revelationes.*

(i) *Prophetia respicit non raro effectus futuros naturales, qui perpetuis nexibus adeo sunt impliciti, ut alter ex altero, tanquam causa sufficiente necessario dependeat; quia tamen plerumque arcana est succedentium causarum vis, & plurimarum rerum influxus in effectum, vix unquam præsagire licet tertiam aut quartam causarum periodum, atque pro remotissimis effectibus cognoscendis haud quam sufficit acies intellectus naturalis.*

Prædictio futurorum eventuum Intellectum naturalem excedit.

bant, intelligerent; velut *Balaam*, *Cayphas*, *Sybillæ* (*k*): alii demum ſanctiori delectu religionis, & morum arbitri in Eccleſia poſiti, divina mandata hominibus ex ipſo veritatis fonte annunciarunt.

Regula agnoſcendi divinum teſtimonium eſt Judicium Eccleſiæ.

§. 278. In tanto impoſturæ & fanatiſmi cum veritate conflictu, unica eſt regula genuinas a falſis, nullaque auctoritate præditis diſcernendi revelationes *Eccleſiæ Judicium*; quæ Chriſti promiſſis freta, & errandi periculis erepta, non modo ſacram ſcripturam Hebraicam, Græcam (*l*) Latinam (*m*) Canonicam declarat fidelibus,

Sybillarum nomen & numerus.

(*k*) *Sybillæ, ut ait Lactant. Firm. Lib. I. Div. Inſt. omnes dicuntur vel ab unius Delphidis Sibyllæ nomine; vel a conſiliis Deorum enunciandis; Æolice enim* σιος *Deus, &* βουλὴ *conſilium dicitur; atque ita Sibylla nomen erit appellativum officii; hinc veteribus mulieres quæquæ fatidicæ ſunt compellatæ* Sibyllæ. *Lactantius earum decem enumerat: primam* Perſicam, *quæ Alexandri M. vitam ſcripſit: ſecundam* Lybyſſam, *cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo: Tertiam* Delphida, *de qua Chryſippus de divinat: quartam* Cimeriam *in Italia, quam Nævius & Piſo in Annalibus nominant: quintam* Erythræam, *quæ, ut Apollodorus ait, Trojam prædixit perituram, & Homerum mendacia ſcripturum: ſextam* Samiam, *de qua Eratoſthenes: ſeptimam* Cumanam, *nomine* Amaltheam, *quæ libros ſuos ad Tarquinium Priſcum attulit: octavam* Heleſponticam, *Cyri temporibus: nonam* Phrygiam, *quæ Aucyræ vaticinata eſt: decimam* Tiburtem. *Harum Sibyllarum oracula paſſim circumferebantur olim, exceptis Cumanæ vaticiniis, quæ in Capitolio cuſtodita, prohibebantur ſub pœna cepitis evulgari. Hodie extant libri* 8. *oraculorum Sibyllinorum, pro quarum fide alii apologias adornarunt; alii cum Voſſio, Doduello, Dupinio eos dixerunt eſſe fœtus ſuppoſititios, circa annum* 180. *Æræ vulgaris ad ſimilitudinem quorumdam fragmentorum excluſos; quod eſt veroſimilius; ſcatent quippe Anachroniſmis: textus veteris & novi teſtamenti de verbo referunt: error etiam* Papiæ *Hieropolitani de millenario Chriſti in terris regno ibidem legitur. Adhibuerunt nihilominus quidam priſci patres hæc Sibyllarum oracula pro adſtruenda veritate Chriſtianæ religionis; non quod ea genuina Sibyllarum carmina crederent, ſed quod ſatis actum putarent, etiam illos verſus, qui Sibyllarum nomine tum paſſim ferebantur, ad religionis obſequium traduxiſſe.*

Biblia Græcæ Verſionis.

(*l*) *Biblia græca translata ſunt ex originario textu hebræo a* 72. *ſenioribus, per* Eleazarum *Pontificem delectis atque ad Ptolomæum Philadelphum Ægypti regem miſſis, trecentis ferme ante Chriſtum natum annis; quæ ſubinde Bibliorum verſio, uſu & auctoritate Synagogæ, in Græcia degentis,* Canonica *declarata eſt; utut multis locis, & præſertim in rebus chronologicis diſſentiat ab Hebræo; ſed hæc ad fidei negocium non pertinent.*

Editio latina vulgata.

(*m*) *Biblia antiquiſſima, in latinum traducta, primum* Italica *dicta, tandem* Vulgatæ *nomen obtinuerunt; neceſſa-*

libus, verum etiam earundem ſcripturarum ſenſum, & fidei myſteria, naturali lumine ſuperiora, interpretatur, tanta cum ſecuritate & certitudine, ut nullus unquam infidelis, aut incredulus, adlecto etiam ſummo ingenii acumine, & vafritie orci obfrementis, eam erroris convincere potuerit, & labefactare. Hæc igitur *ſacra ſcriptura*, conſtans item & perpetua *traditio* (*n*), atque *Eccleſiæ decreta*, utrique antecedentium innixa, haberi debent pro genuinis Dei teſtimoniis.

§. 279.

ceſſarium enim duxit Eccleſia (*Concil. Trident. Seſſ.* 4. *Cap.* 2.) *unam aliquam verſionem, & quidem cæterarum meliorem, authenticam declarare, ut aliarum verſionum, quas pravi homines adornarunt, damnaretur uſus, utque impoſterum non liceat novas verſiones proferre, Eccleſiæ judicio neque ſuſceptas, neque probatas. S. Hieronymus multa in ea correxit, atque ad Græcorum potiſſimum Bibliorum fidem exegit. Sed nec hodiedum verſio illa omnibus numeris abſoluta eſt, ut* Clemens VIII. *in præfatione ad Biblia vulgata palam profitetur; & graviſſimus Theologus* Franciſcus Lucas *Audomarenſis quater mille & amplius loca annotavit, quæ in Clementinis correctis Bibliis ulteriorem emendationem bene ſuſtinerent. Fidei tamen morumque decreta tam in hebræo, quam græco & latino textu intemerata ſunt.*

(*n*) Traditiones Apoſtolicæ, *perpetuo in Univerſali Eccleſia conſervatæ*, ſunt verbum Dei non ſcriptum; *Cum enim ab Eccleſiæ incunabulis multa a fidelibus ſollicite agerentur, quæ in Bibliis adſcripta non ſunt, perſpicue intelligitur, ſpiritum ſanctum, infuſorem ſupernorum charismatum, pro credentium regula non modo* ſcriptum, *ſed &* traditum Dei verbum *delegiſſe: omnesque harum* Traditionum *refractarios communione ſanctorum neceſſario debere excidere. Cujusmodi traditiones ſunt* diei Dominicæ ſanctificatio pro Sabbato: jejunium ante paſchale: ſignum crucis; baptismus parvulorum &c.; *neque enim fieri potuit, ut diverſarum gentium Chriſtiani, per orbem diffuſi, non minus moribus, conſuetudine, ingeniis, quam intervallis regionum a ſe invicem disjuncti, ſine conſiliorum ſocietate retinerent tenaciſſime eandem religionis ſolennitatem, niſi eam acceptam ferrent illis diſcipulis, qui a divino magiſtro ablegati ſint ad mundum univerſum. Evangelium, & religionis inſtituta teſtaturi. Falſæ & vulgares traditiones carent hac univerſali, ſibique perpetuo conſtante diffuſione. Certo pedum lotio, a Chriſto Domino graviter & iterato, pro humilitatis ſuæ imitatione Apoſtolis commendata, ſi literalem ſenſum attendimus, utique Sacramenti inſtitutionem videretur ſignificare, niſi perpetua omnium eccleſiarum traditio in alio, & genuino ſenſu textus illos accepiſſet. Quod ſi quæpiam traditio Patrum ſcriptis conſignata reperiatur, non merebitur propterea ſcriptum illius Patris divinam auctoritatem, quam ſola traditio hoc loco ſibi vendicat, etſi nulli librorum cuſtodiæ unquam fuiſſet inſerta. Illud Patris ſcriptum argumento duntaxat eſſe poterit, traditionem illam omnino obtinuiſſe.*

Traditio eſt verbum Dei non ſcriptum.

U

Quid Ecclesia possit definire?

§. 279. Ecclesiæ judicium in definiendis fidei mysteriis semper adstringitur his duabus conditionibus; *Primo:* ut saluti fidelium utilis ac necessaria sit cujusdam mysterii definitio. *Secundo:* ut illud mysterium, ab Ecclesia definiendum, in verbo Dei, seu scripto, seu tradito contineatur. Prior conditio causam manifestat definiendi: altera causam immunitatis ab errore. Priori obstringitur Ecclesia ob pietatem matris in filios: alteram sequitur ut discipula Divinæ veritatis. (*o*) Ideoque cum nec Antipodum existentia: neque motus telluris circa solem: neque privatorum quorundam Christianorum sanctitas, aut miracula necessaria sint fidelium saluti, nec etiam in S. scriptura contineantur; Ecclesia nullum eorum unquam poterit decernere tanquam Divinum testimonium, seu articulum fidei (*p*).

Conciliorum decreta quæ sint divinæ auctoritatis?

§. 280. Eadem ratione de *conciliis generalibus*, quæ Ecclesiæ corpus referunt, Divino spiritu animatum, judicare oportet; sed & præterea, si quæpiam in ipsa conciliorum decreta ingrediantur, præter quæstionis, & controversiæ scopum, seu per accidens, ut vocant, illa nequaquam censebuntur Divinæ esse auctoritatis; propterea quod Christus ex pacto Ecclesiæ responsa moderetur, quæ involuta sunt supernaturalibus mysteriis, & intemeratæ fidei meritum nutrire debent in cordibus credentium; non vero alias quasque phrases, & sententias, quæ, dum humano more agitur, quæstionum occasione aliunde & fortuito admiscentur. In Synodo VII. Oecumenica Act. V. *Tarasius* Constantinopolitanus asserit, annuente Synodo, angelos levia quædam corpora, vel aërea, vel ignea sibi habere adjuncta: *Innocentius III.* autem in Concilio Lateranensi adstruit: angelos esse spirituales, & a corpore distinctos. Neutra sententia pro concilii decreto, aut catholico dogmate haberi debet; nam septima Nicæna Synodus id tum solum intendit, ut angelos sanctorumque animas pingi licere decerneret; non autem erat animus definire, utrum revera angelis sit suum qualecunque corpus. Porro Concilium Lateranense ferebatur duntaxat hoc in loco in condemnationem Manichæorum hæresis, quæ non omnia fuisse a Deo creata blasphemavit. Contrarium dogma sentiunt Patres, probantes professionem fidei, ab

(*o*) *Muratorius de moderat. ingeniorum Lib. I. cap.* 13. & 23.

(*p*) *Idem Ibidem Lib. I. cap.* 22. & 23.

ab Innocentio III. P. M. conſcriptam; an vero angeli omnino ſint expertes materiæ, nec quæſtio tum vertebatur, nec ullum propoſitum id decernendi fuit Patribus. Utraque igitur ſententia peculiaris ſolum opinionis pretium habet, non catholici dogmatis. Plura ejuſcemodi exempla attulit *Muratorius* (*q*).

§. 281. Itaque quidquid ab Eccleſia, aut conciliis generalibus, exceptis fidei morumque decretis, ſtatutnm eſt, retractari, & libratis momentis, in controverſiam deduci poteſt. Plerumque enim illa alia humanis perſuaſionibus, & narrationibus, quæ certo fallibiles ſunt, innituntur: ſæpius ejusmodi retractationes jam contigerunt: *Paulus* Antiochenus in primo Antiocheno concilio damnatus; in altero abſolutus fuit &c. (*r*). *Conciliorum quædam decreta retractantur.*

§. 282. Multo magis obnoxia eſſe poſſunt erroribus, quæ in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, in *vitis ſanctorum*, & *Breviarii lectionibus* referuntur, longeque ea abſunt a dignitate divinorum teſtimoniorum. Eadem humana fide, qua ad Eccleſiam hiſtoriæ illæ afferebantur, Eccleſia eas ſuſtinet, donec certioris fidei exhibeantur documenta. Hagiographos, qui divinas ſcripturas condiderunt, conductos fuiſſe a divino afflatu ſcimus Eccleſiæ judicio, non item hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, in quam ſæpius irrepſiſſe errores, nemo ignorat (*s*). *Hiſtoria Eccleſiaſtica non eſt divinum teſtimonium.*

§. 283. Hinc reprehendendi merito ſunt illi, qui impulſi nimio & inconſulto religionis ardore, Zelo, ut Apoſtolus ait, *non ſecundum ſcientiam*, ſed ſuperſtitiones olente, quidquid in conciliorum actis, in Breviariis, ſummorum Pontificum diplomatis, & ſanctorum Patrum operibus deſcriptum comperiunt, pro eo tanquam pro divinis oraculis decertant, notamque ſi non hæreſeos, ſaltem erroris libere inurunt ſecus ſentientibus; horum proba voluntas, ſi tamen proba dici meretur, intollerabilem ſcientiæ & prudentiæ manifeſtat inopiam: *Primo*, quod mentem auctoritatemque matris ſuæ Eccleſiæ non intelligant in negocio religionis: *tum* etiam, quod humana teſtimonia cum divinis permiſceant irreverentiſſime, atque pro eodem uſurpent. *Zelus inconſultus religionis reprehenditur.*

(*q*) *Idem ibidem Lib. I. cap.* 13.
(*r*) *Idem ibidem Lib. I. cap.* 16.
(*s*) *Idem ibidem Lib. I. cap.* 16.

Nimius Zelus plus obest quam prosit.

§. 284. Ad primum quod attinet: nunquam hæc Ecclesiæ collata potestas fuit, quidquid pro veritate, & fidei dogmate decernendi, neque id etiam unquam sibi arrogasse sine gravi injuria dici Ecclesia potest; periclitaretur siquidem dignitas, sanctitas & veritas præstantissimæ religionis non modo apud hæreticos & infideles, sed etiam apud catholicos, si tot dubia, verosimilia, contraria, falsa ac fabulosa (*t*), quæ etiam ab orthodoxorum oculis in Ecclesiastica eruditione deteguntur, Ecclesia ipsa crederet, & fideles ea juberet ceu veritates, & divina testimonia amplecti. Profecto species truculenta Tyrannidis foret, si Deus, aut Ecclesia humanam mentem, cui nullum est magis arduum fide sacrificium, perpetuo opprimeret, & adstringeret ad cæce credendam omnem illam humanarum fallibiliumque actionum farraginem, qui tamen, Pater luminum cum sit, pro veri agnitione rationis lumen contulit, atque illius etiam usum præcepit. Longe ab hac immanitate semper absuit Dei Ecclesia; quin imo tantæ sæpius moderationi paruit, ut sententiam super allatis controversiis, cum preces principum, aut publicæ tranquillitatis ratio postulabat, vel omnino suspenderet, vel saltem ad mitiorem sensum materna pietate inflecteret (*u*). Satis hæc sint ad perstringendum piorum illorum assentatorum Zelum.

Quæ Patribus impendenda fides?

§. 285. Particulares Ecclesiæ Patres, dum occupantur rerum quarumque humanarum tractatione, nihil amplius profanorum scriptorum fide merentur, imbuti ut plurimum aliorum Philosophorum *Platonis*, *Aristotelis* &c. placitis; integrum cuivis erit iisdem refragari, aut etiam aliorum scriptorum, sicubi firmiori communiuntur rationis præsidio, sequi placita. (*x*). *Hieronymus* certo antipodas negavit, *Hilarius* salem terrestrem &c; utrumque hodie plenissime innotuit. Modeste tamen de tantis viris, a rudioris sæculi erroribus plerumque abreptis, est pronunciandum.

§. 286.

(*t*) *Idem ibidem Lib. I. cap.* 13.

(*u*) *Videatur Palavicinus in Historia Concilii Tridentini de Libelli repudii controversia, & sententia.*

(*x*) Sancti Patres ideo Patres sunt, quod duces se præbuerint populis in salutis præsertim negocio, & doctrina: nec sancti sunt, quia erudite scripserunt, sed quia sancte vixerunt. *Weiss de Emendatione intellectus humani Parte II. Sect. 2. Cap.* 17.

§. 286. De aliorum ſanctorum privatis revelationibus juvat magni theologi *Muratorii* ſententiam adſcribere : *multas etiam ex his revelationibus, viſionibus, ac prophetiis exacto jam Apoſtolorum ævo, contigiſſe narrant ſancti ac probatiſſimi Patres, easque experientia non inanes, non confictas ſubinde teſtata fuit. Verum eas ad facta duntaxat peculiaria, & ad ſingularium fidelium utilitatem ac ſolatium, non autem ad generalem Eccleſiam, neque ad certam dogmatum fidem pertinere conſtat. Veræ eſſe poſſunt: certæ penitus, & Eccleſiæ Dei neceſſariæ eſſe non poſſunt. Idcirco, etſi revelationes quarundam ſanctarum mulierum,* Brigittæ, Catharinæ Bononienſis, & Catharinæ Senenſis, Angelæ Fulginatis, & Hildegardis, Gertrudis, *& aliarum aut laudaverit, aut toleraverit Eccleſia: nemo tamen Theologiæ melioris conſcius hucusque fuit, qui certitudinem fidei Catholicæ ipſis additam fuiſſe autumarit, imo non affirmarit, Concilia, & Eccleſiam univerſam auctoritate carere ſimilia decernendi tanquam indubitata & certiſſima dogmata, Chriſtiano populo credenda* (y). *Sixtus Quartus*, ait Melchior Canus (z), *docuit, divam Catharinam Senenſem ſtigmata non habuiſſe; non defuit, qui contra judicarit. Neutrius Pontificis judicium ad Chriſti Eccleſiam ſpectat*: **utrumque** *aut probare, aut improbare ſine fidei diſcrimine poſſumus.* *Privatarum revelationum auctoritas.*

§. 287. Cognitum itaque in verbo Dei ſeu ſcripto, ſeu tradito, atque in Eccleſiæ decretis divinum teſtimonium quin excipiendum ſit ſumma auctoritate, fide & certitudine, ille ſolum pace mea ambigat, qui ratione deſtitutus nec intellexit divina, nec humanis præhabere unquam didicit; quorum hoc impiorum eſt, illud autem etiam belluarum. Nam cum nemo ex natura ſua bonus, nemo itidem verus ſit, niſi Deus; ſi quis anguſtas certitudines, a ſenſibus & reflexione partas, ipſo Deo inferiores, aut ſaltem æquales duceret, is profecto ab omnium cultarum gentium judicio & in Deum reverentia extorris, ad quamcunque certitudinem intelligendam inidoneus eſt, & non tam Philoſophiam, quam humanitatem doceri debet. Igitur divinum teſtimonium præcipuo cæterarum omnium cognitionum loco haberi debet, quemadmodum illius auctor harum funda- *Qua auctoritas divino teſtimonio debeatur?*

U 3

(y) *Muratorius de moderatione Ingen. Lib. I. cap. 16.*

(z) *Melchior Canus de Locis Theolog. Lib. V. cap. 5.*

fundamentis infinito discrimine antecellit; quodsi humanæ quæpiam certitudines divinis eloquiis videantur quadantenus opponi, eam opportebit accedere animi promptitudinem, non solius pietatis, sed & intelligentiæ causa, ut cunctis præteritis, & neglectis Deo, qui per bonitatem suam nos fallere nequeat, nec etiam falli per summam suam veritatem possit, assensum tribuamus pronissimum.

Incomprehensibilia non debent rejici.

§. 288. Quæri adhucdum potest: an rationi Christiana mysteria repudiare liceat, propterea quod concipi penitus, comprehendique non possint? sed respondetur omnino negative; nam qui mysteria illa rejiciunt incomprehensionis causa, aut sunt Christi fideles; aut increduli, & revelationis aspernatores; si fideles sunt, illi utique agnito Dei verbo fidem Sacramentumque dixerunt, testantis auctoritate, quod fidei meritum est, non mysteriorum perspicientia inducti; atque in hoc revelatæ religionis natura posita est; quam fidei naturam si quis velit subvertere, & intelligentiam assequi illorum mysteriorum, quæ fidei velamine obducta, non nisi in Dei testimonio cognoscuntur, is sibi, & fidei, quam profitetur, contradicens, non tam rationis ductum testaretur, quam amentiam.

§. 289. Sin autem increduli sunt, edicant quæso, an magistrorum suorum *Platonis*, *Epicuri*, *Aristotelis* &c. placita magis perspiciunt? quis eorum unquam comprehendit materiam ab æterno extitisse? fortuito atomorum concursu admirabilem Mundi machinam esse enatam? ejus ordinem & harmoniam sine ullius intelligentiæ succursu conservari? an non in objectis sensuum, in *physicis*, *medicis*, *astronomicis* &c. plurima occurrunt, veluti: *vis magnetica*, *causa velocissimæ diffussionis lucis*, *ortus animalium* & quæ aciem humanæ mentis eludunt, quis tamen ob ea naturæ mysteria ausit vim magneticam, ortum animalium &c. inficiari? Quid? quod multa certissima sunt, & eruditis familiaria, quæ ab imbecillioribus animis nec intelligi, nec comprehendi possunt, veluti: *terram esse rotundam: eam ordinatissimo motu circa solem abripi: Antychthones non cadere in cœlum* &c. an tamen hi imbecillitatis suæ causa certas aliorum cognitiones rejiciunt citra temeritatem? Præterea dum omnis nostra cognitio ex sensibus & reflexione obtinetur, quam prætendere liceat intelligentiam, quam comprehensionem de *divinis promissis*,

missis, *de salute* & *expiatione nostrorum animorum*, *de Redemptore* &c. quæ omnia a sensibus & reflexione alienissima sunt, atque a sola Dei voluntate arcanis consiliis sanciuntur? Quod si hominum testimonia de rebus longe dissitis ultro recipimus, locorum intervallis præpediti, eas, utut ad nostros sensus pertineant, experiri; indignissimum certo foret divina testimonia repudiare de rebus, supra naturam elevatis, quas omni nobiscum communione interclusas sola Dei beneficentia mortalibus annunciavit. Et hæc quidem de testimoniorum auctoritate.

CAPUT VI.

De mutua rectæ rationis & fidei consensione.

§. 290. Quidam Philosophi rationis vim in humanis rebus plus nimio extollentes, eam solam esse dixerunt omnis veritatis ac certitudinis normam atque scaturiginem: alii unice inhærentes revelatis a Deo in fide mysteriis, nihil veritatis extra fidei lumen posse illucescere humanis mentibus pertenderunt: Neutra oppositarum partium sententia aliis rectius cogitantibus probari potuit, qui nempe læsa & fidei, & rationis jura in iis moderatius inspexerunt. Quæstio igitur gravis inter sapientes exorta est: an revera naturalis ratio, a Deo humanis mentibus indita, cum fidei mysteriis, atque cum supernaturali lumine conciliari queat? an magis sibi contrariæ sint, & adverso molimine sese evertant? (*a*). *An ratio & fides consentiant?*

§. 291.

(a) Primis Christianismi temporibus Patres plerumque Platonicam Philosophiam sunt amplexati, rati ejusdem placita magis quam aliarum sectarum cum Christianæ religionis mysteriis consonare; cum enim pagani Philosophi se vehementer contra Christiana dogmata armassent, dicerentque nostram religionem esse prorsus rationi adversantem, ac proinde Deo, hominibusque indignam, necessum esse existimarunt Patres, ad fidei incrementa procuranda, ostendere, nullam religionem inter ac rationem intercedere autilogiam. Sed postquam nec in hac Philosophia sat sibi esse præsidii reperissent Zelosi illi religionis pugiles, lente ad Philosophiam Peripateticam defecerunt; maxime, quod eo sæculo amor systematici studii, quale in Aristotele elucebat, animos occuparit. Sed hujus Philosophiæ placita multo durius rebus fidei repugnarunt, *Nec Platonica nec Peripatetica Philosophia religioni satisfacit.*

Quid rationis nomine intelligatur? Quid fidei?

§. 291. Quæſtio hæc ut felicius dirimatur, ſcire juverit, *rationis* nomine intelligi inſignem illam animæ facultatem, quæ plurimas veritates naturales, earumque nexum & conſequentias intelligit, atque inter varias gentes concordem cogitandi, agendique rationem tuetur. *Fides* autem eſt Dei donum, quod intellectum elevat, firmiterque inclinat, ut revelatis myſteriis, humana perſpicientia ſublimioribus aſſentiatur, idque ob auctoritatem Dei atteſtantis.

Ad religionem requiruntur motiva, hinc evidenter credibilis.

§. 292. Nunquam autem intellectus aſſentitur, niſi id, quod proponitur, credibile videatur; ſed neque credibile quidquam videri poteſt, niſi argumenta firma, & motiva accedant. Si enim omnes, etiam immaniſſimæ gentes, rationabile cultus obſequium Diis ſuis impendere ſtuduerunt; an iisdem Chriſtiani non eſſent abominationi & ſcandalo, ſi hi ſine omni ſolicitudine, ſine disquiſitione & examine rationis, magnum fidei negocium negligerent, ex quo tamen fatentur æternæ felicitatis ſuæ cauſam dependere; præſertim cum religionis noſtræ omnia capita rationi haudquaquam adverſentur, quin imo ex omnium Theologorum ſententia ſint evidenter credibilia; id eſt: ſic comparata, ut attentis motivis fidem aſſenſumque mereantur (*b*).

§. 293.

gnarunt, præcipue mortuorum reſurrectioni, Trinitati, Euchariſtiæ, animarum immortalitati, creationi &c. Sæculo XII. ante ſchisma orientis percrebuit in Italia Averroiſtarum Secta, qui duce Averroe, *præcipuo Ariſtotelis interprete, ſummo animorum æſtu pertendebant, Chriſtianorum dogmata nullo pacto cum Philoſophia Ariſtotelis, quam pro ipſo rationis lumine promiſcue uſurpabant, poſſe conciliari. Hic error in concilio Lateranenſi ſub* Leone X. *damnatus eſt. At toto illo tempore adusque Sæculum XV. continuo extiterunt Averroismi vindices, qui veluti contectæ cineribus ſcintillæ virus ignemque fovebant, veluti* Cæſar Cremoninus, Andreas Ciſalpinus, Claudius Perigardus &c.; *donec tandem Ariſtoteli larva detracta eſt, & commonſtratum, inter rectam rationem, & Philoſophiam Ariſtotelicam maximum patere hiatum; quinimo hanc plurimis præjudiciis, atque erroribus verminare.*

(*b*) *Religio debet eſſe evidenter credibilis; nec etiam judæus quisque aut infidelis tenetur adſtruenti Chriſtianam religionem fidem aſſenſumque præbere, niſi motivis rationabilibus eo inducatur. Hinc ridiculus fuit ille presbyter catholicus, qui Judæum, ad ſupplicium jamjam procedentem conveniens, fidem catholicam ei ſic perſuaſit: ſe velle illius loco in altera vita pœnas dare, ſi ſuſcipiens catholicam religionem erraret;* quaſi

§. 293. Rationes, seu, ut scholæ ajunt, motiva credibilitatis, e quibus religio fit evidenter credibilis, sunt externa quædam argumenta, veluti *auctoritas tantarum gentium*, tam mirabiliter succrescentium, & testimonium Christianis mysteriis perhibentium: *miracula*, per Christum & Apostolos, cæterosque sanctos divina virtute edita: *Prophetarum vaticinia: martyrum* incredibilis, & humana major fortitudo; hæc quidem quamvis extrinseca sint, sunt tamen maxime idonea proposito comprobando; nam intrinsecæ rationes difficiles plerumque sunt, & intelligi nequeunt, nisi post longum studium, & accessionem divini auxilii, quod per infusam fidem & baptismatis gratiam sperare licet (*c*). ***Rationes seu motiva credibilitatis.***

§. 294. Ex quo sane dignitas luminis naturalis mirifice elucet, quod cum longe jaceat infra præstantiam divinæ fidei, tamen instrumentum illius, & arbiter quodammodo haberi debeat; quomodo enim sine recta ratione licebit motivorum pondus æstimare? quomodo genuina a falsis & spuriis testimoniis secernere, & divinæ tandem revelationi reverenter adjungi cum divino auxilio? ***Fides opus habet ratione naturali.***

§. 295. Et *rationi*, & *fidei* id veluti commune est, quod utraque liberalissimi Dei donum sit, concessum hominibus ad veritates attingendas, varii tamen ordinis & gradus. Ratione assequimur veritates, non omnes quidem absolute, sed eas duntaxat, quæ nostræ experientiæ & reflexioni subjiciuntur (§. 172.); hujus adminiculo præter certam plurimarum particularium rerum, ad humanum commercium pertinentium cognitionem, obtinemus etiam illustriores quaspiam facultates, artes & scientias; quin imo Deum ipsum, totius naturæ amplissimum auctorem agnoscimus, & necessarias illius proprietates, & attributa, *bonitatem*, *omnipotentiam*, *infinitatem* &c. de quorum omnium veritate eo minus dubitare licet, quod testimonio & tabulis omnium cultarum gentium suffulciantur. ***Et ratio, & fides est donum Dei.***

§. 296.

quasi vero Judæus ille religionem suam, quam saltem erronee divinam esse putabat, propter hominis testimonium sine alio motivo mutare potuisset; opportebat utique prius motiva & argumenta eidem attulisse.

(*c*) *Videatur* Muratorius de moderatione Ingeniorum Lib. I. cap. 5.

Rationem naturalem plurimæ cognitiones effugiunt.

§. 296. Id tamen dissimulari non debet, humanam rationem in pluribus cæcutire: multa utique sunt, quæ hodie nostra majorumque nostrorum solertia sciuntur, plura autem quæ hodiedum, & fortasse perpetuo ignorabuntur (§. 5. & 46.) adeo constrictæ sunt humani ingenii vires. Quoties acutuli quidam vane gloriati sunt, se abstrusarum rerum notitiam esse assecutos, quos aliorum sincerior investigatio falsi coarguit. Quotiescunque reflexiones nostras extra sensuum & experientiæ septa protendimus, nihil proficimus, quin imo halucinamur. Quod si quis ex paucis cognitis universalia metaphysica principia velit condere, erroris se periculis objicit, propterea quod universalia illa principia normam universæ naturæ injiciant, cujus nos hactenus minimam duntaxat attigimus partem.

Dogmaticorum & Pyrrhonicorum error.

§. 297. Dogmatici certo, & Pyrrhonici Philosophi in hunc olim scopulum allisi fuerunt; illi quippe, dum res quaspiam, lumini suo contemperatas, clare perspicerent, cognitionum suarum evidentia freti, constituerunt generales cognoscendi canones, ad quos omnium excogitabilium objectorum explicationem plerumque sat infeliciter exegerunt; has fallacias cum Pyrrhonici intuerentur, in oppositum errorem inciderunt, & ne ullam quidem cognitionem esse veram adstruxerunt, propterea quod omnes ex principiis, non undequaque firmis, deductæ essent. Hos extremos & oppositos errores utraque litigantium pars bene declinasset, si discrimen iniisset illorum objectorum, quæ humanis cognitionibus subjiciuntur, ab illis, quæ supra nostras vires sunt elevata.

Quæ sint fidei cognitiones?

§. 298. Sed jam ad fidei cognitiones transeamus; feruntur illæ in objecta, supra humanæ mentis terminos elevata, quorum nempe cognitio ex sola gratuita revelatione, & divino testimonio fluit (*d*). Jam vero si divino huic testimonio reverentia impendi jure

(*d*) Ἔστι δὲ πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ad Hebræos Cap. 11. v. 1. *Item* βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι᾽ ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate 1. Corinth. Cap. 13. v. 12. *Et August. Tract.* 20. in Joan. Quid est fides, nisi credere, quod non vides?

jure debet, quod ego ab omnibus fidelibus ceu certiſſimum mihi tribui peto (*e*): ſequitur primo: illas revelationes eſſe certiſſimas, utpote ex ipſo intemerato veritatis fonte, Deo, hauſtas; ſequitur & alterum, eas neceſſario obſcuras noſtræ menti videri; quomodo enim claritatem, & evidentiam aſſequamur in illo objecto, quod naturali facultate ne quidem attingimus? Certitudo ab extrinſeco haberi poteſt, nempe a fide teſtantis; evidentia non niſi a perſpecta rei, quæ objicitur, intima natura.

§. 299. Hæc eſt ſuccincta & fidei & rationis delineatio, & propriarum utriusque facultatum breviſſimus conſpectus: nempe cognitiones rationis certas quidem eſſe, atque perſpicuas, eſſe tamen valde conſtrictas: fidei autem aſſenſum multo latius patere, & extra limites rationis, in objecta, a Deo miſericorditer revelata protendi; hinc totam fidem tenebris, & caligine involvi viatoribus; eſſe tamen fundamenti ſui cauſa certiſſimam, & omni alia rationis cognitione potiorem. *Conſpectus fidei, & rationis.*

§. 300. Ex quibus luculente intelligitur *primo:* quam cautos nos eſſe opporteat, ne mentis noſtræ acie abutamur ad comprehendenda objecta, humanis viribus ſuperiora; hoc namque mentem cæcam in turpiſſimos errores præcipitat, & præcipuum eſt ignorantiæ, perverſitatisque argumentum. *Secundo:* quanta cum reverentia & promptitudine opporteat nos obſequi divinæ revelationi, quæ, dum deficiunt domeſtica ſubſidia, dignata eſt nos docere *divinorum* *Divina revelatio ſupplet infirmitatem rationis.*

des? *Pagani quoque, ſi ſacris profana conſociare licet, hanc divinarum rerum obſcuritatem quodammodo agnoverunt:* Plato *in Libris Legum, attenta humanæ mentis imbecillitate vetat inquiri, quid ſit Deus?* Cicero Lib. III. de Nat. deorum *inducit Cottam, contra Balbum diſputantem:* quia non confidebas, tam eſſe id perſpicuum, quam tu velis, propterea multis argumentis Deos eſſe docere voluiſti. Mihi unum ſatis erat, ita nobis majores noſtros tradidiſſe. Sed tu auctoritates contemnis, ratione pugnas.

(*e*) *Negocium mihi hoc loco eſſe poſtulo cum homine fideli, qui myſteria fidei, ceu veritates a Deo revelatas amplectitur. Quod ſi infidelis ſit, ille non modo myſteria rationi poſtponet, ſed ea etiam ſannis, ac ludibrio excipiet; illi primo commonſtrare opportebit, Libros utriusque teſtamenti eſſe genuinum Dei verbum, ſacris ſcriptoribus cælitus inſpiratum, quod nuper* Calmet, Lamy, Graveſon &c. *inſigniter præſtiterunt.*

ſcientiam, ſanctificationem animarum, & omnem futuræ beatitatis rationem, atque etiam ſecuriori ad eam ductu nos comparare. Profecto, ſi ratio poſtulat, ſuam cuicunque rei dignitatem ac pretium conſtituere, lubens confitebor, multas res equidem naturali ſerie contineri, quarum certitudinem & evidentiam innata ratio, vel uſu quæſita ſuppeditat; at vero objecta ſuperioris ordinis, quæ per fidem, veluti in ænigmate cernuntur, & perennis noſtræ felicitatis complectuntur negocium, tanto certius cognoſci ob teſtantis auctoritatem, eoque etiam proniorem aſſenſum, ut ut comprehendi nequeant, promereri, quo divina humanis, æterna momentaneis, cæleſtia terrenis ſunt potiora. Videtis, quam credendi officium etiam ex ratiocinii legibus fluat, & quam juſtis de cauſis ratio eſſe miniſtra fidei perhibeatur; nam nec ſana quidem foret ratio, niſi argumenta fidei præponens argumentis naturalibus, hæc illorum auctoritati ſubjugaret.

Fidei & rationis pugna tantum apparens. §. 301. Quamobrem falluntur vehementer, totoque aberrant cælo illi argutuli, qui rationem adverſari fidei aſſeverant, nullibi quippe pugnam eorum, & colluctationem apertam, niſi apparentem fortaſſis oſtendent; Deus etenim omnis veritatis fons & origo tam provide fidei dogmata temperavit, ut quamvis ratio iisdem non ſemper conſentiat, nunquam tamen eam adverſo inſultu infringat; quid enim contra illud, quod proprio lumine non intelligit, firmum molietur? ſed ageſis! videamus in exemplo, an Trinitatis myſterium contra rationem offendat? ut expedita ratio habeatur de aliis etiam fidei myſteriis judicandi.

Declaratur in myſterio SS. Trinitatis. §. 302. Myſterium SS. Trinitatis pugnare contra rationem exinde arguunt, quod opponatur generali illi principio, lumine naturæ noto: *quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:* ſi enim, inquiunt, Pater, Filius & Spiritus S. cum natura divina, quod fidei dogma eſt, identificantur, deberet utique vi generalis illius principii etiam illa perſonarum Trias mutua identitate uniri, quod tamen ceu impium Chriſtiana doctrina execratur. Sed bona verba pauliſper boni argutuli; dicite quæſo, cur generalia illa cognitionum principia tam ſecure decernitis? an mox allatum generale principium dici poſſit lumine naturæ notum, ſi nullum nobis eſt principium

pium congenitum, ut contra Cartesianos bene *Lokius* ostendit? si ex pluribus particularibus cognitis veritatibus mens tandem ipsa sibi ejusmodi principia creat? si veritates, quæ a nobis cognoscuntur ad naturæ congeriem pertinent; quo igitur pacto licebit ex his perceptis generale principium efformare, quod veritates, etiam supernaturales, toto ordine differentes, involvat?

§. 303. Sed esto, tribuamus interim principium illud etiam esse certum, atque in universum extendi; nulla exinde sequitur fidei cum ratione conflictatio; varia quippe applicandi ratio oppositionem conciliat; vario respectu, si diligenter attendimus, plures contradictiones evanescunt, neque repugnat omnino, ut res quæpiam, quæ una sit necessitate naturæ suæ, alio aliquo modo sit trina; sic personæ divinæ in una simplicissima natura componuntur, & unum quid sunt secundum naturam divinam, non secundum relationes personarum. Eadem unius rei varietas, per diversos respectus enata, redit etiam in humanis rebus: mens nostra est una natura sua, facultatibus est trina, memoria nimirum, intellectu, & voluntate; secus foret, si res quæpiam eodem respectu & una esset, & trina. *Oppositio per varium respectum tollitur.*

§. 304. Non eo hæc a me allata sunt, ut mysterium SS. Trinitatis reserasse, & veluti in luce posuisse mihi sumam; semper supernaturalibus fidei mysteriis intima insidet obscuritas, quæ humanis mentibus non nisi in revelatione gloriæ disparebit: in id solum collimat animus, ut significetur, nullam, obtruso quocunque arbitrario principio intercedere antilogiam inter veritatem fidei & rationis. *Trinitatis mysterium sine antilogia.*

§. 305. Hinc est, quod sollicite distinguere opporteat *explicare*, *probare*, *comprehendere*, & *contra objectiones adversantium tueri*. Dogmata fidei *explicantur*, idest: sua in puritate fidelibus credenda proponuntur; sed *comprebendi* a nobis nequeunt; quamvis enim eorum existentia certissima juxta ac verissima sit, intima tamen eorum conditio ac natura nos latet; veluti fere in rebus physicis evenire sæpius solet, ut naturæ phænomena explicemus usque ad certos limites, ultra quos progredi non possumus nisi divinando (§.289.). *Quid explicare, & comprehendere?*

(§. 289.). Pari ratione nequeunt veritates fidei probari per causas, aut ratio earum reddi; ad hoc quippe requiritur, ut intimam illarum naturam pervideamus, quod utique mortalium sortem transcendit. At nihil vetat, quo minus fidei dogmata contra adversarios tueamur; nam hoc ut rite fiat, opus solummodo est, objectionum imbecillitatem aperire, & ostendere, eas nulla pollere vi contra res revelatas; quod utique valemus ex inspecta rerum naturalium, & revelatarum natura: quemadmodum in forensibus causis bonæ fidei possessor, in judicium vocatus, nullo jure adstringitur ad probandum possessionis suæ valorem, satis ei fuerit, adversarii sui tela elisisse, & ostendere, ea nihil probare.

Argumenta invincibilia contra fidem nulla sunt.

§. 306. Non possum hoc me loco continere, quin temeritatem quorundam(*f*) incusem, & reprehendam, asserentium, argumenta, robur fidei impetentia, omnino esse insolubilia, neque posse ulla argutia expediri. Edicant, quæso, quis unquam contra res fidei conflavit argumentum invincibile? argumentum invincibile id esse intelligo, quod demonstratione nititur: demonstratio autem est argumentatio clara, & evidens; unde ejusmodi evidentiam in fidei mysteriis, quorum intima natura obscuritati est obnoxia, mutuabitur adversarius?

Res fidei sunt contra apparentiam, non contra veritatem.

§. 307. Nolim inficiari, sæpius argumenta procudi verosimilia contra veritates fidei; sed hoc nihil penitus evincit; ultro quippe conceditur, mysteria fidei esse contra sensuum apparentiam, & non exacte congruere cum veritatibus, per experientiam aquisitis; quin imo exinde fit copia arguendi in contrarium; si enim res fidei sensuum apparentiæ adversantur, ergo non adversantur veritati, multa apparent sensibus aliter atque opporteret (§. 311.), præsertim cum fundamentum veritatis in rebus fidei longe infallibilius sit, longeque diversum a fundamento veritatis naturalis.

Objectionibus contra fidem non est inhærendum.

§. 308. Quod si objectiones ejuscemodi crebro oggerantur, nihil attinebit, prolixo eas studio examinare, aut formidinem de opposito tamdiu retinere, donec examinata, & discussa causa nos ad myste-

(*f*) *Pet. Bayle Tom. III. de la reponse aux questions d'un Provincial pag.* 120.

myſteriorum amplexum manuducat; ſic enim fidei nunquam aſſentiremur; cum objecti certitudo, & veritas non in perſpicientia intelligentis, ſed magis in auctoritate revelantis conſiſtat. Sicut periti mathematici, Geometricarum propoſitionum demonſtratione convicti, non patiuntur ſe abripi in dubia, propterea quod *Joſephus Scaliger* contra propoſitiones Archimedæas, & *Hobbeſius* contra Euclidicas congeſſerint objectiones; Licebit tamen quandoque ſolvendis illis objectionibus operam impendere, ut nempe intellectus, inventis paralogiſmis, quibus illæ plerumque ſcatent, firmius ad immotam divinæ revelationis anchoram adhæreſcat (*g*).

§. 309. Sed nec illa duo capita *incomprehenſibilitas* (§. 288.) & *pauca apparentia*, ſeu ſenſibilis in contrarium perſuaſio, quorum intuitu nonnulli cauſam fidei, ceu monſtrum averſantur, quidquam officiunt fidei veritati; non *primum*: quia & alias plures ſenſibiles qualitates *lucis*, *odoris*, *ſaporis* &c. non comprehendimus, & tamen ſenſuum teſtimoniis perſuaſi eas certiſſime exiſtere, atque juxta immutabiles leges in nos agere non dubitamus; non *alterum:* apparentia ſiquidem nos ſæpenumero fallit; quoties rebus juxta apparentiam aſſentimur, dum facta evolutione veritas contrario apparentiæ adſiſtit? Refert *Leibnitius* (*h*) fuiſſe inſignem quendam impoſtorem, qui perſonam ſublati cujusdam *Martini Guerre* adeo dextre mentitus ſit, ut non modo uxor illius, & parentes eum pro genuino habuerint, ſed etiam appellati judices ad dirimendam litem, altero genuino adveniente, diu ſuſpenſis animis fluctuarint, utrumnam horum ceu legitimum pronunciarent, donec tandem impoſturæ nequiſſimæ fucum veritas excuſſit. Igitur ne luculenta quidem apparentia valet. *Incomprehenſibilitas nil officit fidei.*

§. 310. Id unum porro e re fuerit ſolerter admonuiſſe: has duas propoſitiones: *eſſe contra rationem*, & *eſſe ſupra rationem* maximam habere ſenſus varietatem; *prima* propoſitio applicatur illis rebus, *Contra rationem, & ſupra rationem diſtincta ſunt.*

(*g*) *Vaferrimus impoſtor* Mahomet *lege cavit, ne cuidam ſuorum permiſſum ſit, latam a ſe legem examinare, adeo enim caput illud, ex fraudibus conſutum, metuebat rectam rationem, ut nihil ea aptius putaret ad veſaniam doctrinæ ſuæ palam omnibus detegendam; non ſic Chriſtiana religio.*

(*h*) *Diſcours ſur la conformite de la foy avec la raiſon. Num. 42.*

rebus, quas experientia, & veritas naturalis refugiunt, & coarguunt falsitatis: *altera* est illarum, quæ sublimioris sunt a natura ordinis, veluti dogmata fidei, *creatio* &c. quæ hominibus nunquam in mentem venissent, nisi revelationis ope. Hæ veritates cum toti naturæ ordini supereemineant, quomodo, si ab adversariis in contentionem adferantur, poterunt interrupti ordinis veritatibus contraire?

Continuatur solutio.

§. 311. Frustra nonnulli cum *Baylio* (*i*) pertendunt: id quod supra rationem est, etiam contra rationem esse debere; nam assumpto a rebus visibilibus exemplo sic argumentantur: cum turris quadrata eminus apparet rotunda, quadrata illius figura non tantum est supra, sed etiam contra sensuum testimonium. Eadem est in rebus fidei analogia, fideique mysteria, quæ supra rationem sunt, etiam contra eam pugnare jure dicuntur. Verumtamen elumbis, ac prope nulla hæc est eorum argumentatio; nam quadrata figura, quæ in majori distantia supra oculorum vires est, ut Optici interpretantur, dicitur inepte etiam *contra sensum* oculorum esse; id quippe est contra sensum, quod repugnat sensui, neque convenire eidem potest; at vero non repugnat oculo quadratam figuram turris sentire, sola debilitas & imperfectio sensuum impedit, quo minus in majori distantia percipiatur; hinc etiam sublata elongatione oculus valentior redditus, quadratam figuram turris sentit.

Continuatur.

§. 312. Sed tribuamus etiam, figuram illam quadratam contra sensuum testimonium esse; nihil exinde contra rationis & fidei harmoniam consequitur; aliud quippe sentiendi fundamentum est distantia; aliud fundamentum vicinia; a contraria circumstantia & fundamento utique contrarium sensuum testimonium obtinebitur; At vero idem fundamentum, origo eadem seu naturalis, seu supernaturalis veritatis est Deus; ideoque hæc illi contrariari nullo modo potest. Altera duntaxat inferioris ordinis est, altera superioris; utraque tamen ex infinito veritatis fonte, Deo, procedit; hinc neutra alteri repugnat; quemadmodum propositio quædam algebraica, quæ Euclidicam transcendit, male diceretur principiis Euclidicis repugnare.

§. 313.

(*i*) *Bayle Ibidem, ubi supra* (*f*).

Objectiones e ſcriptura ſacra.

§. 313. Plures equidem e ſacra ſcriptura, & orthodoxis Patribus decerpuntur ſententiæ, quæ rationis lumen perdite ſapere aſſerunt, nullamque illius rationem haberi debere a fidelibus graviter inculcant: *Perdam ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium rejiciam. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſputator ſæculi hujus? nonne infatuavit Deus ſapientiam mundi hujus?* 1. Corinth. 1. v. 19. (*k*). *Videte, ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem deceptionem juxta conſtitutionem hominum, juxta elementa mundi non juxta Chriſtum* (*l*). Sed in his & ejusmodi locis ſcriptura intelligit rationem corruptam, & malitia ac paſſionibus philoſophorum, quorum effata paſſim pro naturali lumine habebantur, deturpatam; hocque ex aliis ſcripturæ locis elucet: Apoſtolus ſane fidem appellat *rationabile obſequium* (*m*).

SS. Patrum explicatio.

§. 314. Eodem quoque in ſenſu intelligendi ſunt Patres, quibus primis Chriſtianiſmi temporibus acris & perpetua erat contra paganos Philoſophos colluctatio, qui fallaci dialectica abutentes, Chriſtianos imperitos circumvenerunt. Quin imo fateri opportet, eosdem Zelantiſſimos pugiles, dum paganorum ſapientiam oppugnarent, æſtu diſputationis & fidei ardore abreptos, durius nonnunquam contra rationem locutos fuiſſe, quam alia in occaſione expediret.

Ratio neglecta ducit ad irreligionem.

§. 315. Id pro coronide attuliſſe juverit, non modo exteros, veluti Judæos, Turcas, ſed etiam Chriſtianos, qui rationem in religionis negocio nimium deprimunt, eamque ceu ducem fallacem averſantur, delabi paſſim ad ineptias, & invehere nugas quasque leviſſimas in ſua ſacraria; ubi vero tandem commonentur, religionem ſuam communi ſenſui contraire, penitusque abiiſſe in ridiculum, tum myſteriorum ſuorum pertæſi, ipſam quoque religionem parvi faciunt, atque contemnunt, ſicque proprio ſuo malo edocentur,

(*k*) Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν, καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω: ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου.

(*l*) Βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας, καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν.

(*m*) Λογικὴν λατρείαν.

tur, quam periculosum sit, rationis lumen, a Deo pro justitiæ & æquitatis, omniumque officiorum cultu beneficentissime collatum, abrenunciasse.'

CAPUT VII.

De Necessitate, & modo definitas de rebus ideas constituendi.

Definitio quid sit?

§. 316. Propositionum cæterarum celebrior illa est, quæ *definitio* dicitur, & est oratio, ut vulgo sonat, *explicans quid res sit?* Hujus proferendæ summa semper extitit Philosophorum sollicitudo, hanc singulis concertationibus curiose præmiserunt, neque putabant posse de re quapiam, aut justum judicium ferri, aut etiam fieri ratiocinium, cujus naturam prævia definitio non detexisset (*n*).

Definitionum variæ regulæ.

§. 317. Atque utinam in re tanti ponderis, tamque necessaria inter eos convenisset de regulis, ac norma *definitiones* componendi. Cum enim definitio naturam rei explicare debeat; hæc autem explicatio involvat enumerationem præcipuarum idearum, & notarum, quæ rem definiendam constituunt, & ab aliis distinguunt: consenserunt equidem omnes illi Philosophi in eo, quod ideas singuli præcipuas in rerum definitiones conferrent, alii tamen alias, in diverso genere contentas: quidam ideas metaphysicas abstractas, ut *genus proximum*, & *differentiam ultimam* (§. 25.) alii physicas, ut *materiam* & *formam* &c.

Abstracti conceptus obscurant definitiones.

§. 318. Verumtamen contra rectum cogitandi ordinem, & claritatis finem implicare videtur, res, sensuum nostrorum officiis objectas, suaque natura donatas, per abstractos & ideales conceptus, per

Definitio rei & definitio nominis.

(*n*) *De rerum definitione hic agitur, præter quam alia est definitio Nominis, quæ explicat sensum, & significationem propriam vocis, de qua agitur. Differt definitio rei, a nominis definitione, quod nominis definitio tota ex arbitrio definientis pendeat; hoc quippe significat nomen, quod definiens voluerit; res autem eadem semper permaneat, quæcunque de ea detur definitio.*

per *genus* & *differentiam* explicare, quod Scholaſtici ſolent. Profecto ſinceritatis officio ille deeſſet, qui rogatus rem quampiam ignotam alteri explicare, rem illam alieno habitu obvelaret, atque ita illius cognitioni offerret: id prorſus illi agere videntur, dum reales ſubſtantias abſtractis conceptibus amiciunt, atque intellectui proponunt.

§. 319. Sed ne hoc quidem, quod tantopere venditant, aſſequuntur; quomodo enim ab eis *genus proximum* obtinebitur (*o*), dum res fere quælibet ſecundum varias notas collata, diverſimode cum aliis conveniat, & diſconveniat? quomodo uno vocabulo notas proximi generis ſemper complecti licebit? quomodo in tanta proprietatum ignoratione, eam proprietatem aſſignabunt, quæ rem quandam ultimo ab aliis diſcriminet? unicam *hominis* definitionem Scholaſtici habent, tantopere celebratam, nempe *animal rationale*, & ne huic quidem omnia illa præſto ſunt requiſita. Quis perſuadeat *animal* eſſe *genus proximum*: *rationale ultimam differentiam*, ſi utrumque ad diverſum genus entium, ad *corpus* nempe, & *ſpiritum* pertinet? certo ſi animal *proximum genus* foret hominis, & rationale *differentia ultima*, ſufficeret utique ſolum *rationale* homini ab omni alio diſtinguendo; ſiquidem *rationale* jam includeret in ſe *animal*; ſicut pomus ſub arboris genere continetur; cum tamen *rationale* pluribus aliis entibus, toto genere diverſis, veluti angelis competat, ſuæ neceſſitate naturæ.

Genus proximum non obtinetur.

§. 320. At neque alterum Scholaſtici evincere unquam potuerunt, ſe nempe ſuarum definitionum uſu explicare intimam naturam, ſeu *eſſentiam rei*, cum prope certum exploratumque ſit, intimas rerum naturas nos perpetuo latere, (§. 46.), qui externas tantummodo proprietates & attributa delibamus beneficio ſenſuum, atque ex iis rerum ideas adornamus (§. 4.); hinc *Verulamius* volebat, & ſua-

Definitio Scholaſticorum non explicat.

(*o*) Genus proximum *intelligitur illud, cui immediate res definienda ſubjicitur, & in quo plures ſpecies conveniunt; ſic* vivens *non eſt genus proximum hominis, ſed* animal; vivens *quippe dividitur in* ſenſitivum, *ſeu animal, &* non ſenſitivum, *cui animal ceu ſpecies ſubeſt.* Differentia ultima *hominis eſt* rationale; *per hoc quippe ab omni alio diſtinguitur.*

& ſuadebat, ad cognoſcendas rerum naturas pro augmento ſcientiarum tentanda eſſe experimenta.

Mathematica ſolo nomine definiuntur.

§. 321. Inducti ſunt Scholaſtici in hunc errorem ea occaſione, quod in rebus mathematicis adverterent per notiones & voces, ceu ſigna, revelari ipſam eſſentiam, veluti nomine *trianguli*, intimam naturam hujus figuræ, ideoque voluerint eadem facilitate atque compendio in rebus phyſicis verſari; quaſi vero voces eadem ratione æquivalerent rebus phyſicis, & mathematicis (§. 47.). Nunquid interrogans, quid hæc, aut illa res ſit? plus edoceri, quam ſolum nomen poſtulat? & nunquid etiam reſpondens, eſſe v. g. *aurum*, cogitat amplius aliquid, quam ſolam vocem menti interrogantis aperire? ſed de vocum defectibus infra agetur.

Alia definitio per materiam, & formam.

§. 322. Alii multi philoſophi generi & differentiæ metaphyſicæ *materiam*, & *formam* ſubſtituunt, atque phyſicas definitiones hoc modo adornare ſe venditant; ſic hominem definiunt *corpus*, *rationali anima informatum:* arborem *corpus*, *vegetabili principio animatum* &c. In Scholis Peripateticis præcipue ejuſcemodi definitiones increbuerunt; hi enim cuncta ex materia, & formis ſubſtantialibus componi pertendunt. Attamen nec huic definiendi modo melior fortuna obtigit; nam præterea, quod non ſuppeditet claras ideas de rebus, illud etiam accedit, quod ſat luculente demonſtratum ſit, nec *primam* illam *materiam*, nec *ſubſtantiales formas* in ſenſu Peripateticorum reipſa exiſtere, ſed eſſe abſtractos, & imaginarios conceptus mentis (§. 43.) qui componere non poſſint res phyſicas.

Entia moralia non definiuntur per materiam & formam.

§. 323. Sed eſto, tribuamus interim res phyſicas per *materiam* & *formam* definiri, quomodo hæc definiendi ratio accommodabitur, quod plerumque fit (*p*), aliis entibus moralibus, quorum tota conditio phyſica non eſt, ſed ad voluntatis arbitrium conſtituitur; impropria

(*p*) *Inſolita quibusdam Theologis videbatur ratio definiendi* Sacramenta *per materiam, & formam, quam Eugenius* IV *in decreto contra Armenos uſurpavit; ſed factum hoc eſt quodam ſæculi vitio; tum quippe ſolus fere Ariſtoteles ubique floruit, cum veteres doctores eccleſiaſtici alio paulisper modo, ſine his ſcholarum ambagibus eandem rem, nempe Sacramenta, definiverint.*

propria est locutio, saltem quoad explicandi modum, rem quampiam ex suo in alienum rerum ordinem transtulisse.

§. 324. Rejectis itaque his definitionum formulis, chaos & tenebras invehentibus, amodo necessum est, limpidiorem, & humanis cognitionibus magis accomodatam normam delineare, quæ sine offendiculo, & apertius *id, quod res est*, explicet; hoc vero antequam aggrediar, e•re fuerit, sibi in memoriam revocare, quod Cl. *Lokius* de idearum divisione primus docuit, & nos supra exposuimus (§. 10.), nempe ideas alias esse *simplices*, alias *compositas*. *Alia ratio definiendi affertur.*

§. 325. Ideæ *simplices* nec definiri possunt, nec debent (*q*); est enim definitio *explicatio* rei, ad quam necessario plures voces adhibere necessum est: qualibet rursum vox propriam ideam notat; jam vero quomodo per varias definitionis voces, varietatem idearum involventes, ideam repræsentabimus omni compositione carentem? quis est, qui conspecta luce non illico simplicem illius ideam obtinet, quam Scholastici definiverunt: *actus perspicui, quatenus perspicuum est*. Quæ explicatio non modo obscurior est re definita, sed vix etiam Intelligibilis. Si quis interrogaretur, qui nunquam deglutivit Scholarum pulveres, quid sit *actus entis in potentia, quatenus in potentia?* captiunculam sibi injici existimaret; at Scholastici hoc verborum ambitu dicunt clarius se explicare, & definire motum. Quis hoc credat, nisi qui de rebus nullam unquam ideam claram hauserit, & germanam cogitandi perspicuitatem aspernetur? Scholastici certo suis cum definitionibus seipsos incusant, objecta sensuum non percepisse, nihil perspexisse simplicium idearum, imo forte ceu peregrinos in Mundo eas nec attigisse. *Ideæ simplices non definiuntur.* *Lucis & motus definitio.*

§. 326. Ideæ autem *compositæ* eo modo definiri debent, quo in earum notitiam devenire solemus; idest: diligenter enarrando præcipuas ideas simplices, e quibus compositæ illæ ideæ consurgunt. Rationi enim prorsus consentaneum est, ut illi modo insistamus in expli- *Definitio idearum compositarum.*

(*q*) *Causæ, & effectuum enumeratione plures* simplices ideæ *feliciter explicari possunt; veluti* lux, *quod consistat e subtilissimis corpusculis, e lucido corpore promanantibus, ab objecto opaco aut reflexis, aut refractis, quæ in oculum incidentia, sensum lucis, & colorum in mente excitant.*

explicanda & definienda idea composita, quo illa menti nostræ illabitur, quod utique fit perceptione plurium simplicium idearum, sine quibus nulla erit objecti compositi cognitio, qualiscunque abstracta differentia afferatur; hæc enim ipsa plures ideas simplices non sine obscuritate continebit. Sic qui quærenti: quid homo sit? responderet: esse *substantiam, extensione & soliditate præditam, carne, ossibus, nervis affabre compactam, eam vivere, motu spontaneo moveri, sentire, argumentari, atque disserere*, utique clarius explicat altero, qui eum esse *animal rationale* reponeret.

Definitio hominis.

Descriptio tanti valet, quanti definitio.

§. 327. Dicet forte aliquis: hanc esse descriptionem hominis ab externis attributis, & partium, actionumque enumeratione conflatam: non esse definitionem, qua natura illius intima explicetur; Esto & hoc, non magnopere repugnabo. Nulla mihi est curatio, seu descriptionem eam, seu definitionem appelles; si modo id, quod cupio, clare explicet. Et amabo! cujusnam rei intima natura nobis innotuit? an non plerumque accidentium apparatu contenti, intimæ naturæ cognitionem soli auctori Deo deferimus? ut vel ex hoc ipso non obscure eluceat, Scholasticorum definitionem esse imaginariam, & inane votum, cum nullum ejusmodi intimæ naturæ signaculum possint exhibere. Descriptiones duntaxat sunt, quibus ad rerum cognitiones erudimur: his & poëtæ, & Rhethores percellunt animos, & quasi objecta rerum imagine ad officia impellunt: his totius naturæ indagatio continetur, & quidquid singularibus curis in ea compertum est, descriptionum numerum amplificavit.

Discrimen definitionis & descriptionis.

§. 328. Ostenditur nihilominus, suum esse definitioni a descriptione discrimen: tum censetur fieri *definitio*, cum præcipuæ duntaxat notæ allatæ fuerint, quibus res definienda ab omnibus aliis, in omni eventu, & tempore distinguatur: at vero ubi promiscue attributa enumerantur, atque prærogativæ, nihil peculiare insinuantes, neque perpetuo, & constanter definito competentes, tum dicimus, factam esse *descriptionem*. Sic dico: militem esse hominem armatum, audacem, certare cupidum, mortis contemptorem, arma ferentem, atque suas inter catervas peculiari veste utentem. *Descriptio* hæc erit potius, quam *definitio*, siquidem hæ notæ militibus unice & perpetuo non competunt.

§. 329.

Definitio per genus & differentiam oritur ex deſidia.

§. 329. Illud præterea ſolerter inſinuatum velim, modum per *genus proximum*, & *differentiam ultimam* definiendi, eſſe compendii, & feſtinationis cauſa a Scholaſticis adoptatum, quibus prolixum, & tædio plenum videbatur, ſimplices ideas, quæ in compoſito aliquo continentur, diſpicere, atque enumerare, hacque ratione illud veluti per partes depingere. Jam vero *genericæ*, & *ſpecificæ* naturæ ſunt conceptus mentis, ex pluribus ſimplicibus ideis coagmentati, abſtracti per mentem a particularibus, pluribusque quadam naturæ, & officiorum communione convenientes; Itaque niſi aliunde mihi jam conſtet, generis, aut ſpeciei conceptum involvere peculiares illas ideas, nihil utique proderit pro objectorum explicatione, aut illuſtratione, vicariam aliquam uſurpaſſe vocem illius conceptus; quin imo detrimentum non vulgare Scholaſtici capiunt ex his vagis conceptibus *generum*, & *ſpecierum*; Aſſueſcunt quippe ſuperficiariæ rerum cognitioni, omnia ſe intelligere perſuaſi, dum nihil niſi conceptus ſuos, & hos plerumque erroneos nundinantur.

Leges definitionum.

§. 330. Tres potiſſimum leges conſtitutæ ſunt, ad quarum præſcriptum juſtæ rerum definitiones conficiuntur. *Prima* eſt: ut *clara ſit definitio;* debet enim definiti naturam interpretari. Qua de cauſa voces Synonimæ non conſtituunt definitionem, cum rem magis perſpicuam non reddant. *Secunda*, ut definitio totum objectum complectatur, neve alteri, quam ſoli definito conveniat; ſi enim præcipuas illius partes prætereat, quomodo dicetur objecti naturam perſpicue explanare? ut primum reticetur præcipuum quodpiam attributum in objecti definitione, licebit eandem definitionem alteri cuidam rei diſtinctæ applicare. *Plato* certo, hominem definiens, eſſe *animal implume Bipes* hujus regulæ cancellos infregit, atque in errorem prolapſus eſt: ſugillatus itaque a quopiam ſuorum diſcipulorum, gallum gallinaceum implumem in Lycæum injiciente, & dicente: *ecce! hominem Platonis*, definitionem correcturus, adjecit eidem *latis unguibus;* ſed ne ſic quidem explevit lacunam, ſiquidem ſemper deſideratur præcipua hominis nota, nempe prærogativa *rationis*. *Tertia* regula eſt, ut definitio ſit quam breviſſima, & ſuccincta; verborum namque ſuperflua conſectatio diſtringit auditoris animum, & diſſipat attentionem ob farraginem idearum; neque enim opus eſt enumerare omnes objecti notas characteri-

racteristicas, sed neque etiam licet (§. 21.). Cæterum cum multiplices objecti proprietates deposcunt, licet etiam definienti esse paulo prolixiori, omne quippe institutum definitionis in id collimat, ut clara objecti cognitio excitetur.

Definitio non fiat per meras negationes. §. 331. Cavendum etiam est, utne, rem quampiam definiturus, solas atque perpetuas negationes adferat; magis enim negatio manifestat, quid res non sit, quam quid sit, adeoque non revelat propriam objecti naturam. Juverit nihilominus ob intellectus nostri imbecillitatem quandoque negationem in definitione posuisse, tum præcipue, cum quidem nos latet intima natura objecti, ex sola tamen negatione evincitur, eam alteri opponi, ab eodemque distingui. Sic dum dico: *materiam esse substantiam, quæ cogitare nequit*, apte conjicio, eam esse menti oppositam, ab eaque distinctam.

Definitio supponit cognitionem rei. §. 332. Illud demum præterire nequeo, quin sedulo commoneam singulos, ne animum ad res definiendas adpellant, nisi probe, & undequaque cognoverint objectum definiendum; secus dum aliis rem explicare aggrediuntur, nec sibi ipsis sat intellectam, in ludibrium recident, & erunt magni magistri tenebrarum.

CAPUT VIII.

Quomodo per Divisionem objecti in suas partes mens adjuvetur?

Quid sit divisio? §. 333. Postquam mens definitionis beneficio generali quadam idea naturam objecti, seu quid res sit? cognovit, ut porro plenius undequaque illud intelligatur, solemus objectum illud *in suas partes accurate dispescere;* estque hæc divisio eo magis necessaria, quo plures infuerint objecto partes, quæ quandam menti confusionem pariunt. Sin vero objectum simplex fuerit, nullus patere potest divisioni locus.

§. 334.

§. 334. Tres potissimum regulæ adferuntur, illi tenendæ, qui cupit totum in suas partes recte distribuere. *Prima:* ut objectum apprime perspectum habeatur; quomodo enim partes illius deprehendet, cui objecti ipsius natura, & limites obteguntur. Hæc regula tam perspicua est, ut nec exemplo egeat. *Secunda:* ut divisio omnes objecti partes complectatur; cum enim divisio eum in finem adhibeatur, ut objecti natura, in plures partes digesta, clarius eluceat, aberrabitur utique ab hoc fine, si partes, ad totius naturam pertinentes, prætereantur. Sic generali quadam divisione *animal* bene dispescitur in *hominem*, & *bruta: homo* in *animam* & *corpus:* bruta in *terrestria*, *volatilia*, *aquatilia* & *amphibia.* Male autem divideretur *animal* in *terrestria* & *volatilia;* pars enim non postrema brutorum, nempe *pisces* omitterentur. *Tertia*: ut divisio, quam licet, brevissima sit, neve partes, nisi quodammodo sibi oppositæ, afferantur. Sic in vastissimo plantarum regno cum *Tournefortius* deprehendisset 673 genera, & species 8800, ea rursum, quo minus memoriam oneraret, ad 22 classes revocavit. *Rayus* alter nobilissimus Botanicus, alia methodo usus, in 28 genera, & tandem *Linnæus* in 24 genera divisit (*r*). Sunt qui primi auctoris, sunt qui secundi, & qui tertii divisionem esse cæteris accommodatiorem pertendant. *Non nostrum inter vos tantas componere lites.* Linnæi tamen systema, seu divisio cæteris videtur præstantia anteire, propterea quod quidem imponat plantis alia nomina, quæ tamen ex ipsa plantarum natura, & conformatione fluunt, & per consequens ipso nomine intellectum ad eorum cognitionem conducunt. ***Divisionis regulæ.*** ***Divisio plantarum.***

§. 335. Non levis ex divisione utilitas redundat in humanam mentem, atque in cogitandi rectitudinem; & hæc quidem *primo:* quod intellectus, digesta partium objecti multitudine, majori cum libertate, & lumine in earum quamlibet singillatim feratur, perturbationemque declinet: *tum*: quod inspiciendo totum, illiusque partes ***Divisionis utilitas.***

(*r*) ***Numerosissima Tournefortii Divisio in 673. genera nihil officit huic regulæ; cum immensum plantarum tot genera revera exhibeat. Multitudo partium non arguit vitium divisionis, nisi sit inofficiosa, & inutilis.***

partes advertat, non posse aliquid toti attribui, quod non conveniat omnibus partibus singillatim.

Divisio ædificiorum.

§. 336. Disputatio moveri solet: an ædificia Italorum anteponi mereantur illis, quæ Germanorum more construuntur? quæ disputatio facili potest brachio dissolvi, si distinguantur ædificia, quæ ad Symmetriam, & magnificentiam pertinent, ab iis, quæ ad commoditatem, & ad septentrionales arcendas injurias eriguntur. Italis, climatis benignitate erectis, placet amplitudo camerarum, atque portarum: fenestrarum ad reddendam lucem capacitas, altitudo &c. quibus omnibus Germani præeligunt defensionem a vento, frigoribus, nive &c. Præcipuus ædificiorum finis est commoditas habitantium. Alii ancipites hærent: veteresne, an recentiores artium cultu præcellant? sola artium divisio illis poterit sententiæ securitatem procurare &c.

Divisio lites varias componit.

§. 337. Illud autem plerumque disputationibus ansam suppeditat, atque etiam erroribus, quod generali quadam decidendi audacia propositiones fiant de objectis, partium varietate perturbatis. Nihil vulgo frequentius auditur, quam: *hic homo est capacissimus: hæc civitas jucundissima* &c. quæ tamen omnia in justam cogitandi methodum offendunt; cum enim omnibus indiscriminatim rebus capessendis vix quispiam sit accommodatus, cumque variis hominibus varia sit jucunditatis idea, nunquam opportet generice, & absolute, sed magis contracte, & cum distinctione, hominum capacitatem, & loci jucunditatem proferri; veluti: hic homo est capacissimus vel mathesi, vel historiæ &c. civitas jucundissima flori ætatis, non decrepito Senio &c. Ex quo apparet, quantum subsidium, & claritatem intellectui bonæ rerum divisiones adspirent.

§. 338. Non raro difficilibus, intricatisque quæstionibus, etiam ad Reipublicæ incolumitatem pertinentibus, succurritur per exactam totius in partes divisionem. Princeps numerum definiturus eorum, qui salvis Reipublicæ necessitatibus, possint vitam eremiticam in silvis sequi; primo requirat omnium suorum subditorum numerum,

Exemplum divisionis.

nobilium, ac plebejorum. Ex cognita aulæ suæ, procerumque multitudine decernat necessarium numerum populariuin ad serviendum:

dum: fiat & calculus eorum, qui ad defendendam patriam inter milites nomen ſuum debeant profiteri: quanto item numero opus ſit, ut publicis religionis, & juſtitiæ muneribus fiat ſatis: quot neceſſarii ſint coloni ad præſtandam omni multitudini annonam: quot artifices ad inſtaurandum, evehendumque commercium? quot demum plerumque eſſe ſoleant perſonæ miſerabiles, ceu Reipublicæ onus, aliorum beneficentia nutriendæ? Atque ita ſubducto calculo pateſcet ex reliquis, quot hominibus facultatem concedere liceat, ut ſine Reipublicæ diſpendio privatam in eremis vitam degant.

§. 339. Pervagata eſt inter omnes gentes querela, rem monetariam tanto diſcrimine in diverſis provinciis variare, idque ob id potiſſimum, quod juſta aurum inter, & argentum proportio nondum reperta ſit. Non leve hoc jam multis negocium fuit, & ſummorum ingeniorum occupatio. Procedatur itaque per partes, indagando: qua copia aurum e fodinis proveniat? qua argentum? quosnam opporteat in ſingula ſumptus impendere? an finitimi populi magis aurum, an argentum anhelent? an, & quo pretio compendium aureæ monetæ præferri debeat nummis argenteis? ſitne neceſſum tueri commercium cum exteris majori auri, an argenti vi? quodnam eorum luxui deſtinatum ab artificibus majori copia abſumatur, & diſpereat? &c. His omnibus ſingillatim expenſis, & generali quadam menſura conciliatis, promptius fortaſſe erit monetarias perturbationes ſopire, ad tempus ſaltem, & ad exortum novarum circumſtantiarum.

Alterum exemplum.

Z 2 PARS

PARS III.

De Reflexione composita, seu Ratiocinio, ejusdemque præstantia, & necessitate.

Ratiocinii præstantia.

§. 340. Reflexionis simplicis, seu Judicii pretium superiori parte collegimus ex eo potissimum, quod illius ope in notitiam veri deducamur, seu quid res sit. Nunc sublimior reflexio, & cæterarum præcipua, nempe ratiocinium in disputationem adfertur, quæ mentis facultatem mirifice extendit, & ex uno vero alterum infallibiliter infert. Huic omnes, qua late patent, scientiæ originem ac robur suum debent: hujus ductu intellectus ex paucis cognitis securissime procedit ad vastissimas cognitiones: perspicit, quid ex dato uno principio inferre liceat: quæ rursum sit lubrica, minus cohærens, ac frivola consecutio: quo pacto fallaces discursus convellere liceat, ac evitare. Non mutat autem hæc reflexio composita speciem ab altera simplici reflexione, seu judicio; nam extendit duntaxat officium reflectendi, atque ex uno cognito rerum sequelam manifestat; ideoque nec opus est, eam tertiam & distinctam mentis operationem nominare. De hoc ratiocinio, præcisis cæteris, ea tantummodo quæ digniora & utiliora sunt, in rem nostram hoc loco mutuabimur.

CAPUT I.

De Argumentatione in universum; & quænam sit recta inveniendi ratio?

Argumentatio quid sit?

§. 341. Argumentatio, est *operatio mentis, in qua ad assumptum aliquod argumentum, seu medium conclusio sequitur.* Itaque præcipua argumentationis pars est *argumentum,* seu *medium* probandi, e quo veritas alterius propositionis inferatur. Quod

Quod si medium idoneum fuerit, bona erit argumentatio: si autem illud ad rem non pertineat, in vanum omnis recidet argumentatio. Sic dum præmittitur hoc argumentum: *Plinii non paucis narrationibus deprehensum est subesse falsum*; bene inferetur conclusio: *igitur illis sine prævio examine fides haberi non debet.*

§. 342. Argumentum probandi dicitur *medius terminus*, seu media propositio; hac quippe mediante innotescit altera v. g. *maledicis non est respondendum;* quia nempe *adaugent injurias respondenti.* Ex hoc argumento illud utique bene consequitur: *eis respondendum non esse.* *Medius terminus quid?*

§. 343. Quandoque totum caput, aut tractatus est argumentum capitis subsequentis; multique scriptores debilitatem suæ mentis produnt in eo, quod quibusdam doctrinæ suæ capitibus præmissis, ea subjungant, atque deducant, quæ cum præcedentibus non cohærent; imo quibus prorsus oppositas sententias præmittere debuissent; veluti nuperus quidam scriptor ait: se in *Lockii* Libro *de Intellectu humano* nihil quidquam invenisse, quod aut in suam, aut juventutis eruditionem converteret; cum tamen alio in loco *Lockii* doctrinam extollat, docentis contra Aristotelem, ideas simplices definiri non posse. *Quandoque totus tractatus est argumentum.*

§. 344. Quod si thema probandum uno argumento confici, ac demonstrari non possit, tum duo, vel plura argumenta, sibi commodantia assumere opportebit, veluti hujus propositionis: *duo anguli ad verticem oppositi, sunt æquales.* Primum medium est *quia potest alter alteri substitui*; & iterum medium hujus: *quia quemcunque horum ad verticem oppositorum angulorum, cum altero usurpavero, facient duobus rectis æquales.* *Sæpe plura media assumuntur.*

§. 345. In omni argumentatione cardo rei est *inventio argumentorum;* quidquid præclare, excellenterque ab argumentante conficitur, a mediorum inventorum valore, atque aptitudine dependet (*). *Inventio argumentorum maxime necessaria.*

 Certo

(*) *Præstantia veterum auctorum in eo fundatur, quod maximam semper vim posuerint in* inventione; *cum hodierni plerumque conversis curis, toti fere sint in* elocutione, *& inventionem, rei caput, veluti prætereant.*

Certo ſtomachum, ac bilem movent aliis homines illi inertiſſimi, qui dum ad argumentandum accedunt, nihil minus, quam de firmitate mediorum, quæ rei caput ſunt, ſolliciti, ſatis actum eſſe putant, ſi verba & formulas ſine rei anima proferant. Utut autem inventio præclarorum mediorum a ſola talenti perſpicacia trahat originem, hic tamen quaspiam regulas ſubjungere bene viſum eſt, quæ inquirenti cum fructu poſſint præbere manum.

Prima regula ad inveniendum.

§. 346. *Prima* & præcipua regula ad inveniendum validum argumentum eſt, propoſitionem illam, quam probandam ſuſcepimus, bene, ſecundum omnes partes, & conſequentias diſpexiſſe: revolvere eam iterum & iterum, & inquirere acriter, quid objecto competat, quid repugnet? Qui naturam ſemicirculi probe cognoverit, illico adinveniet argumentum probandi, quod *linea recta, quacunque obliquitate in alteram lineam rectam deſcendat, duos angulos faciat, duobus rectis æquales.* Qui equis inſtituendis, domandisque diutius vacaverit, & eorum naturam, atque agendi modum mature ſcrutatus ſit, facile probabit, nova objecta non eſſe feroci equo repente & cum verberibus obtrudenda; quia nempe ſevera caſtigatio unacum objecti novi terrore equum magis perturbabit, reddetque ferociorem.

Secunda regula.

§. 347. *Secunda* regula eſt, ut argumenta, ſeu medii termini ſint clariores ſimplici illa propoſitione probanda; quia nempe illis utimur tanquam mediis ad oſtendendum, prædicatum propoſitionis bene, vel male de ſubjecto prædicari; Quodſi alioquin perſpicuum ſit, ſubjecto prædicatum convenire, fruſtra ac in vanum novus terminus excogitabitur. Veluti: *omnis homo eſt rationis particeps*: cuivis enim ſine omni examine hujus propoſitionis veritas delucide patet.

Tertia regula.

§. 348. *Tertia* vetat decantata illa decem Ariſtotelis prædicamenta, nempe *ſubſtantiam*, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, *actionem*, *paſſionem*, *ubi*, *tempus*, *ſitum*, *habitum* aſſumi pro fontibus argumentorum; neque etiam illud vulgare: *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*, in quo homines, omni propria fœcunditate deſtituti, tantam ſilvam rerum ac argumentorum

rum reperiunt. In trivio hoc eſt argumenta mendicare, non ex cognita rei cauſa deligere momenta, ad rem facientia; quin imo uſus communium horum locorum fatuam ingenii tarditatem, atque oſcitantiam inducit (*s*); nam dum animus in hos vagos, communes & indigeſtos conceptus intendit, ſibi viribusque ſuis diffiſus, mentem fieri ſterilem patitur, & negligit ea omnia, quæ ingenium proprium excolendo protuliſſet.

Quarta regula.

§. 349. Quarta ſuadet, ut antequam ad propoſitionem confirmandam aggrediamur, excitetur indoles, & veluti novis igniculis acuatur, ſæpius propoſitionem illam repetendo, & veluti ad rerum noſtrarum officium revocando. Juverit etiam comprimis in illos auctores excurrere, qui non vulgaribus e fontibus, neque perfunctorie, ſed acute præ cæteris in ſimili genere argumenta protulerunt, ut ad illorum exemplum animus incitatus ſagacius agat, & fortius id, quod diſpexit, argumentando premat.

Quid concluſio, & illius vis?

§. 350. Altera argumentationis pars eſt conſecutio, ſeu *concluſio*, quæ non modo propoſitionem illam, quam probavimus aperte infert, ſed & nexum oſtendit cum priori medio aſſumpto, atque manifeſtum ex illo deſcenſum. Veluti: *plures voces, quæ in rerum definitionibus adferuntur, neceſſario plures ideas ſignificant; ergo non poſſunt ideam aliquam ſimplicem definire.* Quisquis ſenſum prioris propoſitionis, & conſequentis perſpicit, clare intelligit, tantum eſſe utrius-

(*s*) *Quidam* P. Knittel *ſuppeditat Rhetoribus novum modum, omnis generis argumenta e re omni obvia hauriendi; veluti ſit ſalutandus quispiam rex, aut princeps: deficiant rhetorem argumenta, deligat ſibi, & ponat ob oculos* Pater noſter &c. *examinet ſingula verba hujus precationis:* Pater *in hoc recurrit teneritudo erga filios, & amor, cura, ſollicitudo* &c. noſter *univerſalitas* non in unum. & alterum, ſed omnes &c. qui *relationem notat ad omnes ſuos, & ad exteros principes, genealogiam* &c. es *verbum ſubſtantivum arguit eum præcipue eſſe, & ſuſtentare eſſe aliorum &c. hic poteſt aſſumi* credo. Ave Maria. Quæ maribus ſolum &c. *e quibus omnibus innumera eliciuntur argumenta. Neſcio ſane, an quid lepidius, & nugacius poſſit in re ſeria excogitari; quis enim iſte eſt modus deducendi indolem ad cognitionem rei, argumenta ex cauſæ viſceribus ſubminiſtrantis? dum per alienas ideas vigor propoſiti thematis obtunditur. Profecto qui adeo ſterilis fuerit, ut ex ipſo themate nihil poſſit producere argumenti, illum nec aliena idea ad diverſæ propoſitionis cognitionem illuſtrabit.*

utriusque nexum, & consecutionem, ut altera in priori contineatur, atque ex ea manifesto fluat.

Quotuplex sit consequentia. §. 351. Aliæ sunt consequentiæ *immediatæ*, quæ ex aliqua propositione deducuntur sine novo argumento, seu *medio termino*; tales habentur ex propositionibus universalibus, veluti: *omnis planeta illuminatur a sole; ergo etiam luna illuminatur a sole*; luna quippe in universali conceptu planetæ continetur. Ejusmodi conclusiones præterea fluunt ex *oppositione*, *æquipollentia*, *contradictione*, & *subalternatione* propositionum, ut videbitur (§. 115.) quibus tamen opus non est immorari. Aliæ sunt consequentiæ *mediatæ*, quibus opus est novo medio; v. g. *bene speratur ab amico honestissimo auxilium;* medium: *quia illud promisit.*

Argumentationes vitiosæ. §. 352. Argumentationum aliæ sunt *vitiosæ*, & *inutiles*, quæ id quod inferunt non probant; aut saltem intellectum perspicacem non covincunt. Tales sunt *Ignoratio elenchi*, *petitio principii*, *circulus vitiosus.*

Ignoratio elenchi. §. 353. *Ignoratio elenchi* est, dum quis existimat duas inter propositiones intercedere contradictionem, quæ tamen contradictio non est; seu quando argumentum adfertur ad probandum, quod collimat in longe aliud ab eo, quod quæritur; veluti: negaret quis *lunam esse opacam*, quia a Moyse dicitur *luminare;* quasi vero opacum corpus aliena luce gaudere non possit. Neque enim aliud ex hoc argumento consequitur, quam lunam non lucere lumine proprio, quod est extra quæstionis statum. *Spinozæ mala definitio.* Sic *Spinoza* ex arbitraria, æquivoca & falsa definitione substantiæ, nempe: *quod sit id, quod in se existit absque ullius alterius rei ope tanquam causa*, unam tantum dari substantiam, nempe Deum pertendit; cætera in hoc universo existentia non esse nisi modos illius substantiæ; cum tamen ex hoc argumento *Spinozæ* tantummodo sequatur, dari substantiam increatam, quod nemo negat; non vero sequitur, nullam aliam præterea existere substantiam creatam, existentem sine ullius alterius, tanquam subjecti, ope.

§. 354.

§. 354. *Petitio principii* tum committitur, cum argumentum assumitur ad probandam propositionem, quod ipsum argumentum dubium est, & controversum; sic in *systemate Ptolomaico* rejicitur motus telluris, & solis quies, propterea, quod sensibus experiamur, oriri solem, atque occidere; cum tamen hoc ipsum in controversia sit: an sensus possint judices motus siderum constitui, dum tanta in contrarium suppetunt argumenta? sic *Cartesiani* pertendunt, corpora gravitare versus centrum telluris ob pressionem suæ materiæ subtilis; cum tamen materia subtilis, in eorum sensu explicata, punctum sit controversiæ, & merito a cordatis Philosophis exsuffletur. ***Petitio principii.***

§. 355. *Circulus vitiosus* fit, quando propositio probatur quodam argumento; & hoc idem argumentum probatur priori propositione. Circulus vitiosus maxime affinis est petitioni principii; veluti: *heri homicidium contigit*, quia *homines id passim loquuntur*. Et rursum: *homines passim id loquuntur; ergo homicidium heri contigit.* ***Circulus vitiosus.***

§. 356. Alia est argumentatio *probabilis*, quæ ex *medio*, seu argumento probabili procedit; cui intellectus cognita medii debilitate non plene assentitur, sed hæsitanter, & cum formidine oppositi; veluti: *crastinam diem serenam futuram; quia hodierno vespere cælum rubet.* Non est infallibilis connexio antecedentis cum consequente. ***Argumentatio probabilis.***

§. 357. Et hæc quidem hactenus allata sunt de argumentatione naturali, quam humani animi facultas ex idearum suarum claritate conficit; cujus argumentationis in omni naturalium rerum cognitione summa cura haberi debet; quæcunque enim artificiales formulæ, & exquisitæ regulæ ad disputandum adferantur, nisi mens claris, & distinctis ideis collustrata sit, infelix semper erit & miserabilis argumentandi ratio. Geometria sane præcipua scientiarum, conclusiones suas deducit sine artificii ambagibus ex claris axiomatis, definitionibus &c. & consequentias ex perspecta objectorum natura inferre docet; adeoque ad naturalem ratiocinandi formam proxime accedit. Imposterum agetur de argumentatione, ad artis regulas composita, quæ vires suas, & robur desumit ab ipsa loquendi formula ***Argumentatio naturalis in quo consistat?***

mula Syllogiſtica, ita ut quicunque concluſioni repugnare velit, is ex Geometricis principiis convinci poſſit, atque ad aſſentiendum compelli.

CAPUT II.

De Syllogismo, & quæ illius ſit in argumentando vis.

Quid ſit Syllogismus? §. 358. Syllogismus eſt *argumentatio, tribus conſtans propoſitionibus, duabus nempe præmiſſis, & concluſione, ex illis rećte conſequente* (*t*). Tres illæ propoſitiones tribus terminis conſtant, juxta artis præcepta digeſtis. Propoſitionis probandæ, ſeu concluſionis ſubjećtum vocatur *minus extremum*: prædicatum illius *majus extremum*, & argumentum aſſumptum *medius terminus*.

Exemplum Syllogismi. §. 359. Sit exemplum: *Quod homini in difficultatibus maxime aſſiſtit, eſt eximium hominis bonum; ſed præſtans intellectus homini in difficultatibus maxime aſſiſtit: ergo præſtans intellectus eſt eximium hominis bonum.* Præſtans intellectus eſt *minus extremum:* eximium bonum eſt *majus extremum:* quod homini maxime aſſiſtit eſt argumentum aſſumptum, ſeu *medius terminus.* Jam vero in *majori* copulatur majus extremum cum medio termino; hinc *propoſitio major* vocatur: in *minori* copulatur minus extremum cum medio termino,

(*t*) *Formæ Syllogiſticæ primus auctor extitit* Ariſtoteles, *qui invento hoc ſuo adeo gaviſus eſt, ut illius ergo gratias ſibi haberi ab omni poſteritate petat. Alii, & Scholaſtici præſertim, Syllogismum in proſecutione ſcientiarum individuum ſibi comitem adſciverint: nihil prope ſine Syllogiſtico orbe loquebantur; aliqui eorum etiam eousque proceſſerunt, ut familiarem Sermonem ad invicem per Syllogismos exprimerent; volebant nempe Syllogismorum uſum ſibi facilem reddere, ac familiarem; ſed ineptiſſime; cum Syllogismus duntaxat ſit pro ſtringendo adverſario protervo, quemadmodum compedes ſunt pro protervis maleficis, non pro liberalibus, qui naturali ordine mentem ſuam explicant invicem, & veritatem facilius in claritate idearum excipiunt.*

no, hinc dicitur *propositio minor* (*u*): & tandem in conclusione infertur minus extremum majori copulatum, non tam ex voluntate argumentantis, quam necessitate consequentiæ ex præmissis.

§. 360. Principium generale Geometricum, cui omne Syllogismorum artificium, & robur innititur, est sequens: *quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, quod est geometricum axioma; veluti A est B; sed B est C: ergo etiam A est C. Jam vero, quia præcipua Syllogismi partitio est in *affirmativum*, & *negativum* (*x*), deserviet affirmativis mox allatum principium affirmans; negativis vero contrarium negans: quæcunque non sunt eadem uni tertio, non sunt eadem inter se v. g. A est B; sed B non est C: ergo neque A erit C. *Generale principium Syllogismorum.*

§. 361. Nomine *identificationis* hoc loco intelligitur aptitudo ad prædicandum, non perfecta identitas; attributum quippe, seu prædicatum in affirmativa propositione semper minus patet seipso, neque usurpatur in tota sua latitudine v. g. hæc propositio: *omnis homo est rationalis* idem sonat, ac *omnis homo est quæpiam entitas rationalis*; cum præter hominem aliæ existant creaturæ, rationis compotes. Item *omnis homo est animal* significat *omnem hominem esse quampiam speciem animalis;* alioquin dicere liceret *omnis homo est omne animal*, quod est falsum. In propositione negativa semper prædicatum universale est; v. g. *nullus lapis est animal*, id est, nec rationale, nec irrationale.

§. 362. Utut autem prædicatum extra propositionem latius pateat subjecto, in propositione tamen æqualis est utriusque latitudo, neque significatio prædicati protenditur ultra limites subjecti; cum- *Extremi ejusdem eadem significatio.*

(*u*) *In quacunque propositione majus extremum copulatur argumento, illa dicitur* major propositio, *seu primo seu secundo loco ponatur, & minor erit illa, in qua minus extremum cum argumento conjungitur, etiamsi primo loco poneretur; priorem quippe Syllogismum etiam sic efferre licet:* Præstans intellectus homini in difficultatibus maxime assistit; sed quod homini in difficultatibus maxime assistit est eximium hominis bonum: ergo præstans intellectus est eximium hominis bonum.

(*x*) Negativus *Syllogismus dicitur, cujus conclusio est negans; &* affirmativus, *cujus conclusio est affirmans.*

cum de hoc illud prædicetur; v. g. *aliquis homo est eruditus*, prædicatum *eruditus* non supponit pro omnibus hominibus, sed pro quibusdam duntaxat; falsum quippe est, omnibus in universum hominibus eruditionis prærogativam inesse.

Unde defectus Syllogismorum?

§. 363. Syllogismus triplici ex capite deficere solet: vel *secundum materiam*, ut Scholæ inquiunt; vel *secundum formam*; vel *secundum utrumque simul.* Secundum materiam Syllogismus deficit, seu fallit, quando unam, aut alteram propositionem falsam continet: secundum formam fallit, quando propositionum ac terminorum non ea est coordinatio, ac nexus, ut conclusio suapte natura, ac necessario ex præmissis sequatur: demum secundum utrumque fallit Syllogismus, quando non solum falsam propositionem continet, sed etiam terminos, ac propositiones ea ratione habet digestas, ut conclusio e præmissis necessario non inferatur.

Veritas materiæ innotescit per rationem.

§. 364. Materiæ, seu propositionum veritas in Syllogismis ope naturalis rationis deprehenditur, quæ optima est regula ad dispiciendum, an nullum materiæ Syllogismorum subsit falsum; ut vero Syllogismi forma, seu distributio terminorum, ac propositionum justa sit, juverit sequentes regulas attulisse, in quibus totum artificii Syllogistici arcanum reseratur.

Prima regula Syllogismorum.

§. 365. Prima regula: *argumentum*, *seu medius terminus debet saltem in una præmissarum sumi universaliter.* Nam medius terminus probare debet, attributum subjecto convenire, vel ab eodem excludi; jam si particularem sensum & in minori, & in majori haberet; id est: si secundum quandam sui partem attribueretur subjecto, & rursus secundum alteram sui partem prædicato, non probaret utique, quod attributum illud sit idem cum subjecto, aut non sit idem, hac enim ratione significaret medius terminus duas res diversas, & æquivaleret duobus terminis distinctis; quoniam vero ad justam conclusionem opus est comparare subjectum & attributum cum eodem termino medio, seu argumento; igitur evidens est, medium terminum in una præmissarum universaliter sumi. Sequens Syllogismus vitio, & fallacia laborat, quia in hanc regulam offendit:

Aliqua

Aliqua figura est circulus;
Aliqua figura est quadratum:
Ergo aliquod quadratum est circulus.

Figura, qui est medius terminus, aliud significat in majori, aliud in minori; in majori circulum, in minori quadratum.

§. 366. Ex hac regula illud quoque deducitur, quod ex duabus præmissis particularibus nihil consequatur; cum unam earum saltem universalem esse opporteat. *Ex particularibus nihil sequitur.*

§. 367. Quod si contingat, ut ex præmissis, in quibus medius terminus semper particulari significatione, sui tantum partem indicavit, vera conclusio sequatur, ea nullum dicitur habere robur vi formæ, & constructionis Syllogisticæ; quin imo hanc si spectes, potius falsa esse deberet; sed tota illius veritas in sola materia consistit, ut Scholæ inquiunt; v. g.

Aliqui homines sunt Turcæ;
Aliqui homines sunt divites:
Ergo aliqui Turcæ sunt divites.

§. 368. Ex regula mox allata id etiam bene infertur, *in omni Syllogismo tres tantum debere esse terminos*, nec plures, neque etiam pauciores, & vetatur in eo etiam significationem terminorum immutari; alias enim dum significatio variatur, plures termini fierent. Sæpe accidit, quatuor terminos inesse Syllogismo, qui tribus duntaxat vocibus significantur; nempe vocis cujusdam significatio tum variatur, ut in æquivocis plerumque contingit, itemque in omnibus illis vocibus, textibus, sententiis, quæ alio in sensu usurpantur, quam earum auctores eas esse voluerint intellectas; unde pleraque genera sophismatum, & paralogismorum enascuntur; veluti: *Termini debent esse tres.*

Organum cantat;

Sed Baco Verulamius construxit organum (y)

Ergo Verulamii organum cantat.

Secunda Regula. §. 369. Secunda Regula: *Nunquam liceat sumere universalius in conclusione majus, aut minus extremum, quam in præmissis.* Cum enim conclusio ex præmissis inferatur, nihil ea continere poterit, quod non hauserit e præmissis; contineret autem, si majus, aut minus extremum proferret universalius, quam præmissæ. Exinde elucet discrimen præmissarum, & medii termini a conclusione, & majori, minorique extremo; medius terminus siquidem, cum semel in præmissis universalius usurpetur, ut *Lege prima* conspeximus, semper iis adspirat quandam universalitatem, a qua lege conclusio cum suis duobus terminis omnino exempta est.

Ex negantibus nihil sequitur. §. 370. Tertia Regula: *Ex duabus præmissis negantibus nulla est consecutio.* Nam ex eo, quod utraque præmissa negans significet, nec subjectum, nec prædicatum convenire cum medio termino, seu argumento, nec inferri potest conclusio affirmans, quod nimirum prædicatum conveniat subjecto, non enim convenit uni tertio (§. 360.); neque etiam inferri potest, prædicatum repugnare subjecto; nam negatio postulat, unum extremorum convenire cum medio termino, alterum non item, præsertim cum ea, quæ in uno, alterove differunt ab invicem, non censeantur in omni ratione disconvenire; veluti:

Tartari non sunt Christiani;

Sed Japones non sunt Tartari:

Ergo Japones sunt Christiani.

Item: *Mahumetani non sunt Christiani;*

Sed Germani non sunt Mahumetani;

Ergo Germani non sunt Christiani.

Uter-

(y) *Baco Verulamius Logicam suam appellavit novum organum.*

Uterque Syllogismus malus eſt, & affirmans, & negans, quia ex meris negantibus concluſionem infert.

§. 371. Quarta Regula: *Neque ex duabus præmiſſis affirmantibus deduci poteſt concluſio negans.* Quomodo enim, ſi concluſio nihil continet, niſi quod ex præmiſſis manat, dici poterit negatio ex affirmativis contra naturæ ſuæ ordinem provenire? ***Ex affirmantibus non ſequitur negans.***

§. 372. Quinta Regula: *Concluſio ſequitur partem debiliorem*; ideſt: ſi quæpiam præmiſſarum ſuarum ſit negativa, concluſio itidem erit negativa; ſique præmiſſarum una fuerit particularis, erit particularis & concluſio; nam primum quod ſpectat, præmiſſa una negativa oſtendit medium terminum non convenire uni extremorum; igitur neque extrema inter ſe convenire poſſunt; & ſic neceſſum eſt, concluſionem eſſe negativam: ſecunda pars itidem certa eſt ex *ſecunda regula*; quodlibet quippe extremum in concluſione afferret univerſalitatem, quam in præmiſſis non habuerunt; ac per conſequens, cum tota concluſionis natura e præmiſſis ſcaturiat, non poterit concluſio eſſe univerſalis, ſi præmiſſa quæpiam particularis præceſſerit. ***Concluſio ſequitur partem debiliorem.***

§. 373. Hæ quidem ſunt præcipuæ ad Syllogismorum efformationem leges, non illæ plane inutiles, & aridæ, ſed ratiocinandi officium utcunque illuſtrantes; verumtamen liceat mihi ſuper iisdem paulisper reflectere: ſit Syllogismus quicunque, ad normam harum regularum efformatus, v. g. *qui caret apto medio, ſeu organo percipiendi colores, nullam habere poteſt de coloribus ideam; ſed cæcus a nativitate caret apto organo percipiendi colores: ergo cæcus a nativitate nullam habere poteſt de coloribus ideam.* Proponatur cuidam hic Syllogismus, quæro: an eundem percepturus ſit clarius & evidentius, quam propoſitionem eandem, nudo ſuo cum argumento prolatam? v. g. *cæcus a nativitate nullam habere poteſt de coloribus ideam; quia caret apto organo percipiendi colores.* Mihi revera non videtur; multo enim limpidius propoſitionis colligatio cum argumento in animum influet, quam artificioſa ambages Syllogismi, cujus ipſa terminorum partitio, repetitio, ac diſtributio mæandros oſtentat, obſcuritatis ſedem. Quidquid igitur commodi, & utilitatis ***Regularum harum vis.***

tatis haberi poteſt a Syllogismo, id eo ſpectabit, ut adverſarium ſtringat, atque oſtendat juxta certas reductionis leges, eundem temere negantem contradicere ſibimetipſi, & veluti in amentia verſari. Pulchra ſane & ingenioſa coarctatio! ſed amabo, ſi adverſarius adeo obtuſus eſt, aut adeo frontem depoſuit, ut veritatem, in propoſitione cum adjuncto argumento clarius lucentem, aut non poſſit agnoſcere, aut etiam nolit; nunquid multo protervius artificioſas illas cogendi formulas inficiabitur, & rejiciet? Totum robur perſuadendi fundari debet in objecti claritate, non in acumine adverſarii urgentis; atque hoc eſt humanæ ſocietati, & omnium cultarum gentium uſui magis accommodatum (z).

Figuræ & modi Syllogismorum.

§. 374. Sed & præter datas mox regulas permulta ſunt, quæ a Scholaſticis, ipſoque Ariſtotele adſeruntur de *figuris* Syllogismorum, & *modis*, exotica nomina referentibus; item de acutiſſimis regulis Syllogismos *convertendi*, *reducendique*; non abnego his omnibus ingenii & acuminis inſoliti gloriam, occupentur pace mea, & delectentur illis, quicunque voluerint, mihi nec animus, nec otium eſt iis occupationibus immorandi, quas cati, & perpetuis ratiociniis ſubacti viri ceu inanitatem, & vani acuminis oſtentationem derident, labemque juventutis reputant, in eas olim incubuiſſe.

Syllogismus malus cuſtos fidei.

§. 375. Id unum porro commonitos cupio Tyrones, utne ſe ad illorum ſententiam adjungant, qui Syllogiſticam artem religionis cuſtodem eſſe clamitant, qui dicunt omnes doctrinas nefarias illius ope convinci; illius vim unice formidare hæreticos, & certis vulneribus jugulari: omnem religionis Zelum, & conatum ſine hac incaſſum recidere, & alia ejuſcemodi. Papæ! mihi vero ludicra videtur,

Verulamii Judicium de Syllogismo.

(z) Baconus de Verulamio in novo organo ſcient: *nos demonſtrationem per Syllogismum rejicimus, eo quod confuſius agat, & naturam emittat e manibus; tametſi enim nemini dubium eſſe poſſit, quin, quæ in medio termino conveniunt, ea & inter ſe conveniunt, quod eſt mathematicæ cujusdam certitudinis: nihilominus hoc ſubeſt fraudis, quod Syllogismus ex propoſitionibus conſtet, propoſitiones ex verbis, verba autem notionum teſſeræ, & ſigna ſint. Itaque ſi notiones ipſæ mentis, quæ verborum quaſi anima ſunt, & totius hujusmodi ſtructuræ, ac fabricæ baſis, male ac temere a rebus abſtractæ & vagæ, nec ſatis definitæ, ac circumſcriptæ, denique multis modis vitioſæ fuerint, omnia ruunt.* Sic ille.

detur, & imbecillissima isthæc æstimatio; si enim tanta efficacia Syllogismus valet, eccur Christus & Apostoli, qui mundi impietatem profligaverunt, cur Patres Sanctissimi primorum temporum, Evangelium docentes, ac propagantes illius usu caruerunt? si quidam forte respondent: egisse quidem Apostolos, ac Ecclesiæ doctores fidei negocium, sed remissius, quod ex indole nostrorum temporum multo sagacius exequi licuisset; illi profecto ostendunt, se non modo impudenter omnem abjecisse reverentiam erga Ecclesiæ Majores, sed etiam nescire, quibus mediis divina fides humanis mentibus accedat; peculiari nempe divina gratia, cui ratio tanquam ministra deservit ad argumenta seu motiva, quæ fidem nostram reddunt evidenter credibilem, serio intelligenda in claritate idearum.

§. 376. Certo hæretici non tam formidant Syllogisticas coacervationes, quam contemptui eos habent, qui his intempeste insudant, & divinum eloquium eristicis argutiis, atque distinctiunculis implectunt, quod satius fuisset reverenter, candide, & sine ambagibus invicem contulisse. Si quis revelatæ, agnitæque veritati insultat, cur non magis insultabit artificio Syllogistico? quin imo cur non & ipse novas argutias, & Sophismata obtrudat? quod hæreticis etiam antiquis semper in more positum fuisse legimus. Fuerunt & ipsis hæreticis acutissima ingenia, quæ omnem Syllogismi naturam, ac vim perspectam exploratamque tenuerunt, quin tamen exinde vel scintillam veræ religionis perceperint. Apage igitur vanum Zelum pro artificio Syllogistico in re tanti momenti, cui Deus sublimiora subsidia, nempe divinam suam gratiam, & rationis lumen, ceu ministram præparavit.

§. 377. Non tamen id a me eo dictum existimet, perinde atque dum cum perversis agendum est, eorumque errores perstringendi, nullum esse velim ratiocinio locum; nulla enim seria tractatio, nulla disputatio, nulla falsi confutatio fieri sine ratiocinio potest; sed lumen rationis exercitatum cum claritate idearum illud in nobis ratiocinium perficit, evidenterque ex cognitis consequentias inferre docet sine formula artificiali. Quod si tamen quis claris suis cognitionibus Syllogismi modulos inferre voluerit, non ei repugnabo, modo di- *Syllogismus suo loco adhiberi potest.*

cacitate ne excedat, neve negocium per ſolas formulas coficiendum putet.

Syllogismus hypotheticus. §. 378. Duæ adhucdum Syllogismi ſpecies peculiarem expoſitionem depoſcunt; Syllogismus nimirum *hypotheticus*, ſeu conditionalis; & *disjunctivus*; horum quippe uterque regulis quibusdam propriis nititur, a generali Syllogismorum conſtructione diverſis, & frequentiſsmus eſt illorum uſus in erudito conſortio. Eſt autem *Syllogismus conditionalis*, cujus major propoſitio eſt conditionalis (§. 131.), quæ concluſionem in ſe complectitur v. g.

Si luna propriam lucem haberet, non exhiberet nobis varias phaſes;

Sed exhibet nobis varias phaſes:

Ergo luna propriam lucem non habet:

§. 379. Quandoque ambæ præmiſſarum conditionales ſunt; quandoque & concluſio v. g.

Si multitudo legum eſt confuſio Reipublicæ, felix gubernium non ſtringit nimium cives;

Sed ſi verum eſt, quod eruditi teſtantur, multitudo legum eſt confuſio Reipublicæ:

Ergo ſi verum eſt, quod eruditi teſtantur, felix gubernium non ſtringit nimium cives.

Regula pro Syllogismo hypothetico. §. 380. Regula pro Syllogismis conditionalibus hæc eſt, ut ex antecedenti, tanquam conditione neceſſum ſit conſequens, ſeu rem conditionatam totam fluere; ſic hic Syllogismus malus eſt:

Si inſidiarer vitæ proximi, mererer mortem;

Sed non inſidior vitæ proximi:

Ergo non mereor mortem.

Sunt enim præter vitæ inſidias alia crimina, quæ mortem mereantur.

§. 381.

§. 381. Syllogismus *disjunctivus* est, cujus major propositio est disjunctiva (§. 130.) seu cujus major propositio particulam disjunctivam *vel, aut* &c. continet; in minori autem una disjunctivarum assumitur, ut altera conclusioni deserviat; v. g. *Syllogismus disjunctivus.*

Aut Terra movetur circa Solem, aut Sol circa Terram;
Sed non movetur Sol circa Terram;
Ergo Terra movetur circa Solem.

Dum major propositio tribus, vel pluribus propositionibus disjunctivis constat, tum in minori duæ, vel plures tolluntur, ut una duntaxat pro conclusione remaneat; v. g.: *Aut Germanice, aut Latine, aut Italice, aut Gallice, aut Sclavonice miles locutus est imperatori;* tot enim linguas & militem, & imperatorem callere ponimus; *sed nec locutus est Latine, nec Gallice, nec Italice, nec Sclavonice: igitur miles locutus est imperatori Germanice.*

§. 382. Ut Syllogismus *disjunctivus* sit bonus, & conclusionem inferat certam, requiritur, ut disjunctionum officio omnes partes, invicem oppositæ, recenseantur, neque aliquod medium, inter eas partes intercedens, prætereatur; alioquin omnibus illis disjunctivis propositionibus, in minori examinatis, propter unam omissam, subnecteretur falsa conclusio; si non ratione materiæ, saltem ratione formæ; v. g. *Conditio pro hoc Syllogismo.*

Mauri aut sunt in Europa, aut in Africa, aut in America;
Sed non sunt in Europa, nec in America:
Ergo sunt in Africa.

Quamvis enim verum sit, Mauros in Africa existere, id tamen ratione formæ Syllogisticæ non sequitur, cum in quarta parte mundi, nempe Asia adhucdum possent reperiri.

§. 383. Senserunt quidam cum Cl. *Cochet*, Syllogismos disjunctivos laborare nonnunquam vitio sophismatis, quin facile patescat, *Vitium disjunctionum patet.*

patefcat, quonam loco, aut propofitione peccent, afferuntque hoc exemplum:

Totum aut eſt majus ſua parte, aut non eſt majus ſua parte;

Sed eſt majus ſua parte:

Ergo non eſt majus ſua parte.

Quis labem hujus Syllogismi non illico percipiat; cum enim eſſe majus, aut minus actus judicii ſit, deberet ille Syllogismus ſic proponi:

Aut verum eſt, totum eſſe majus ſua parte; aut falſum eſt, non eſſe majus ſua parte;

Sed verum eſt, eſſe majus ſua parte:

Ergo falſum eſt, non eſſe majus ſua parte.

Quamvis etiam facile reſolvi queat Syllogismus in hanc conditionalem, ut illius vitium ſubito appareat, v. g. *Si verum eſt, totum eſſe majus ſua parte, falſum erit, non eſſe majus ſua parte* &c. adeoque non video, eccur dicendum foret, vitium ſophismatis in eo non facile reperiri.

Syllogismus ſubſumptus. §. 384 Hoc commemorare loco opportet Syllogismum duplicem, ſeu *ſubſumptum*, dum nempe concluſio unius Syllogismi rurſum aſſumitur pro majori ſubſequentis; v. g.

Qui contra principium omnium gentium delinguit, eſt e numero omnium gentium exterminandus;

Sed qui hoſti patriæ favet, delinguit contra principium omnium gentium:

Ergo qui hoſti patriæ favet, eſt e numero omnium gentium exterminandus;

Sed qui arma, & annonam hoſti ſubmittit, favet hoſti patriæ:

Ergo qui arma, & annonam hoſti ſubmittit, eſt e numero omnium gentium exterminandus.

Nihil

Nihil ſubſumptus Syllogismus peculiare habet a legibus ante inſinuatis (§. 365.) ac proinde nihil opus plura de eodem commemorare.

§. 385. Sed nec illa Syllogismi forma penitus prætereunda ſilentio eſt, quæ *Epicherema* dicitur, quæque nullo alio diſcerniculo a communi Syllogismo ſeparatur, quam quod uni, aut utrique præmiſſarum rationes ſuas adjungat, nempe ut totum diſcurſum intellectui magis accommodet; v. g. ***Epicherema.***

Quod obeſt literis, obeſt bono publico; quia literæ ſunt potior boni publici pars;

Sed bellum obeſt literis; quia armis, & terrore tranquillitatem animorum tollit:

Ergo bellum obeſt bono publico.

CAPUT III.

De Enthymemate, cæterisque argumentationum ſpeciebus.

§. 386. Sunt præterea aliæ argumentandi formæ, quarum quædam Syllogismum non aſſequuntur propoſitionum multitudine, & apparatu: quædam autem ſunt illo multo diffuſiores: omnes tamen plerumque recte inferentes. Ad priorem claſſem pertinet *enthymema*: ad alteram *dilemma*, *ſorites*, *inductio*. ***Argumentationum alia partitio.***

§. 387. *Enthymema* eſt mutilus Syllogismus, cui nempe deeſt una præmiſſarum. Tribus nihilominus terminis conſtat, & hac de cauſa in Syllogismi formam facillime reducitur; v. g. ***Enthymema.***

Ars cogitandi perficit intellectum;

Ergo maximi intereſt eidem vacaſſe.

Prior propoſitio dicitur *antecedens*: altera *conſequens*: nexus vero ille, copulans cum antecedente conſequens, dicitur *conſequentia*; hæc ***Quid ſit conſequentia?***

hæc conſequentia nunquam vera eſt, vel falſa; ſed bona, vel mala; quia antecedens cum conſequente vel bene, vel male devincit. Quandoque verum eſt antecedens, verum & conſequens, & tamen conſequentia nulla, veluti:

Luna eſt minima planetarum:
Ergo curſum ſuum abſolvit intra 27. dies.

Verum eſt antecedens, & conſequens; male tamen ex minimo corpore recurſus intra 27 dies infertur, & viciſſim. Quandoque falſum eſt antecedens, falſum & conſequens, bona tamen conſequentia; veluti:

Vitrum eſt aqua:
Ergo vitrum componitur ad æquilibrium horizontale.

Et antecedens falſum eſt, & conſequens; bene tamen inferretur: ſi vitrum aqua foret, illud debere ad æquilibrium horizontale componi.

Enthymematis reductio.

§. 388. Enthymema facile ad Syllogiſticam formam reducitur, adjungendo nimirum tertiam propoſitionem, & medium cum extremis inter ſe coordinando; v. g.

Quod perficit intellectum, illi maximi intereſt vacaſſe;
Sed ars cogitandi perficit intellectum:
Ergo maximi intereſt arti cogitandi vacaſſe.

Quoniam autem ambages Syllogiſticæ plerumque prolixitate ſua & ſervilibus modulis diſplicent, præſertim dum perpetuo ingeminantur; hinc liberalius in longiori ratiocinio enthymema ſubſtituitur; eſt quippe multo accommodatius naturali ordini proponendi, & citra formulæ tædium omnem argumenti vim familiariter enunciat.

Enthymema unius propoſitionis.

§. 389. Nonnunquam in unam propoſitionem utraque enthymematis propoſitio coit; ideoque etiam ab *Ariſtotele* nominari conſuevit

suevit sententia enthymematica; v. g. *Philosophus in veritatem intentus præjudicia, & passiones discavere debet*; est enim idem hæc propositio, quod hoc enthymema:

Philosophus in veritatem intendit:

Ergo præjudicia & passiones discavere debet.

In hujus exemplum Aristoteles ibidem profert versum Euripidis: *mortalis cum sis, odium immortale ne fove.*

§. 390. Ex quo elucet, in omni vitæ societate perpetuas recurrere argumentationes, plerumque artis formam celantes; quæ tamen idem, quod Philosophorum argumentationes, robur involvunt, atque etiam facile in Syllogismorum cancellos distenduntur; ut proinde opus non sit, in omni vitæ commercio odiosas dialecticorum ambages frequentasse. *Argumentationes populares.*

§. 391. Quin imo quandoque reductio sententiæ in formam enthymematis totam ei gratiam ac dignitatem adimit; exemplum sit ille versus: *Servare potui, perdere an possim rogas?* quæ locutio multo festior est, quam quævis argumentatio, & intellectui humano non sine illecebris blanditur, ostenditque, quantas argumentationes paucæ voces valeant complecti. *Argumentatio elegans sine dialectica.*

§. 392. *Dilemma* est argumentatio, qua totum in suas partes primo dividitur, tum de toto concluditur affirmando, vel negando id ipsum, quod in qualibet parte ob suam rationem conclusum est; v. g. probare opporteat hanc propositionem: *nemini offendaris.* Reducatur in Dilemma sequenti modo: *Dilemma quid?*

Vel offenderis homini, qui te cupit offensum: vel alteri, qui te non vult offensum. Si offenderis homini, qui te vult offensum, male agis; voluntati quippe tui inimici obsequeris, eique exultationem paras dolore tuo: si vero offenderis homini, qui te offensum non vult, rursum male agis; nam injustitiam ei infers:

Itaque

Itaque nemini offendaris. Dicitur autem *Dilemma*, quasi duplicata, & e contrariis consurgens in adversarium argumentatio, quæ eum valide impetit, & prosternit, ad quamcunque se sententiam adjunxerit. Notat hoc argumentandi genus ingenium perspicax, & acutum, quod omnes adversario vias ita novit præcludere, nullus ut eidem pateat elabendi meatus.

Dilemmatis conditiones. §. 393. Ad bene inferendum in Dilemmate requiritur *primo* ut partes totius quæstionis omnes, & oppositæ afferantur. *Secundo* ut singulæ partium sua per argumenta probentur, vi quarum probationum tandem conclusio de toto rite inferri queat. *Tertio* ut conclusio de toto in singulis præmissis contineatur. Ecce! Dilemma vitiosum, quod in tertiam harum regularum offendit:

Aut justitiam sequeris, & sic offendes homines, quod est malum: aut justitiam non sequeris, & sic offendes Deum, quod iterum malum est:

Ergo quidquid horum feceris, malum incurres. Offensa quippe hominum, in comparatione ad offensam divinam, non est malum.

Sorites quid? §. 394. *Sorites* est argumentatio, pluribus constans propositionibus, gradatim sic consequentibus, ut prædicatum præcedentis propositionis semper subjectum fiat subsequentis; donec tandem illatio fiat, cujus subjectum sit subjectum primæ propositionis, & prædicatum sit prædicatum postremæ. Veluti:

Vani homines sunt pleni desideriorum;

Qui sunt pleni desideriorum, torquentur suis animi stimulis;

Qui torquentur suis animi stimulis, nunquam sunt sorte sua contenti;

Qui sorte sua non sunt contenti, sunt infelices:

Igitur vani homines sunt infelices.

Hæc argumentatio, constans quinque propositionibus, quinque terminos complectitur; nempe tria argumenta præter subjectum, & prædi-

prædicatum conclusionis, adeoque æquivalet tribus Syllogismis, quos, qui voluerit, facili poterit negocio digerere.

§. 395. Ut *Sorites* bona sit argumentatio, necessum est, omnes propositiones particulares illius esse per se veras, atque omnem abesse ambiguitatem terminorum; una duntaxat falsa, aut dubia intercedens propositio, omnem tollit sequentibus inferendi potestatem; adeoque quamvis hujus argumentationis ope compendium plurium Syllogismorum facere liceat, attamen multo majorem requirit in singulis gradationibus animi attentionem, & omnino difficile est hac argumentatione uti in thematibus abstrusis & implicatis. *Soritis regulæ.*

§. 396. *Inductio* est argumentatio, in qua e particularibus omnibus, vel saltem sufficienter enumeratis conclusio fit universalis. veluti: *Inductio.*

Caput hominis, pedes, manus, venter, pectus morbis obnoxium est: ergo totus homo morbis obnoxius est.

§. 397. Plurimi errores irrepunt in hominum sententias hac de causa, quod præcipites in universalem conclusionem ferantur, omisso uno, vel pluribus particularibus, necessario ad rem facientibus; quin imo sæpius audimus voces *omnis*, *nullus*, *ubique*, *semper*, *nunquam* &c. dum vix unius alteriusve hominis, aut temporis mentio præcessit. Hac de causa dictum est, ad bonitatem hujus argumentationis requiri, ut particularia sufficienter enumerentur, antequam universaliter concludatur. *Inductionis fallacia..*

§. 398. *Exemplum* est argumentatio, qua e singulari aliud singulare inferimus. Sublestum, maximeque fallibile est hoc argumentandi genus, nunquam demonstrativum, neque evidentiam parit; hæc quippe ex universalibus, atque certissimis principiis eruitur, sed ut summum generat probabilitatem. Ad exemplum revocatur *apologus*, & *parabola*, soletque in iis tantum casibus adhiberi, ubi argumenta evidentia desunt, aut ubi obtusa est, & imbecillis auditorum indoles veluti: *Exemplum quid?*

Epicurus extra hominum consortia in silvis meditando profecit:

Ergo hic vel ille Philosophus extra hominum consortia meditando proficit.

CAPUT IV.

De Demonstratione & Scientia.

Demonstratio quid sit?

§. 399. Demonstratio est *argumentatio*, *quæ e principiis certis, & infallibilibus propositionem infert, & intellectui, de ea evidenter collustrato, scientiam parit.* Basis itaque & fundamentum demonstrationum sunt principia illa, & motiva, conclusionis veritatem inducentia.

Varia principia Demonstrationis.

§. 400. Varia autem & multiplicia sunt demonstrationis principia, pro eo, ac ipsum thema, seu materia demonstrationis diversum est. Omnis quippe certitudo, & evidentia e fundamentis, sibi propriis, non aliunde oblatis, repetitur; hinc alia sunt *principia physica*, *alia ethica*, *alia logica*, *alia medica*, *alia mechanica* &c. Quædam sunt *generalia*, quædam *particularia*. Ad generalia referuntur *definitiones*, *axiomata* &c. quæ sunt rationis opus: ad particularia vero pertinent *experientiæ sensuum*; quarum utramque & *rationem* & *experientiam* esse veritatis & certitudinis promptuarium (§. 172.) dictum est (*a*).

Definitiones brevius demonstrant, quam experimenta.

§. 401. Attamen ex *definitionibus*, *axiomatibus*, *postulatis* &c. multo brevius, multoque securius demonstrationes fluunt, quam e principiis a *sensuum experientia* depromptis; Experientia quippe sæpe suspecta est, dubia, particularis, e qua nihil sequitur (§. 366.), estque frequenti repetitione opus, ad intelligendum, an generali quadam facul-

(*a*) *Demonstratio semper sequitur vim principiorum. Ex certo & evidente axiomate certa & evidens infertur conclusio: e probabili, probabilis duntaxat; necessaria tamen & scientifica; necessum quippe est, ut e principio probabili illatio probabilis consequatur.*

facultate, & proprie alias res ex ea liceat definire. Quamvis forte æque difficile sit, justas, suisque numeris absolutas *definitiones*, *axiomata* &c. ad demonstrandum reperire (§. 319.). Qua re demonstraturus, ne fallatur suis in principiis, peculiari industria & cautela muniatur.

§. 402. Ex uno *principio* luculento, stabili & vero deducuntur plures aliæ veritates, seu *corollaria*, quæ invicem connexæ sunt, atque in illo principio fundatæ: quoque principium plenius perspectum fuerit, eo plures in eo aliæ veritates; & corollaria patescent. Hæc causa est, quod disputationes Scholasticæ in longiores moras per maximas Syllogismorum ambages eodem filo protrahantur, quæ, scopum si spectes, una sola argumentatione, seu illatione possent confici. Unum illud expediret, quærere ex prolixis ejuscemodi disputatoribus: an claram & distinctam ideam principii sui habeant? an illud evidens sit? an propositio sua, & cætera corollaria necessario ex illo evolvantur? forsitan thema suum severius inspicientes, principiorum loco vagas voces, & conceptus obscuros atque distinctiunculas deprehenderent. *Ex principio uno plura fluunt corollaria.*

§. 403. Porro id unum sedulo impenseque commonendum est, ne facile cuivis obtrusæ demonstrationi assensus fidesque præbeatur, nisi bene examinatis discussisque argumentis. Sæpius demonstrationes obtruduntur, tanquam simiæ, leonis pelle vestitæ, quæ tamen demonstrationes non sunt, & quæ contrariis demonstrationibus absorbentur (*b*). Multi auctores hodie, dum methodus mathematica *Demonstrationes examinandæ sunt.*

Cc 2 tanto-

(*b*) Tartarotti *in libro* de nocturnis sagarum conventionibus *magiæ existentiam demonstrare sibi visus est ex naturali ratione, ex constanti omnium gentium traditione, ex historiis, testibus omni exceptione majoribus, Theologis, Philosophis, Jureconsultis &c. Verum* scipio Maffei *in epistola* de Magia *hodiernam magiam prorsus explodit tum ratione, tum testimoniis allegans præcipuos sapientes* Plinium Lib. 30. hist. nat. *Item* Lib. 26. Cap. 4. Senecam Nat. quæst. Lib. 4. Cap. 7. Suetonium &c. *qui justis de causis magorum, sagarumque artificia pro imposturis habuerunt.* Nero *imperator multis impendiis magos inducere conatus est, ut facto sacrificio manes evocarent; sed incassum, ut* Suetonius *testatur.* S. Cyprianus *de idololatria.* Tertullianus *Apolog. cap.* 23. Arnobius *Lib.* 1. *contra gentes.* Minutius felix *magiam dicunt esse jocos, & ludibria.* Ignatius *in epistola ad Ephes.* Origenes *Lib.* 1. *contra* *Demonstratio magiæ confutata.*

tantopere in usu est, & in deliciis, non tam libros, quam integras Bibliothecas conscribunt, *Logicam*, *Physicam*, *Metaphysicam*, *Mathematicam*, *Jus naturæ* &c. omnia sic connexa perpetua scientifica methodo, ut propter allatas *definitiones*, *axiomata*, & exinde legitima consequentia corollaria, tot, quotquot sunt sententiæ, necessario veræ esse debeant ac demonstratæ; Quis autem hoc credat, in tanta intellectus humani imbecillitate, & in tanta adhucdum plurimarum rerum ignoratione atque caligine (§. 46.)? præsertim dum alios præclaros auctores in manibus habemus, qui plures, illis contrarias, sententias multo solidius, multoque verius sunt amplexati; ut proinde non tam veritates ex illis auctoribus discere oporteat, quam cautelas contra demonstrationes eorum, qui principia justo liberalius suo e cerebro confingentes, scientifica methodo abusi sunt ad fallendum.

§. 404.

contra Celsum. Athanasius *de incarnat.* Hieronymus *in Isaiam* Cap. 9. &c. *unanimiter fatentur, dæmonum, magorumque potestatem, olim percelebrem in adventu ac morte Christi totam intercidisse*; *hinc* Benedictus XIV. *in opere de Beatif. Sanct. Lib.* 4. *Part.* 1. *Cap.* 3. *postquam late Diabolicas artes e veteri testamento attulit, nullam earum mentionem facit post Christi adventum.* Hippocrates *magos vocat agyrtas, & ludificatores:* Horatius *somnia, terrores magicos, miracula, sagas, nocturnos lemures, portentaque Thessala ridet. Lib.* 2. *Epod.* 2. *Plurimi Philosophi magos, sagasque, ut enthusiastas, & affecti cerebri homines aspernantur; quod quidam eos commemorent, id factum est, ob aliam magiæ significationem.* Plato *in Alcib. magiam dicit* Θεῶν θεραπείαν Deorum cultum. Apulejus *Apol.* 1. *ait: Persarum lingua magus est, qui nostra sacerdos. Alias etiam magus hominem, divina humanaque doctum significat.* Constans *imperator Cod. Theod. Lib.* 9. *tit.* 16. *leg.* 6. Justinianus *imp. &* leges XII. Tabularum *magos & incantatores morte puniri decernunt, non quod revera talia, quæ jactant, operentur, sed quod se talium capaces jactent, Rempublicam turbent, Christo, & religioni nuncium mittant; In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.* Dig. Lib. 48. tit. 8. leg. 14. *Fatentur apud eundum* Massejum *theologi, & inquisitores, se in accusatis de magia per plures annos nil nisi ludibria reperisse, vel ex occultis artibus, vel ab imaginationis vi profecta. Feruntur Angli, numero & occisione sagarum fatigati tandem leges sanxisse, ut si quis imposterum quempiam magiæ accusaret, ille pœnam talionis lueret; atque ab illo tempore nusquam in regno sagæ comparent; quin imo indemnitatem, & præmia spoponderunt regia auctoritate cuivis, qui intellectum eorum convinceret de existentia magicarum artium; nemo tamen in hodiernum diem periculum facturus, aut præmium reportaturus comparuit.*

§. 404. Præterea demonstratio duplex est: altera dicta a *priori:* altera a *posteriori*. Demonstratio a *priori* illa est, quæ ex causa certa, & evidente effectum infert; Demonstratio vero a *posteriori* illa dicitur, quæ ex effectu certo & evidente causam indicat; sic ex creaturis Dei existentia demonstratur, quæ a priori, nempe per sui causam demonstrari nequit, cum ille sit omnium causa. Alia est *demonstratio analytica*, alia *synthetica*, de quibus infra (§. 510.). *Demonstratio a priori, & posteriori.*

§. 405. Ad demonstrationum classem refertur etiam *argumentatio ad hominem*, cujus quidem principia quamvis in semetipsis certa & evidentia semper non sint; quia tamen talia ab eo, quocum nobis negocium incumbit, esse existimantur, interim pro demonstratione haberi, usurparique possunt. Certo Apostolus *Paulus* (*c*) ex ara, ignoto Deo apud Areopagitas extructo, argumentum deprompsit Christum annunciandi. *Argumentatio ad hominem.*

§. 406. *Scientia* est securrissimus mentis assensus, demonstrationis beneficio paratus, qui in veritatis cujusdam assecutione citra ullam falsi formidinem quiescit. Intelligitur itaque hoc loco nomine *scientiæ*, non facultas aliqua, ars aut disciplina; sed cognitio certa, & evidens, e principiis hausta. Cæteris disciplinis, & facultatibus communi quodam usu nomen scientiarum tribui cæpit, propterea, quod plerumque doctrinas, & sententias contineant, quæ intellectui adferunt certitudinem & evidentiam, atque ex inconcussis, intemeratisque principiis possint demonstrari (*d*). *Scientia quid?*

§. 407. Scientiarum aliæ sunt *speculatrices*, aliæ *practicæ*. *Practicæ* dicuntur illæ, quæ demonstrationum ope regulas inveniunt, & docent, qua ratione regulas illas ad bene operandum opporteat adhibere. *Speculatrices* autem eæ sunt, quæ docent, contemplanturve veritates, citra omnem scopum, eas ad operationem adhibendi. Aliæ sunt scientiæ *capitales:* aliæ eisdem subjacentes, & *subalternæ*. Sed de earum ordine, ac serie infra agetur (§. 576.). *Scientiæ speculatrices & practicæ.*

(*c*) *Actor.* 17. *v.* 23.

(*d*) *Scientiam a certitudine distinguere opportet, scientia semper evidens est cognitio ex principiis, certitudo non item, sed plerumque securitas sine evidentia; omnis quippe scientia certitudinem complectitur, non vicissim.*

Cognitiones inveniuntur & perduntur.

§. 408. Plures cognitiones & ſcientiæ recentiſſimorum temporum ſolertia, & experimentis aut prorſus de novo inventæ fuerunt, aut ſaltem magnam partem adauctæ, atque ad perfectionem evectæ, veluti: *Dioptrica*, *Pyrotechnica* &c. aliæ rurſum injuria temporum intercidiſſe feruntur, veluti ea, quam Plinius commemorat: reddendi vitrum pliabile & tractabile &c. Nata igitur nuper eſt vehemens controverſia: an veteres plura & præſtantiora cognoverint, quam recentiores? an vero horum eruditio anteferri illorum ſcientiis jure mereatur? utraque horum pars ſuos nacta eſt vindices, ac propugnatores.

Controverſia de præcellentia veterum, aut recentiorum.

§. 409. Et primo quidem *Thomas Burnetus* in fine ſuæ *Theoriæ telluris* totus effunditur in laudes eruditionis recentis, eamque longe anteponit vetuſtati: *Fontenellius* autem in fine Poëſis ſuæ paſtoralis Academiam gallicam plurimum dicit antiſtare oratoria & poetica facultate veterum hujus generis monumentis. His *Fontenellii* vindiciis, invidiæ & livoris incuſatis Cl. *Temple* Anglus novas alias oppoſuit vindicias pro veterum eruditorum præcellentia; ſed neque huic ſuus defuit adverſarius; *Peraultius* namque validiore animo recentiorum aſſumpſit cauſam, eoſque non modo Eloquentiæ & Poëſeos, ſed & Pictoriæ & Architectonicæ dignitate primas mereri pertendit. *Boſſuetum* præſtare Pericli, & Thucydidi: *Flechierum* Iſocrati: *Balſacum* Ciceroni &c. *La Mothe* veteres tuetur: Abbas *Terraſon* recentiores &c. *Wotton* Anglus litem ardenter agitatam, hærentemque in ancipiti, quodammodo conciliare, & delinire ſtudia partium adlaboravit, edito opere Londini anno 1694. ſed ne hic quidem poſuit controverſiæ modum.

Argumenta pro præſtantia veterum.

§. 410. Pro veterum præſtantia pugnant ſequentia argumenta; *primo:* reſeraſſe eos poſteritati aditum ſcientiarum, atque ideo jure in eos titulum conferri ducum atque magiſtrorum poſteritatis: nec habuerunt illi, quorum ductum ſequerentur, Marte proprio indolem tam feliciter exercuerunt, ut hodiedum pro claſſicis auctoribus habeantur, & cunctis retro temporibus exemplo futuri ſint, atque imitationi (*e*).

§. 411.

(*e*) *Summi homines noſtrorum temporum Claſſicos veteres auctores jaciunt ſuæ eruditionis fundamentum, in his quippe reperitur naturalis, dilucida & expli-*

§ 411. *Secundo:* si paucula illa momenta literarum, quæ ex ruinis tot antiquissimarum regionum ac Bibliothecarum ad nos usque pervenerunt, tantam dignitatem veteribus conciliant apud æquos arbitros, quid foret, si omnes illæ *Magorum*, *Hierophantorum ægyptiorum*, *Sacerdotum*, *Phœnicum*, *Persarum* &c. arcanæ scientiæ ad nostram fuissent ætatem devolutæ? certo *Pictoriam* veterum, *Sculptoriam* & *Monetariam* nemo hodiernorum assequitur: periit ratio & modus conficiendi *perpetuas lampades*, in tot veterum sepulchris repertas: *caustica specula* Archimedis posterior ætas, ut ignorantiæ suæ blandiretur, pro magnificis fabulis, & ostentatione veterum habuit, quorum tamen nuper *Buffonius* in Gallia qualequale specimen resuscitavit (*f*). Medici quoque hodierni jacturam temporum queruntur: periit apud eos *sectio calculi in renibus*, tempore Hippocratis usitata: item *Dissectatio in empyematibus*; *exustio in jecoris humoribus: cranii perforatio in aqua cerebri: sectio supra oculum in suffusionibus: extractio aquæ intercutis* &c. Quæ omnia, si sine partium studiis expendantur, erit fortasse ut nostras cognitiones ducamus veterum dignitate multo inferiores. *Continuantur.*

§. 412. Jam vero videamus, quæ præsidia commodare liceat recentiorum eruditorum præstantiæ; non concedunt fundamenta hujus partis vetustati: fortasse & causa domestica vires ad persuadendum addit. *Primo* quidem id recentioribus præstantiorem locum vindicare videtur, quod non modo scientias omnes, ex vetustate ad nos transmissas, perfecte assecuti sint, sed etiam novas cognitiones adjunxerint, atque extenderint limites scientiarum. Quis ignoret amplissimas accessiones, quibus variæ scientiæ *Mathesis*, *Astronomia*, *Nautica*, *Anatomia* &c. patrum nostrorum memoria increverunt (§. 567.)? *Quæcunque patres nostri*, ait Keill in Præfat. ad Physicam, *ab omni temporum memoria de Philosophia mechanica nobis* *Argumenta pro recentioribus.*

explicata ratio judicandi, & proponendi. Qui horum lectione, aut imitatione destitutus quidpiam scripserit, illico egestatem suam prodet, se nec bene invenisse (§. 345.), nec bene cogitasse, & multo minus id, quod cogitatum est, apte elocutum esse. Quidquid aliæ gentes in bonarum artium gustu profecerunt, id citra controversiam ex antiquorum lectione, & imitatione sunt assecuti.

(*f*) *Histoire de l'Academ. Royal de Sciences An.* 1747.

bis tradiderunt, ea nec ad decimam eorum assurgere partem, quæ proprio marte, per summam in Geometria peritiam adinvenit Newtonus. Si plenum laudis est, primas scientiarum lineas reperisse, cur merito suo vacet, initia evexisse, & summam adjecisse invento dignitatem? Non semper primæ debentur tempori, sed merito.

Continuatur. §. 413. *Secundo:* Esto etiam, fuerint veteres primi, qui quarundam scientiarum adyta patefecerint, ætas quoque recentior non paucas invenit artes & scientias, quarum occasio priscis sapientibus æque ob oculos fuit. *Pyrotechnica* ad nos pertinet, *Aerometria*, *Typographia*, *Algebræ* &c. ut proinde male objiciatur recentioribus, quod vestigia duntaxat veterum premant, cum & illi Troës sint, nec ignobiliorum facultatum auctores. Ad hæc de ignota eruditione veterum magorum, hierophantarum &c. quidam forte splendidius locuti sunt, quam argumentis evincere liceat: certo quibusdam mirabilibus antiquis recens sæculum jam detraxit larvam; sic lampades perpetuas nonnulli verius fuisse opinantur Phosphoros naturales, in sepulchris præparatos (*g*).

Conciliatio litis. §. 414. Pro concilianda quodammodo lite, cujus quidem mea parum interest, id dicendum esse videtur: quamlibet ætatem peculiari quodam modo sapere: rerum eventus varii gentium animos in varia studia abduxerunt, novasque, prius ignotas passiones in iis accenderunt; unde etiam cogitandi, studendique ratio innovationes subivit. Fuit omnino vetustis sæculis insigne robur Ingenii, *Oratoriam*, *Poeticam*, *Pictoriam*, & *Sculptoriam* ad perfectionis apicem evehendi; quod posterorum ætas vix, ac ne vix quidem attigit; hæc siquidem, variatis rebus, aliam periodum decurrens, aliis quoque artibus, qua inveniendis, qua perpoliendis se idoneam sensit; utut extra controversiam sit, veteres recentioribus accendisse faces, & studiorum normam præluxisse.

CAPUT

(*g*) *Vide Tractatum de Phosphoris C. Principis S. Severi.*

CAPUT V.

Scepticorum causa convellitur, & evidentia propugnatur.

§. 415. Scepticismi nomine intelligitur *acuta mentis protervia, quæ nihil certo sciri posse ab hominibus, impudenti ratiocinio depugnat.* Mirari subit, hanc doctam insaniam, contra mentis dignitatem, & nativos sciendi stimulos certantem, doctorum non paucorum patrocinium impetrasse. Sed certo scepticismus petulantiæ opus esse videtur, non studii, ut ex ejus origine mox patebit. *Scepticismus quid sit?*

§. 416. Nempe *Pyrrho*, scepticæ, seu Pyrrhonicæ sectæ auctor (Diss. XXXI.) cum adverteret, dogmaticos Philosophos tam varie & opposite de rebus sentire, suisque sententiis inhærere tenacissime; cum ex illis verum mature deligere, & meliora opportuisset eruere, ille omnibus ludificatis aliam inivit viam, atque impudentissime docuit, nihil omnium sciri posse, & sic nihil definiendo sectarum omnium dogmata subvertit (*h*). Hæc sentiendi novitas adeo multis arrisit, ut numerosam sectam conderent, omnibus sensatis, & propriæ cujusvis Conscientiæ adversantem. *Scepticismi origo.*

§. 417. *Scepticismi* hodie duæ præcipuæ sunt classes: *moderata* & *effrænis*. Effrœnis scepticismus est ille, qui veterum Pyrrhoniorum more omnem abnegat rebus sensibilibus certitudinem. *Favorinus*, qui tempore Adriani imperatoris vixit, decem libros Πυῤῥωνείων τροπῶν conscripsit, tamque proterve eum coluit, ut ne hic quidem se scire diceret: an unus duntaxat sol terram collustret? *Scepticismus effrænis.*

§. 418.

(*h*) *Cum Pyrrho omnem veritatem inficiaretur, finxerunt dogmatici Philosophi, eum conformasse vitam suis placitis, objecisse se omnibus discriminibus, feris, præcipitiis* &c. *milliesque eundem fuisse periturum, nisi amicorum curis eriperetur, revera tamen Pyrrhonis vita longe abfuit ab hac insania. Auctor est* Laërtius Segm. 8. *Pyrrhonem eas tantum veritates abnegasse, quæ sensibus percipiuntur, quod & Academici fecerunt, non item eas, quæ intelligentia constant.*

Confutatio illius. §. 418. Hanc amentiam veteres quidam non tam argumentis, quam ſarcaſmis, & nova petulantia confoderunt: *Epictetus* Favorini, cæterorumque ſcepticorum adverſarius cum ex quodam ſceptico audiiſſet ſenſus noſtros perpetuo fallere, reſpondiſſe fertur: *quis veſtrum aliquando volens thermas adire, in piſtrinum, flagella excepturus, introivit?* hinc dicere amabat: *ſi cujusdam ſceptici famulus forem, non ſine voluptate eum conſtanter ludificarem; ſiquidem jubenti me affundere oleum balneo, effunderem acre lixivium ſupra illius caput: petenti decoctum, afferrem acetum, & ſuper hæc omnia ſi querularetur, aut offenſam proderet, decipi eum dicerem, & cobortarer, aut acetum pro decocto habeat, aut mentem ſuam erroneam commutet.* Optime ſiquidem ſcepticorum abſurda refelluntur per res, paſſim occurrentes.

Hodie non colitur. §. 419. Scepticiſmum hunc infrunitum hodie vix aliquis tuetur, niſi forte ille, qui fateri non erubeſcit, ſe veterno per omnem vitam opprimi, & in perpetua amentia verſari; quaſi vero Optimus Deus nobis contuliſſet ſenſus & vitam perpetuo fallacem, profecto dum ſenſati, ſolertes, acutique viri conſtanter experiuntur ſenſuum ſinceritatem; dum omnis publica & privata ſalus, gentium fœdera, leges, virtutum, ſcelerumque argumenta, & religionis ſolennia innituntur fidei ſenſuum (§. 175.) neſcio, an eos fas ſit homines compellare, qui univerſalibus his motivis, & communi regulæ humanæ Societatis adverſantur.

Scepticiſmus moderatus. §. 420. Scepticiſmus *moderatus* reſtringit prioris ignorantiam, habetque varios ordines, ac gradus. *Primus*, effræni ſcepticiſmo ſuppar omnem veritatem & certitudinem a divina revelatione repetit, nihil a recta ratione; quaſi vero ipſa divina revelatio ſine ratione innoteſceret, ſine ſenſuum officiis, auctoritateque majorum; certo ſi nulla rationi, nulla ſenſibus, nulla teſtimonio humano ſubeſt fides, quomodo Patriarchæ, & Apoſtoli certi eſſe potuerunt de ſignis, divinitus editis, aut de indiciis Dei loquentis? cur ſacra utriusque Teſtamenti volumina prædicari atque conſcribi præcepiſſet Deus, ſi auſcultatio, aut lectio eorundem perpetuam ſuppeditat fallendi occaſionem? Non aſſequor, quomodo viri quidam eruditi, veluti *Daniel*

Daniel Huetius (*i*) sequelas non viderint, & qui factum sit, ut in protervum hoc ignorantiæ genus sese præcipitarent.

§. 421. Alter *moderati scepticismi* gradus concedit quidem veritates quaspiam tum a ratione, tum a sensibus & auctoritate obtineri, has tamen esse paucissimas, & quæ vix intellectui colluceant citra luctam contrariarum opinionum. Hac de causa sceptici ejusmodi omni cuique, etiam certissimæ propositioni diffidunt, atque inter perpetua dubia hærent ancipites, num id, quod nuper verum esse dixerunt, hodiedum tale sit? an non potius res tota se aliter habeat, & juxta novum animi impetum debeat judicari? *Alter gradus moderati scepticismi.*

§. 422. Scepticismi hujus duæ potissimum sunt causæ, inter se prorsus oppositæ. *Prima* consistit in quadam imbecillitate eorum, qui, dum expendunt arcanam rerum omnium naturam, & varium singula in utramque partem explicandi modum, ipsa sua ineptitudine repressi, nec veritatis ullam in eis reperiunt, nec evidentiæ ideam; aut si eam forte veluti in transitu conceperunt, tam imbecilles sunt, ut eandem ad appulsum pugnantium quarundam idearum subito sinant elabi; præsertim cum intelligunt, ad cujusvis circumstantiæ mutationem, eandem rem alio prorsus habitu redire. Tales sceptici plures sunt, quam vulgo putantur. Horum infirmitati, si cæteroquin ingenii vires sufficiunt, melior nulla est medendi ratio, quam serio, solerterque ea, quæ de claritate idearum, & de veritate dicta sunt (§. 167.), animo revolvisse. *Prima causa scepticismi.*

§. 423. Altera scepticismi causa sita est in mentis ubertate, seu petulantia eorum, qui plurimarum rerum cognitione, & mentis acumine inflati, varias conjecturas, hypotheses & argumenta extemplo proferunt, e quibus ejusdem rei plures, & contrarias explicationes eodem pene valore evolvunt. Id in hoc genere hominum est longe pessimum, quod longiori usu in veritatis & argutiarum confusione provecti, citra veritatis sollicitudinem, & huic & illis æquale pretium constituant, ac tandem superati ipsa sua vanitate irrideant æque omnia, & contemnant. An pauci ejusmodi sceptici *Altera causa scepticismi.*

Dd 2 inter

(*i*) *De la foiblesse de l'entendement humain.*

inter disputatores Scholasticos habentur, qui eadem cum facilitate & promptitudine argumentum convertunt in omnem partem, & etiam problema exinde se posse conficere gloriantur?

Neglecta educatio ducit sæpe ad scepticismum.

§. 424. In hoc scepticismi genus procumbunt etiam facile homines ingenii indocilis & refractarii, & quibus neglecta educatio, quidquid audacter & proterve sentiendi, occasio fuit. Nam cum ad idearum in nostris mentibus efformationem præter objectorum aptitudinem etiam indolis cujusque dispositio accedat, id necessario fit, ut præstita juventuti educatio, aut prona nimium ad quidquid sentiendum, & temeraria, aut timida, abjecta & dubia conformem animo ingeneret habitum, qui deinde expeditum iter sternat ad scepticismum.

Fanatismus propinquus scepticismo.

§. 425. Sed & fanatici homines causam non postremam scepticismi in se complectuntur. Fictiones enim, quarum tenacissimi sunt, larga abundeque proferunt, easque pro ipsa veritate, cæterorum omnium incurii, habent: prioribus suis ideis ob imaginationis vehementiam, novas semper adjicunt (§. 459.), & eo tandem usque procedunt, donec ad absurda & impossibilia traducti, aperte se suis a phantasmatis delusos deceptosque fuisse sentiant. Quid igitur agunt? veritatem a fictionum ludibriis dignoscere impares, omnia insimul pernegant, omnia rejiciunt, atque depudicata fronte, saltem intus & in animo scepticos se profitentur. Certo Judæi, qua gente figmentorum, seu divina, seu humana spectes, nulla est feracior, id detrimentum suo ex fanatismo susceperunt, quod in nulla religione tot, quot inter Judæos, athei reperiantur.

Nostrum Sæculum favet scepticismo. cur?

§. 426. Existimant nonnulli, ipsum nostrum sæculum, ipsam etiam hodiernam philosophandi rationem favere scepticismo: *Arcesilam*, ait Baylius (*k*), si viveret, multo hodie, quam olim felicius depugnaturum contra dogmaticos; nam præterea, quod Idealistæ e medio tollunt omnes substantias corporeas, iisque ideas mentis substituunt: quod Cartesiani, contra ac sensus testificantur, nihil coloris, nihil saporis &c. pertendunt existere, ipsi etiam theologi maxi-

(*k*) *Dictionaire Hist. Crit. Articulo Pyrrho.*

maximum adjiciunt pondus perpetuæ nostræ fallaciæ, cum dicunt: prima rationis lumina, velut: *quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* &c. repudianda esse, ut salva & inconcussa stet fidei mysteriorum veritas.

§. 427. Verum est, non diffiteor, satis hæc apta sunt ad invehendum dubia de plurimis rebus, quæ prius veræ putabantur, retinebunt autem intellectus assensum a dubiis & incertis, non a veris: rejicient id, quod apparet sensibus, sed non sine causa; quia nempe aliud verius occurrit. Quod certo nulla esse potest scepticismi neque commendatio, neque præsidium. Cartesiani siquidem, ut Idealistarum stultitiam sileam, sat refutatam (§. 167.). Cartesiani, inquam, nunquam negarunt, esse revera objecta, visu, auditu, olfactu &c. sensibilia: multo minus negarunt, ea a nobis percipi, cum explicarint modum, quo illa nostros sensus afficiant; tota eorum ab aliis dissensio ad id unum redit: an vera & realis actio objectorum in sensus dici debeat *color, sonus* &c.? an vero idea duntaxat, ab his sensationibus in mentem illata sit compellanda *color sonus* &c.? Theologi quoque nunquam veritates illas naturales sustulerunt; id solum docent, veritates illas naturales, & generales consurrexisse ex particularibus naturalibus veritatibus (§. 659.) nec posse ad intelligentiam supernaturalium rerum, alterius distinctissimique ordinis adhiberi (§. 302.). Igitur sæculum hoc nostrum paucas quidem amplectitur sententias in tanto rerum atque auctorum conflictu, veras tamen aut verisimiliores deligit: igitur ætas hæc nostra est ab omni scepticismi labe, quam vetusta, multo purior; debentque Philosophi hodierni jure nominari *cauti*, non *sceptici*. *Refutatur prius.*

§. 428. Hinc merito arguas licet eos, qui dixerunt: quod principia veritatis, in nobis lucentia, per dogma extinguantur: quodque *Pyrrhonismus sit felix dispositio ad fidem*; eos, inquam, esse prorsus ineptissimos, & ignorare: quid fides sit? quid ratio? si enim fides est de veritatibus, supra naturam elevatis, & in Spiritus S. auctoritate cognitis: si & fidei, & rationis lumen, utrumque Dei donum est, eodem liberalitatis fonte procedens: si ratio in aliis quidem versatur sui ordinis veritatibus, veritatibus tamen fidei nullatenus colluctatur (§. 301.) quin imo evidentia motiva credibilitatis sapienter *Scepticismus non est dispositio ad fidem.*

 colligit

colligit ex historiis, signis & testimoniis, quibus increduli ad fidei agnitionem disponantur: si demum eos, quos Deus constituit Ecclesiæ suæ doctores, ac propugnatores, insigni multiplicium cognitionum præsidio instruxit, ad inducendos, corrigendosque perditorum hominum animos; Quis nisi insipientissimus, Deoque injurius dicere ausit, rerum omnium ignorationem, & rationis neglectum divinæ fidei esse fundamentum?

Scepticismus contemni debet.

§. 429. Sed molestissimos hos scepticos valere jam jubeamus; neque enim insaniam eorum libet stilo uberiore persequi; cum certus sim, eum, qui ex primo scepticismi conspectu, & eorum, quæ mox de eo cursim allata sunt, repetitione, extremam illius vanitatem, & stultitiam non agnoverit, eum, inquam, aut perdita ratione, aut consulto suppressa, esse omnino incapacem, per longissimam etiam argumentationem saniora doceri. Nunc porro unum, alterumve pro *veritate* & *evidentia* argumentum proferamus.

Evidentia.

§. 430. Evidentia tunc haberi dicitur, quando intellectus objectum clare, & cum perspicuis quibusdam notis certitudinis intuetur. Clare autem, distincteque objecta ab intellectu comprehendi, evicimus (§. 172.) *de veritate*. Duo itaque ad evidentiam requiruntur: & objecti claritas, & intellectus perspicientia. Sunt objecta, quæ propter suam obscuritatem: sunt & mentes, quæ suam ob imbecillitatem ad evidentiam cognitionum nunquam pertingunt.

Pro evidentia argumentum.

§. 431. Evidentiæ hujus argumentum intellectus humanus ipse sibi suppeditat: Qui longo usu objecta clare distincteque cognovit sensuum & reflexionis ope, tum, ubi aut morbo, aut ætate sensus hebescere, concidere vis mentis, & animus enervari, sentiet ad maximam se dejectum esse idearum suarum immutationem: caligare se in plurimarum rerum cognitione, quæ antehac in florentiore statu plenam lucem, & evidentiam in sua mente referebant; idque non agnoscit alio, quam proprio suo testimonio.

Contra evidentiam argumentum.

§. 432. Sed dicet scepticus: nulli unquam licere objecta clare & penitus cognoscere: perpetuo reconditam esse intimam rerum naturam: hanc soli Auctori patescere: homines autem in externis dunta-

duntaxat accidentibus immorari: objecta illa forsan semper esse alia, ac homines concipiunt; quam igitur evidentiam mens de rebus abditis, atque inaccessis possit assequi? quidquid evidentiæ adest, illud ut summum de quibusdam proprietatibus esse poterit, non autem de reipsa.

Solutio ejusdem.

§. 433. Non vacat hæc objectio suo merito; præbet enim, quod maximi hoc loco interest, occasionem determinandi: quæ sit voci *evidentia* notio? Non intelligitur nomine *evidentiæ* cognitio intimæ naturæ objectorum, aut quarenam id sint, quod sunt, quove nexu objectorum alia cum aliis copulentur; sed intelligitur duntaxat ea rerum habitudo, & ratio, qua nobiscum, nostrisque cum necessitatibus communicant, quamque omnes omnino homines eandem esse experiuntur: atque talis cognitio ad evidentiam & certitudinem rerum, in communi vita occurrentium, omnino sufficit, utut absolute in se, aut etiam respectu distinctarum ab homine substantiarum, aliter se habere possit: sic ignis ad homines relatus semper urit: lux semper illuminat &c. quæcunque eorum sit intima natura, quacunque alia ratione a *Cartesio*, alia a *Muschembroekio* aut *Boerhaavio* explicetur.

Evidentia non pandit intimam naturam rerum.

§. 434. Quod si quis intimam rerum naturam, atque id, quod in se sunt, cognosceret, ille utique, quid in rebus profundissime lateat, intelligeret: intelligeret prima earum elementa: finem: & necessariam cum reliquis exteris rebus connexionem, atque relationem. Si cui liceret per immensa universi spacia permeare, ait *Poppe* (*l*): intueri varios mundos, atque ex his consurgentem totius universi compositionem, ac harmoniam: quæ uno solum horum variato, aut sublato cæteris immineret perturbatio? si quis posset leges systematicas unius mundani corporis scite contendere cum systematicis legibus alterius: qui posset coram inspicere alios planetas,

(*l*) *Celui qui pourroit percer au travers de la vaste immensitè, voir des mondes entassès sur d' autres mondes former la totalite de l' univers, observer le rapport des regles systematiques d' une partie aux regles systematique d' une autre, reconnoitre d' autres planetes, d' autres soleils; quels sont les differens êtres, qui habitent chaque etoile: celui-là pourroit dire, pourquoi Dieu nous a formès tels, que nous sommes.* Pope Essay sur l' homme. Epit. 1.

tas, alios ſoles: occultas variis modis in alios influentium vires: cognoſcere diverſitatem incolarum, in variis mundanis corporibus inhabitantium; ille utique etiam intelligeret rationes rerum intimas, ac cauſam, cur Deus nos noſtraque talia, qualia ſunt in ſe, conſtituerit. Verum hæc perſpicientia, hæc evidentia facultatis, finiumque humanorum excedit anguſtiam. Nobis ſatis eſt, res peculiari noſtro, & quo ad neceſſitates noſtras pertinent, modo cognoſcere. In hoc noſtra tota evidentia ſita eſt; eſt tamen eo certior, quod nobis duntaxat hæc cognoſcendi ratio propria ſit, atque ad omnes æque homines extendatur.

Altera objectio.

§. 435. Sed videtur mihi adhucdum ſcepticus inſiſtere: nec etiam modum objecta percipiendi hominibus eſſe certum, eundemve: omnia pleraque eſſe reſpectiva, atque pro varietate variorum hominum easdem res aliter percipi (§. 33.): quod homo temperamenti frigidioris calidum ſentit, alter ardentior dicet tepidum: ſummam pecuniæ, quam hic quidem divitias reputat, alter dicet eſſe pauperiem. Hæc cogitandi ratio etiam in moralibus recurrit: homo generoſo fortique animo donatus actiones magnificas & illuſtres pro virtutibus habet: ubi alter, puſilla anima inſtructus actiones humiles & contemptas colit pro virtutibus &c. ubi igitur conſtans & eadem apud homines cogitandi ratio?

Solutio.

§. 436. Sed reſpondetur: verum eſt, pleraque genera entium eſſe relativa, attamen usque ad certum gradum; nemini hominum candens ferrum videbitur eſſe tepidum; omnes itaque homines in eo conveniunt, quod ſenſibiles qualitates ab omnibus æqualiter ſentiantur, quilibet tamen modo, ad temperamentum ſuum exacto illud percipit. Eadem eſt de rebus, & actionibus quibusdam moralibus judicandi ratio; niſi forte temperamentum aut indoles ad vitium & exceſſum projecta, non ſineret actionem ab ea procedentem, in medio certi gradus, qui virtutis eſt, ambulare. Quæ omnia cogitandi certitudinem & evidentiam non intercipiunt; imo commonſtrant.

CAPUT

CAPUT VI.

De Sophiſmate, & variis ſophiſmatum ſpeciebus.

§. 437. Sophiſma eſt argumentatio fallax, & captioſa, quæ ad falſitatem inducit (*m*). Sunt autem varia *ſopbismata*: quædam in una ſolum voce conſiſtunt: quædam in tota oratione. Sophiſmata unius vocis ſunt *æquivocatio*, *ambiguitas*, & quidquid variam ejusdem vocis explicationem inducere poteſt. Hæc ſophiſmata non ſunt tanti, & reſecantur facile, dum cujusvis vocis, quænam eſſe debet genuina ſignificatio, ante diſputationem definitur (§. 11. & §. 647.) *Sophiſma quid ſit?*

§. 438. Sophiſmata, quæ in argumentationum formulam conficiuntur, maximam partem invenerunt, excolueruntque veteres quidam ſapientes: *Eubulides*, *Diodorus Cronus*, *Chryſippus* &c. qui cum nominis & ſæculi ſui dedecore, ſapientiæ gloriam in deceptionibus, & perſuaſione falſi poſuerunt, magiſtri ad ludicre & perverſe cogitandum rectius nominandi. Horum autem ſophiſmatum præcipua ſunt ſequentia: *Sophiſmata argumentationum.*

§. 439. *Sorites* eſt argumentatio, in qua per minutas additiones, aut detractiones ab eo, quod perſpicue verum eſt, ad id, quod maxime falſum eſt, adducimus diſputantem. Eſt hic *Sorites Chryſippæus* diſtinctus ab argumentatione ejusdem nominis, allata (§. 394.); diciturque a σωρὸς *acervus*, ſeu acervalis locutio, & interrogando potiſſimum texitur; veluti: multane ſunt, an pauca decem tritici grana? quod ſi pauca eſſe dixeris, urgebit adverſarius: quid ſi addidero unum, duo, tria, aut quatuor, & ſic gradatim ad plurima aſcendendo, donec ad manifeſtam multitudinem perveniat. Sin autem decem grana eſſe multa reſponderis, inſtabit ex adverſo ſophiſta: quid *Sorites.*

(*m*) *Sophiſma dictum eſt a Sophiſta, ſeu ſapiente, quæ primum erat plena laudis compellatio, eorum nempe, qui ſapientia & ratiociniis præſtabant; tum vero malitia quorumdam ſophiſtarum, argumentatione ad decipiendum abutentium, nomen fuit ignominiæ, atque impoſturæ.*

quid si unum abstulero, si duo, aut tria? &c. donec paucissima restent; nequit enim illa unitas, in qua multitudo, aut paucitas incipiat, determinari. Ejuscemodi *sorites* fieri potest de pluribus rebus, de divitiis, paupertate: eruditione, ignorantia: brevitate & longitudine vitæ &c. Huc pertinet ille arguendi modus, qui φαλακρὸς id est, *calvus* græcis dicebatur, & ostendit: eum non esse calvum, qui revera calvus est, propterea quod nesciatur, quo determinato pilorum numero calvities habeatur.

Redargutio hujus sophismatis.

§. 440. Sophismatis hujus inanitas ex duplici fundamento intelligitur; *primo* quod res respectivas male convertat in absolutas: *res absolutæ* eandem constanter sui constitutionem, ac formam retinent, veluti aurum, argentum &c.; *respectivæ* autem pro varietate objectorum, ad quæ referuntur, variantur, ut divitiæ &c.; aliæ quippe sunt divitiæ pro cive; aliæ pro principe: alia eruditio discipuli, alia magistri &c.; neque dicuntur generaliter hæ respectivæ res nisi de subjectis generalibus; veluti: homo saturatur pane: Cajus vir quidem una libra panis: Titius adolescens media. Decem tritici grana multa esse possunt pro passere, pauca pro equo &c. *Secundo:* quia sophisma hoc gradus, seu differentias maxime sensibiles, & conspicuas constituit in rebus levissimis, & quæ vix sensum afficiunt; sic inter calvum hominem & crinitum: sobrium item inter & ebrium intercedit discrimen patentissimum; quod utique repeti debet a notabili fundamento, veluti a poculo vini epoto, aut ab amisso manipulo crinium, cuteque retecta. Quod si jam calvitiei & ebrietatis differentiam ab insigni & conspicuo documento arcessimus, frustra & inepte arguetur: quod, cum neque capillus, neque vini gutta determinari possit, quæ ab una ad millionesimam ascendendo aut calvitiem, aut ebrietatem inducat, neque calvus sit, neque ebrius, qui revera calvus aut ebrius est; propterea quod fundamentum aut forma horum non sit una gutta vix perceptibilis, aut pilus, sed plurium manifesta, sensibilisque conjunctio. Ex quo patet, perperam omnino hoc quoque sophisma a veteribus inter τὰ ἄπορα id est, inter *insolubilia* numeratum esse; cum hac ratione illius fallacia perspicue intelligatur.

§. 441.

§. 441. *Mentiens argumentatio* est sophisma, quod a materia ratiocinii nomen trahit, non a forma ejusdem. Hujus fallaciæ præcipuum exemplum est illud: *si, vera dicens, te ais mentiri, mentiris; sed dicis te mentiri, dum vera dicis: ergo vera dicens mentiris.* Quod sophisma tanti olim habitum fuit, ut Chrysippus plures de eo condiderit libros, quod est apud *Laërtium* (*n*). Apud *Athenæum* & *Suidam* fertur Philethas Cous phtisi periisse, contracta ob excessum studii, in solutionem hujus fallaciæ impensi. Dicitur hoc sophisma aliter ψευδόμενος, referturque ad hoc illa veterum fallacia, quæ, ut est apud *Lucianum* (*o*), dicitur λογὸς κροκοδείλινος *sermo crocodilinus* a fabula Ægyptia; nempe: Mulieri raptus est a crocodilo puer ambulans ad litus Nili; rogat illa, ut sibi filium reddat; cui ille: reddam, si verum mihi modo dixeris; illa igitur subjungit: non mihi reddes; tum crocodilus: ut verum dixeris, non reddam; si vero falsum dixisti, reddere non teneor, quia non stetisti pacto. At mulier convertens argumentum reponit: si verum dixi, reddere mihi filium debes ex pacto; falsum me autem dixisse evincere non potes, nisi reddas. *Mentiens argumentatio.*

§. 442. Ad Pseudomenon etiam proxime accedit ἀντιςρεφον, seu reciproca, & utrinque feriens argumentatio, qualis est illa, quam *Evathlus* magistro suo Protagoræ opposuit: paciscebatur ille, se decem millia nummorum magistro daturum, dimidium quidem sub instructionis initium, alterum autem dimidium eo primum die, quo absoluto Tyrocinii curriculo causam in foro evicisset. Inde vero, ut ab alterius dimidii persolutione *Evathlus* se eliberaret, noluit causæ actionem suscipere; tum Protagoras, judicis sententiam appellans, ita eum alloquitur: dabis hodie, quod teneris, stultissime juvenis! seu pro te, seu contra te sit pronunciatum; nam si contra te, solves judicio adactus: sin vero pro te, mercedem mihi reddes ex pacto. Ad hæc *Evathlus*, argumentum retorquens: haud quaquam solvam, seu contra me, seu pro me pronuncietur; non si pro me; nam sententia me obligatione absolvet; sin autem contra me, non tenebit pactum, cum causam non evicerim. Quod audientes judices sententiam ancipitis causæ suspenderunt. *Antistrephon.*

(*n*) *Laërt. Lib. VII. pag.* 196. (*o*) *Lucianus in Sectar. Auctor.*

Achilles. §. 443. Achilles, sophisma urgens, quod *Zeno* firmissimam basim constituit, ut omnem motum negaret, diciturque ποδώκης ab *Achille* equo pernicissimo. Ejus argumentationis hæc est forma: si motus est, tum velocissimus equus nunquam cursu assequetur lentam testudinem, a qua leucæ unius, vel dimidiæ intervallo distiterit: Nam feratur equus decuplo velocius testudine, eadem directione; erit, ut quo tempore equus mediam leucam percurrerit, testudo dimidiæ leucæ decimam partem procedat; Rursus dum equus decimam partem hujus dimidii absolvit, procedet testudo per decimam hujus decimæ partem, atque ita porro in infinitum. Cum enim omnia, quæ moventur, per spacia moveantur, spacia autem quantumvis exigua infinitæ divisioni pateant, sequetur utique, infinitorum spaciorum decursu nunquam testudinem ab insequente equo contingi. Sed hujus fallaciæ, motum sine viribus æstimantis, solutionem per æquationes algebraicas facilem dedimus.

Therizon. §. 444. Alia est sophistica argumentatio, quæ Θερίζων veteribus appellata est, quæque rerum contingentiam e medio tollens, omnia necessitate fieri pertendebat; veluti: *si messurus es? non: fortasse metes; fortasse non metes; sed metes omnino.* Pari modo: *si non messurus es? non: fortasse metes, fortasse non metes; sed prorsus non metes; atqui ut metas, vel non metas, necessario eveniet: ergo contingentia tollitur, cum neque in metendi, neque non metendi oppositione fundetur.* Hoc sophismatis genus tanti habitum a Stoicis fuit, ut Zeno, septem illius species perdiscere cupiens, ducentas minas magistro obtulerit, qui centum duntaxat mercedis loco sibi dari poposcit (*p*).

Ignava ratio. §. 445. Huc revocatur etiam *Ignava ratio* λογὸς ἀργὸς, hac quippe Stoici pariter fatalem necessitatem magnopere roborarunt; veluti: *si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, convalesces.* Item: *si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, non convalesces; at alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet* (*q*). Dicitur *ignava ratio*, quod homines maxime ignavos reddat & inertes

(*p*) *Laërtius Lib. VII. Segm.* 25. (*q*) *Cicero de Fato.*

tes fine omni rerum sollicitudine. Fama est, Turcas nihil pestiferorum consortia perhorrescere, persuasos, nihil inauspice fato evenire. *Arrianus* aliud sophisma efficaciæ ejusdem commemorat (r), quod *Ratio dominans* λογὸς κυριεύων dicitur, & in tribus potissimum vertitur axiomatibus; nempe: *omne præteritum ex ipsa rei necessitate verum esse. Ei, quod fieri nequeat, id, quod fieri potest, non esse consequens. Non posse id fieri, quod neque verum sit, neque verum futurum sit.* His quippe dialecticorum more inter se coordinatis concludebant, totam rerum naturam, Deos, hominesque sempiterna revolutionum necessitate coërceri, nihilque omnino esse liberum; quo sane ignavia rerum, animorumque neglectus latissime inducitur. *Ratio dominans.*

§. 446. Aliud est sophisma οὔτις *nullus* dictum ab Ulysse, qui antequam effoderet Polyphemi oculum, se nominari οὔτιν persuasit (s). Oritur quippe dubia significatio, nesciturque an οὔτις sit nomen proprium? an significet *nullus*. Aliud sophisma erat διαλανθάνων *latens*, veluti: *nosti Patrem tuum? novi; nosti hominem illum, qui latet? non novi: ergo patrem tuum non nosti; quia ille tuus pater est.* Consimile erat illud, dictum *Electra*, ab Electra Orestis sorrore apud Sophoclem; nempe Electra sciebat Orestem esse fratrem suum; at ignorabat hunc, quocum loquebatur, esse Oresten. Aliud sophisma erat cornutum ab hoc exemplo captioso: *quod non amisisti, habes; atqui cornua non amisisti: ergo cornua habes.* Quasi vero tam stultus quispiam esset, ut frontem suam non tentet, aut nesciat, se cornua prius habuisse.

§. 447. Sed affatim, adusque nauseam veterum græcorum cramben recoximus, nugasque acutissimas, quibus illi Philosophiæ gloriam, & veritatem data opera obfuscaverunt. Nunc fallacias quasdam recentiorum proferam, si non acumine, saltem malitia veteribus suppares, & usu etiam potiores; veluti sophisma illud ambaginosum, quando quis propositiones atque sententias, quibus aperte insultare neque expedit, neque licet, suo loco juxta communem receptionem digne, decenterque exponit, at in præcipuis *Fallaciæ recentiorum.*

(r) *Arrianus Lib. II. de Sermonibus Epicteti cap.* 19.

(s) *Homerus Odyss. IX.*

capitibus remittit lectorem ad alios paragraphos, in quibus propositio in oppositum tota convertitur, & tanquam ex cuniculis prodiens robur illam totam dejicit, atque pessumdat. Hæc sophisticandi ratio in Lexicis plerumque, & Dictionariis locum atque usum obtinet (*t*), estque eo periculosior, quod propositioni allatæ, & veluti approbatæ insultet, eamque malis argumentis nixam ob plurium idearum combinationem ostendat.

Sophisma subdolum. §. 448. Est & aliud sophismatis genus, dum quis aliam ab ea, quam palam profitetur, sententiam, aut etiam oppositam, occulta machinatione inducit, & roborat Adferuntur primum sententiæ fundamenta, leviter equidem & subleste: proferuntur etiam in speciem objectiones adversantium, hæ autem omni ingenii robore ita muniuntur, ut in comparatione allatæ sententiæ sint multo plausibiliores; quas tandem objectiones dum sophista se soluturum pollicetur,

(*t*) *Fleuri in Censura Encyclodiæ Gallicæ hujus sophismatis reos arguit illius operis auctores; sic enim scribunt in Articulo* Encyclopedie: Je distingue deux sortes des renvois, les uns de choses, & les autres de mots: Les renvois de choses eclairciffent l' objet, indiquent les liaisons prochains avec ceux, qui le touchent immediatement, & ses liaisons eloigneès avec d' autres, qu'on en croiroit isoleès, rappellent les notions communes, & les principes analogues; fortifient les consequences, entrelacent la branche au tronc, & donnent au tout cette unitè si favorable à l'etablissement de la veritè, & à la persuasion; mais quand il le faudra, ils produiront aussi un effet tout contraire, ils opposeront les notions, ils feront contraster les principes, ils attaqueront, ebranleront, renverseront secretement quelques opinions ridiculs, qu'on n'oseroit insulter ouvertement - - - Toutes les fois, par exemple, qu' un prejuge national meriteroit du respect, il faudroit à son article particulier l'exposer respectueusement, & avec tout son cortege de vraisemblence, & de seduction; mais renverser l'edifice de fange, dissiper un vain amas de poussiere, en renvoyant aux articles; ou des principes solides servent de base aux veritès opposeès. Cette manier de detromper les hommes opere tres promtement sur les bons esprits, & elle opere infailliblement, & sans aucune fachense consequence secretement, & sans eclat, sur tous les esprits. C'est l' art de deduire tacitement les consequence les plus fortes. Si ces renvois de confirmation, & de refutation sont prévus de loin, & preparès avec addresse, ils donneront à un Encyclopedie le caractere, que doit avoir un bon dictionaire. Ce caractere est de changer la façon commune de penser, l'ouvrage, qui produira ce grand effet general, aura des defants d'execution; j'y consons, mais le plan, & le fond en feront excellens.

tur, eas aut omnino præterit, aut ita molliter retundit, ut earum vim magis adaugeat. Hoc sophismatis genere *Baylius* sæpe simulato usus fuisse a viris quibusdam doctis incusatur. Et hæc quidem de sophismatis.

CAPUT VII.

De Pedantismo.

§. 449. Nemo febres humano corpori adeo perniciosas, invisasque unquam censuit, ac cati gravesque viri literis omnibus & disciplinis, exculto hoc nostro sæculo esse *pedantismum* criminantur (*u*); utpote qui convulsiones multo acerbiores his inferat, quam febres etiam acutissimæ corporis valetudini. Est quippe *pedantismus* fatua & impolita ratio, quæ leviter, temere, etiam cum vano supercilio, plerumque sine sensu communi artes & scientias moderatur (*x*). Hujus spiritu qui animati sunt, plerumque in rerum superficie hærent: gustum claritatemque negligunt; multum laborant, & parum promerentur, nisi forte derisionem & contemptum. *Pedantismus quid sit?*

§. 450. Et primo quidem ruditatem & angustiam suam *pedantes* in eo produnt, quod eorum duntaxat, quæ didicerunt, tenacissimi sunt; alienas autem res, quas nec intelligunt, utut suis longe præstantes, repudiant, atque contemnunt. Itaque milites hi gloriosi perpetuo jactant felicitatem sui & anteacti temporis, & studii; & non *Levitas pedantum.*

(*u*) *Chambers in Encyclopedia Anglica ait: Pedantes esse rudes, & impolitos literarum tractatores, qui ad impertinentem usum scientias traducunt, abundant crisi insensata, & observationibus ludicris. Dacier definit pedantes; qui plus loquacitatis quam sani sensus habent.*

(*x*) *Pedantismus dicitur a celebri* Grammatico Pedano *in Italia, qui iisdem vitiis, quorum hodie pedantes insimulantur, laboravit. Græcis olim ejusmodi homines vocabantur* μυσκαλαμίτρωγες mures calamorum corrosores; *unde derivata putatur vox Calamisii vulgo* Calmeiser, *eo quod in Scholarum latebris ungues & calamos constanter arrodunt.* Petronius *eos olim doctores umbraticos nominavit, inter quos qui nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant.*

& non advertunt, se, hæc dum agunt, esse omnino inidoneos ad examinandum solius profectus sui genuinum valorem, atque ad contendendum suas cum aliis, quod animo saniorem delectum aspirare debet, studiorum rationes.

Pedantes sunt rigidi magistri.

§. 451. Si qui autem *pedantes* funguntur magistrorum munere, illi oppido rigidi sunt, atque discipulos suos pulvere ac sudore pene conficiunt. Molestia autem tota redit ad siccam custodiam vocularum in prolixis *definitionibus*, *devisionibus*, *subdivisionibus*, *notis uberrimis*, *& plaustris præceptionum;* quibus omnibus juventutis, ceu in pistrinum compactæ, memoria nimium quantum obruitur; mens vero, has inter spinas oppressa, nihil extenditur, nihil ingenuæ lucis obtinet, quin imo tædium, & aversionem maximam studiorum capit, ex quo deinde neglectus, & derisio per ulteriorem ætatem consequitur.

Pedantes aliis sunt graves.

§. 452. Aliud vitium *pedantes* importunos atque etiam graves reddit aliis, quod perpetuo merces suas obtrudunt etiam nolentibus. Qui uni cuidam facultati seu *Chemiæ*, seu *Theologiæ*, seu *Equestri*, seu *Ascesi* &c. pertinaciter se dediderunt, omnem discursum, eruditum, aut familiarem eo cogent, ac torquebunt, ut lacinias suas præter sermonis scopum possint argumento assuere, quidquid cæteroquin moræ accedat consiliis aliorum; cumque muscis ipsis atque culicibus molestiores sint, volunt nihilominus vastissimam aliarum disciplinarum copiam atque diffusionem, quibus humana societas regitur, peculiaribus suis ineptiis adornare (y); quod, quam indignum sit eruditis, soli ridiculi pedantes non vident. Magni nonnunquam viri hac labe notantur, quorum vanitati satis non est, Anglorum, Horatium pretii & refugii causa in sacco deportantium, celebrare morem, sed etiam non sine puerili affectatione anglicæ eruditionis Poëtam illum memoriæ mandant, atque in omni discursu etiam gravi, dum digniora expectantur, integros versus allegant illius: qua sua importunitate, ipsum etiam Horatium, suo cæteroquin

(y) *S. Evermond sic depingit stultitiam pedantum: quod omnem conversationem, omneque colloquium de quacunque re susceptum convertunt ad unam aliquam eruditionem.*

quin merito fulgentem, derisui exponunt. Sed quid a pedantibus, omnem eruditionem susque deque vertentibus, dignius præstoleris?

§. 453. Sed & jactantia, ac fucus non ferendus pedantibus proprius est, quem ineptissime in re qualibet faciunt; dum nihil est opus, quam sana ratione munire sententiam, illi cohortem auctorum citant: totam *Scholam Thomisticam* & *Scotisticam* &c. quasi vero honorifica illa nomina, & fastus adscititius possent negotium, quod in solis claris & distinctis ideis, atque in argumentorum robore positum est, conficere; Tantum quisque dicit, quantum probat, sive uno, sive plurium ore loquatur; neque sola aliorum auctoritas quidpiam habet quovis peculiari amplius, cum quilibet sit auctor suorum verborum (z). Verba etiam amant pedantes alta cupressis similia, plena, sonantia & pluribus ex linguis composita: late diffunduntur in peregrina apophthegmata veterum: disputant ardenter de ordine mensium Atticorum, de habitu Macedoniorum, de etymo quarundam vocum, ut nempe eruditionem suam distendant. Ejuscemodi importunos vivis coloribus depinxit *Poppius* in *Scriblero* suo; hic enim intollerabili affectatione eruditionis antiquariæ, omnem rem domesticam ad antiquitatis normam exegit, & ipsam etiam filioli sui nutricem, vitæ & victus necessaria petentem, doctrina veterum Græcorum voluit saturare. Qui plura, hæcque lepidissima exempla *pedantismi* scire desiderat, adeat libellum *Menkenii*, quem de circumforanea eruditorum vanitate conscripsit, & *Charlataneriam* eruditorum nominavit (*a*). *Pedantum jactantia.*

§. 454. Maximam autem invidiam & contemptum pedantibus creat supercilium criticum, & caperatum, quo omnium hominum, & eruditorum generi effronter insultant: contra eos, qui non maximi faciunt Ciceronem, procedendum esse jubent tanquam contra perturbatores publicæ tranquillitatis: adeo temerarii sunt, ut *Livium*, *Terentium*, *Aristotelem* coarguant, linguam suam patriam ignorasse. *Pedantum criticum supercilium.*

(z) *Malebranchius dicit pedantes esse homines falsæ eruditionis, qua fucum faciunt, quique perpetuo græcos & latinos auctores citant, & prosequuntur remotas etymologias vocum.*

(a) *Menkenius Charlatanerie des savans.*

ignoraſſe. Exempla plurima refert *Bailletus* (*b*) *II. parte*, in qua Grammaticorum nævos perſtringit. Denique impenſe pedantibus placet, ſolemnes, communiterque receptos auctorum locos immutare atque invertere, idque paſſim ob frivolas caricoſasque cauſas. *Scriblerus* Poppii uſitatiſſimam jam inde a Virgilii tempore lectionem verſus Æneidos: *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris*, emendandam eſſe ſtatuit: *Trojæ qui primus ab aris* (*c*) &c. pluresque alias ejusdem furfuris correctiones parturiit. Riſum teneatis amici.

Pedantiſmus per omnia officia vagatur.

§. 455. Pedantiſmus per omnia non Scholarum modo, ſed & officiorum civilium genera vagatur. *Wiquefort* appellat *Pedantem politicum* eum legatum, qui ſe nimium adſtringit ad formalitates, & ceremonias, decorum exterum reſpicientes. Monachum, qui in veſtis & domicilii ritibus, atque in arbitrariis conſuetudinibus ſummam ſuæ perfectionis reponit, quin in ipſam intimam ſtatus monaſtici naturam intendat, *Pedantem monaſticum* dicemus &c.

§. 456. Cæterum cum in Scholis plerumque calloſa magiſtrorum placita terere mos ſit, & legum atque præceptionum decantatarum amuſſim ſuperſtitioſe ſequi, cenſentur illi paſſim, qui Scholas olent, etiam pedantiſmum olere; adeoque inidonei ſunt ad elegantias liberalioris conſilii, quibus abundant homines in ſæculi, plurimarumque & perſonarum & negociorum communione enutriti; quanquam Scholaſtica methodus, ſi modo nimia pedantiſmi cura abſit, plerumque & ſolidior ſit, & colligatior. Saniori Logicæ *pedantiſmus* e diametro oppoſitus eſt; nam *primo* non æſtimat res ſecundum ſuum pretium, & valorem, nec delectum earum ſuſcipit *Secundo* neque etiam de iisdem idoneas ſequitur formulas argumentandi (*d*).

CAPUT

(*b*) Baillet Jugement des ſavans.
(*c*) *Poppe in Scriblero.*
(*d*) *Pedantiſmum deſcribit Lucianus in feſto Lapitharum.*

CAPUT VIII.

De Idealiſmo, Fanatiſmo, & Enthuſiaſmo.

Idealiſmus quid ſit?

§. 457. I*dealiſmus* proprie dicitur ea cogitandi, arguendique ratio, quæ omnem corporum exiſtentiam inficiatur, atque iisdem ideas mentis ſubſtituit. Exiſtimant enim Idealiſtæ, fruſtra corporibus locum tribui in rerum natura, a quibus deinde mens, ſubſtantia tota cælo diverſa, varias ideas delibet; cum rationi conformius ſit, ſine his ambagibus recta arceſſere cognitiones a ſolis inditis animæ rerum omnium ideis (*e*); ſed hi profecto ſenſuum experimenta nimis fugaciter expendunt (§. 71.); & amabo! quam fidem mereantur illi homines, qui nunquam extra ſemetipſos egreſſi, de omnibus nihilominus teſtificantur? quique domeſticam ſuam ſuppellectilem vendunt pro rebus ipſis totius univerſi? quaſi vero certus non eſſem, me totum in eorum phantaſmatibus nunquam extitiſſe, alias utique errorem ſuum, in me clare relucentem, & illi agnoviſſent. Fieri vix poſſe exiſtimo, ut hodie in tanto Philoſophiæ lumine quisquam porro inſulſis illorum argutiis adhæreſcat. *Idealiſmo* opponitur in altero extremo errabundus ***materialiſmus***, qui pernegata omni ſpiritualium entium exiſtentia, materiam eſſe cogitationis capacem aſſerit. Quod in Metaphyſica rejecimus.

Fanatiſmus quid ſit?

§. 458. *Fanatiſmus* vocatur illorum methodus cogitandi, qui imaginationis æſtu impulſi, fingendis ideis plus æquo indulgent, quibus deinde confidenter inhæreant, imo tanquam objectis, non e cerebri petulantia hauſtis, ſed veris, atque ab ipſa natura oblatis ſecure aſſentiantur.

Fanatiſmus pronus in errores.

§. 459. Et vero res per ſeipſam loquitur, in quot illuſiones & errores illi incurrere debeant, culpa indomitæ ſuæ vertiginis; cum enim eorum indoles perpetuas ſibi effingat imagines, easque forti veſtigio retineat, neque quieſcat, ſed excitatis mox imaginibus alias & alias adjiciat, fieri omnino nequit, ut in ideas exteras, ſenſuum bene-

(*e*) *Videatur Malebranche Lib. II. De Inquir. Verit. Baylius Art. Zeno. Berkelejus Epiſcopus Hyberniæ, Fardella &c.*

beneficio ſuſceptas, tranquillus animus intueatur, aut etiam eas acute diſpiciat, aut varia earum invicem comparatione judicium verum eliciat. Fortius quippe mentem occupant domeſtica, quam quæ aliunde a ſenſibus adferuntur.

Radix fanatiſmi.

§. 460. Radix itaque totius confuſionis in eo ſita eſt, quod fanatici derelicta naturæ patentis copia & elegantia, neglectaque eandem cognoſcendi ſolicitudine, animum in figmenta laxent, atque ita genuinæ normæ cogitandi ſubſtituant imaginariam, pro numero capitum æſtuantium variam ac diſtributam. Quis verum in iis videat? Veritas eadem ſemper graditur ſemita, atque easdem in univerſum retinet notas ſinceritatis.

Fanatici vulgo creduntur eruditi.

§. 461. Solent tamen plerumque homines, imaginatione valentes, pro eruditis vulgo haberi; nam magni ingenii opus paſſim eſſe creditur, numeroſas ideas ſuo e cerebro repente exſculpere, & novitatis offerre delicias, præſertim ſi agendi vivacitas accedat, & commendatio a felici idearum colligatione. Verumtamen vulgi hoc eſt judicium, quod ſemper in novitates & mirabilia fertur. Vera eruditio repudiatis hiſce fictionum ludibriis in exacta ipſarum rerum notitia obtinetur.

Fanatiſmi variæ ſpecies.

§. 462. Variæ ſunt *fanatiſmi* ſpecies: quidam in negocio religionis eidem indulgent: hi viſiones & revelationes effingunt, non quidem malitia voluntatis, ſed debilitate coërcendi vehementiam phantaſiæ, cujus imagines exiſtimant omni alia ſenſatione eſſe veriores; atque ideo non tam delicti pœnam hi merentur, quam commiſerationem ob infirmitatem ſuam. Agendum tamen ſedulo eſt ſuperioribus, ne horum ſomnia aliorum credulitate alantur (§. 286.). Commentitiæ illæ viſiones ex animi morbo profectæ, valent eundem effectum elicere in aliis hominibus, quem fingentium malitia: res autem ludicras ponere in religioſis utique perverſiſſimum eſt.

Antonia Bourignon fanatica.

§. 463. Sæculo proxime elapſo *Antonia Bourignon*, in rebus fidei, ſi quis unquam, ſumme fanatica fœmina in Hollandia, arcanam ſibi agendorum, credendorumque diſciplinam ſupernis inſpirationibus obvenire dictitabat: Deum ſibi mirabili familiaritate quotidie

tidie colloqui, & pandere, quo pacto ſacrorum inſtaurationi inſiſtere opporteat: conculcare avitos Eccleſiæ mores, & præſulum auctoritatem, novaque ſanctimonia inclareſcere. His deliriis, cum ſupra modum eſſet melancholica, pertinaciſſime inhæſit, & Carteſianam Philoſophiam eſſe fœtum diaboli pertendit, turpiſſimamque hæreſim, in animarum perniciem axcogitatam, propterea quod ad humanarum divinarumque rerum intelligentiam rationis lumine uteretur, quod eſſe peſtiferum, caneque pejus & angue fugiendum, atque ſoli inſpirationi divinæ aquieſcendum ex ipſo Deo ſe didiciſſe aſſeruit. Sola mentis impotentia quodammodo excuſare valet tam effrœnem temeritatem; ſi quis ejuſcemodi impudentem fanatiſmum exercuiſſet in rebus politicis ſubvertendo ſancitas a principibus leges, ille utique proterviæ ſuæ pœnam eliſis faucibus luiſſet; at hæc mitiori fato divinæ voluntatis Tabulas infregit, multosque etiam aſſeclas nacta eſt, fortaſſe, quod eis difficilius fuerit Dei, quam terreni cujusdam principis voluntatem explorare. Unde & alterum diſcimus: fanatiſmum eo ſemper eſſe liberiorem, quo res abſtruſiores ſequitur, atque ab hominum conſuetudine remotiores.

Fanatiſmus in artibus & ſcientiis.

§. 464. Alii fanatici ſunt in ſtudiis, & perſecutione ſcientiarum; atque inter hos rurſum illi eminent cum magna ingenii gloria, qui nova artium ſyſtemata, atque illuſtres hypotheſes condiderunt, veluti *Carteſius* & *Malebranchius*, qui omnia ſe in Deo clare conſpicere dictitabat *(f)*. Et revera ingentem imaginationis vim poſtulat nego-

Malebranchii refutatio.

(f) Fanatiſmus Malebranchii *refellitur 1mo, quod a ſola unione cum Deo omnium rerum naturalium cognitionem repetat; dum docemur experientiam eſſe conſtantem idearum fontem (§. 66.). 2do Si in Deo omnia ſimul & intuitive cernuntur, quis ſibi perſuadeat, hominum ideas, ſingillatim adventantes, & externa duntaxat attributa delibantes in eadem viſione obtineri. Fruſtra Malebranchiani dicunt: ea duntaxat in Deo videri, quæ objectorum occaſio depoſcit: videri candelam in Deo, ſi revera ejuſcemodi adſit candela; hoc enim ſi foret, deberet ad probandam hanc in Deo viſionem recurſus fieri ad candelam, in eo loco exiſtentem; quod utique Malebranchianis diſplicet, quos ſolus Deus de ideis ſuis certos reddit. 3. Si in Deo homines omnia vident & cognoſcunt, quomodo in definitione rerum adeo ab invicem abludunt, non imperiti ſolum, ſed & Philoſophi, & hi ipſi Malebranchiani, cum tamen intellectus divinus uno & invariabili modo res repræſentet. 4. Denique: quomodo ſalva conſiſtet hominum libertas in formatione idearum, ſi omnes a Deo intuentibus conferantur.*

negocium fingendi rerum principia, aut hypothesim cogitandi, cogendique peculiaria quæque in suum ordinem, atque etiam occurrentes difficultates conciliandi, præsertim si argumentum nullam habeat cum experimentis sensuum communionem. Quid autem magni illi viri ex omnibus assecuti sunt? illud equidem, quod publicis sermonibus celebrentur produxisse ingeniosas tabulas, fabulas tamen, quodque ad præcidendum seductionis filum opus fuerit generali quadam eruditorum consensione, novas porro inanesque hypotheses vetare (§. 666.); dum alioquin hodie in omni humanorum negociorum administratione tot fanatici, omnia ad imaginationis suæ normam exigentes, reperiantur.

Fanatici plerumque incorrigibiles.

§. 465. Ejuscemodi fanaticos nec quidquam commonefeceris erroris sui, neque reduxeris ad saniorem mentem; nam ideas suas veras esse persuasissimum habent, quia veræ sunt: nec audiunt, minus expendunt consilia aliorum; ut optimum factu sit, horum indocilium vitare colloquia, nisi forte magis libeat animi & risus causa eorum somnia adiisse.

Enthusiasmus quid?

§. 466. *Enthusiasmus* est vehemens & irretentus ardor agendi, propugnandique res imaginarias, aut ob quandam temperamenti affinitatem, vehementer indolem allicientes. Zelus hic a masculis spiritibus provectus ad grandia molimina inducit, modum tamen plerumque excedit, atque ex magnanimitate in audaciam degenerat. Fundatur itaque *Enthusiasmus* in Fanatismo.

Religio excitat sæpe enthusiasmum.

§. 467. Variæ sunt *Enthusiasmi* species, ac fere tot, quot sunt causæ exæstuationis animorum. Religio, seu potius Zelus indiscretus harum primo reponi loco meretur, quæ quanto altius præ cunctis rebus omnium gentium animos insedit, tanto etiam ferocius sæpe modum excessit, atque ad immanissima facinora, ad humanas cædes & exterminia populorum deflexit obtentu pietatis. *Scythæ*, religionis astro emoti, centesimum quemque eorum, quos prælio superatos ceperant, cruentam hostiam Diis suis immolarunt. *Getæ* multa contentione ambiunt honorem victimæ, idolo suo *Zamolxi* immolandæ; si quis tandem e multis felici hac sorte potitus est, ille jacitur violente supra præacutas sudes: quod si inter aculeos lapsus excepit

excepit lethale vulnus, tum ceu accepta hostia præbet augurium felix obtinendi voti: sin vero vulneri superstes est, tum homo Diis perosus omnium maledictis laceratur. Possitne indignius mansuetudo & innocentia Deorum cum furoribus & laniena permisceri?

§. 468. Refert *Plutarchus* regem quendam Ægypti, ut pronos ad defectionem populos suo dominatui obstringeret, novo astu usum, erexisse variis suorum classibus varias & inimicas animalium species, *lupum*, *canem*, *catum* &c. pro Diis, atque ita hominum studia distraxisse: incredibile est, quanto fervore singuli Deorum suorum susceperint causam; odium, quod natura illas inter deitates posuit, hi in suos cœtus transtulerunt, atque etiam sic auxerunt, ut lupus, agnus &c. sua ad altaria cernerent raptari homines, furoris victimas futuros. Eousque idolomania deliravit!

§. 469. Ut taceam enthusiasmum Imperatorum Romanorum, qui per plura sæcula Deorum suorum causam Zelantes, Christianos persecuti sunt, provinciis innocenti sanguine fumantibus. Legitur de *Cortezio* Hispanorum duce, eundem postquam Mexicanos populos, armis fractos, atque subactos in suam potestatem redegisset, hoc fere sermone appellatum fuisse a quopiam Mexicano: *Domine! ecce quinque e nostris mancipia: si Deus ferus, & crudelis es, pascere eorum carne & sanguine, pluresque tibi porro in edulium adferemus: si Deus bonus es, vide! præsto esse tuis bonoribus thymiamata, & plumas: sin autem homo es, cape fructus & volucres, tibi ubertim allatos.* An non ferus hic Mexicanus humanitate Romanos gentium cultissimos superavit?

§. 470. Sed nec Christiani omnem aliquando effugerunt enthusiasmi labem: compertum est ex historia Ecclesiastica: Christianos veteres, immodico Zelo percitos, templum solis subruisse, quod deinde Ecclesiæ conflavit acerbissimam persecutionem, ut templa passim subverterentur, & sanguine cædibusque Christianorum omnia manarent. Aliàs etiam prodiderunt historiæ, Christianos nimium ferventes maledixisse Mahumeto in facie Saracenorum, qui enthusiastas non solum capite multarunt, sed etiam multas Christianorum Ecclesias solo æquarunt. Præcipitatio mentis in arduis circumstantiis, *Christianorum enthusiasmus.*

ſtantiis, quas enthuſiaſtæ non vident, origo extitit tantarum calamitatum.

Enthuſiaſmus pro patria aut principibus.

§. 471. Alios *enthuſiaſmus* adusque amentiam corripuit amore patriæ, aut principum, quibus eximiæ fortitudinis eſſe facinus videbatur, bona fortunæ, ipſamque vitam eorum cauſa profundere, etſi neque fide, neque ullo officio obſtringerentur, neque ullum etiam pateret exinde conſurgens emolumentum; cum non tam fortitudo, quam veſania ſit, ordinem officiorum, dignitatemque rerum conſervandarum pervertere, & temere ſui ipſius abjicere cuſtodiam, a natura ipſa & ratione cuivis ingeneratam. Quot perduelles cæco amore patriæ aut ſpe obtinendi dominatus ſummis ſe diſcriminibus objecerunt? *Tartari Circaſſii*, in funere principum ſuorum diris vulneribus corpus ſuum cruentant, imo etiam prorogandi luctus cauſa refricant identidem ſua vulnera. Juſtus dolor longe eſt ab inhumanitate alienus.

Enthuſiaſmus eruditorum.

§. 472. Denique & eruditorum collegiis non leves maculas intulit enthuſiaſmus. *Averröes* pertendit: naturam ipſam, antehac valde mancam & imperfectam, in Ariſtotele ſummum perfectionis gradum obtinuiſſe, nec eam ultra quid dignius moliri poſſe (*g*). Theologus nuper quidam Ariſtotelem dixit Chriſti præcurſorem in naturalibus, quemadmodum Joannes Baptiſta in gratuitis (*h*). Alius aſſeruit, doctrinam *Ariſtotelis* non plene intellectum iri usque ad tempora Antichriſti, qui peculiari intellectu præditus ea ad confutandos, ſubjugandosque adverſarios utetur (*i*). Nonnemo Eccleſiam ſine ejus doctrina hallucinaturam fuiſſe deliravit (*k*). Cæca deprædicatio furentium animorum! quid Ariſtoteles paganus ad fidem divinitus revelatam? multa quidem præclara docuit, plura tamen ignoravit, in plurimis etiam erravit; ridiculum Ariſtotelem faciunt hæ enthuſiaſtarum laudes, quibus merito illa Taciti ſententia convenit: *peſſimum inimicorum genus laudantes* (*l*).

§. 473.

(*g*) *Socrate Chretien par Balzac.*
(*h*) *Libro de ſalute Ariſtotelis.*
(*i*) *Alex. Neccam lib. de rerum natura.*
(*k*) *Teſte Fra Paolo in Concil. Trident.*
(*l*) *Tacitus in vita Agricolæ.*

§. 473. Alius Scotista quidam tam admirabilia de Schola sua somniavit, ut toties arderet sanguinem pro illius veritate fundere. Alii demum Theologi Scholæ suæ sententias tuebantur tanta cum rabie, ut vatiniano acerbius odio persequerentur adversarios suos, & libros etiam contra eos describerent, felle & conviciis plenos (*m*). Quorsum hæc inter tranquillas litteras animorum intemperies? quæ ista est immoderatio propugnandi res adiaphoras, & sine delicto in alterutram partem disputabiles (*)? *Enthusiasmus theologorum.*

§. 474. Alii etiam ad enthusiasmum inducuntur severitate legum, & conditionis suæ infelicitate; dum enim sentiunt perpetuis se calamitatibus, communi quodam cæteris omnibus indigenis malo, constanter per omnem vitam obrui, dumque nihilominus ambiunt, supereminere suis contribulibus homines inquieti, fit, ut ardua & vix superabilia aggrediantur negocia, tum ut suis animi impulsibus obsequantur, tum forte etiam, ut finem miseriarum acceleratis passibus contingant. *Enthusiasmus ex infelici conditione.*

§. 475. Id tamen observatu dignum occurrit, quod enthusiasmus cujuscunque thematis magnam habeat vim aliorum animos percellendi, & vel maxime eorum, qui quadam indolis propensione illi themati afficiuntur. Causa hujus esse videtur, quod facta quæque insolita, magno cum fervore suscepta, fortissime illabantur & sensibus, & intellectui, atque ad admirationem inducant, præsertim dum occursu præcipiti moram præcidunt examini: an res, cujus negocium agitur, reipsa talis sit, qualis profertur? an non potius imaginationis vehementiæ accommodetur? *Enthusiasmus percellit animos.*

§. 476. Et revera magna solertia opus est, utne volenti agere fortiter & heroice, enthusiasmus subrepat; cum enim mortalis animus plerumque langueat, atque necessum habeat, stimulos, quos- *Enthusiasmus loco fortitudinis.*

quos

(*m*) *Insigne ejuscemodi specimen Molinistæ contra Thomistas habetur in Theophili Renaudi libro* de infamia Cypriacorum *conscripto, qui rarus est, & suis operibus subjungitur.*

(*) *Videatur Cl. Muratorii Votum sanguinarium.*

quos possit, sibi subdere negocium auspicaturo, facile contingit, ut momenta, ad fervorem excitandum allata, justo efficaciora sint, & cholericum temperamentum ultra limites abripiant, quamvis se existimet versari intra moderationis terminos.

Remedium enthusiasmi.

§. 477. Sed qualenam, aut unde repetendum sit enthusiasmo antidotum? nisi spirituum tumultus coërceri prorsus jam respuat, juverit enthusiastam ad serias reflexiones, atque ad agnitionem suæ vesaniæ conducere: quam omnis veri & justi adsertio in medio incedere modeste debeat: nihil magis adversari humanæ societati, felicitatique, quam immoderationem, temeritatemque agendi; etsi bonum quid exinde nasci videatur, id tamen non durare, sed protinus intercidere: res magnas & publicas, jus vitæ & valetudinis &c. ad supremos magistratus, non ad privatum aliquem pertinere: audaciæ culpam pro materiæ qualitate fieri etiam gravissimam: stultum esse, quisquis sui impos sit, quique præhabeat imaginationis suæ petulantiam omnibus majorum institutis &c. hæcque delectis exemplis confirmare.

Correctio enthusiasmi.

§. 478. Alii corrigi posse existimaverunt effrænes impetus enthusiastarum tacitis redargutionibus in Scena, & agyrtarum ludis, in quibus eorum deliria, ad vivum expressa, in risum & exsibilationem deducuntur; vident quippe suam turpitudinem apertissime in alienis personis, atque in speculis, data opera erectis, quam vehemens passio in semetipsis alte occultabat; hinc laudabiles, & proficuæ juventuti sunt illæ actiones drammaticæ, quæ a peculiarium officiorum repræsentatione *Charactêres* nominari consueverunt, & ample, ingenioseque atque ad contemptum describunt omne genus vitiorum.

§. 479. Alii enthusiasmi medelam repetunt a castigatione corporis: alii a medicorum ope: alii a carcere & vinculis &c. id certum est, difficile esse medelam tanto malo reperiri.

CAPUT

CAPUT IX.

De Analogia, illiusque valore ad argumentandum in plerisque disciplinis.

§. 480. Analogia, quam Cicero latine *comparatio*, aut *proportio* reddidit, est habitudo quædam, atque affinitas, qua res, cæteroquin diversæ, in idem recidere, & velut unum esse videntur. Sic *per montis* analogiam refert cum pede animalis, ob sustentandi officium, utut res sint plurimum diversæ. *Analogia quid sit?*

§. 481. In omni genere rerum analogia præbet argumentandi fundamentum, & persæpe etiam accendit lumen ad verum inveniendum, aut ad abjicienda præjudicia; sic cum ignis omnia corpora dissolvat: cum solo aëre nullum animal nutriri possit, neque etiam exusti cineres denuo redanimari, analogia duce bene redarguuntur erroris narrationes illæ populares, quæ de *salamandra*, *chamæleonte*, *phœnice* circumferuntur. Qui ex analogia, quæ inter leonem *terrestre animal*, & leonem *stellam* intercedit, inferunt, homines, sub leonis constellatione natos, magno intrepidoque animo esse opportere, falluntur; quia *analogia* solius *nominis* est, non *rei*. *Analogia præbet fundamentum argumentandi.*

§. 482. In rebus physicis *analogia* magnum commodum adfert, compendiumque laboris. Quanti amabo! negocii foret, res quasque singillatim expendere, atque earum proprietates & vicissitudines experiri? quam nihil sciremus de corporibus, ad Indos usque & Antychtonas nostro commercio subductis? At horum omnium incommodis *analogia* medetur: hujus ductu de rebus remotissimis, etiam nunquam conspectis, secure pronunciamus, si modo analogiam referant cum illis corporibus, quorum proprietates certis experimentis ipsi cognovimus. Profecto, quia saxum grande apud nos labili ædificio impositum, illud gravitatis vi prosternit, licebit & idem de grandi saxo, apud ultimos Indos ædibus imposito, secure affirmare. *Analogia Physicæ commodat.*

Analogia res inter physicas & mathematicas.

§. 483. Facile equidem & expeditum est, inter res ejuscemodi physicas, patentes, sensibus obvias bonam fundare *analogiam;* at physici, liberius progressi, etiam ejuscemodi analogias constituunt inter res abstractas & mathematicas, atque inter rerum physicarum occultas naturas, imperceptibilesque affectiones, si modo has inter & illas qualisqualis eis videatur affulgere proportio, putantque se rebus physicis adjicere maximum robur, si mathematicas demonstrationes ob analogiam ad eas transferant: sic cum viderent radios lucis ita reflecti, ut angulus incidentiæ sit angulo reflexionis æqualis: cum observarent jactus bombarum arcuatos ad curvam parabolicam accedere &c., subito radiis lucis, & bombis avolantibus mathematicas linearum & parabolarum demonstrationes adjunxerunt.

Audax usus analogiæ.

§. 484. Non raro cum imbecillitate suorum sensuum prohiberentur minimas particulas physicas examinare, confugerunt ad Geometrica elementa, atque ex horum natura illarum proprietates definiverunt: *duritiem* corporum repetierunt a compositione quadratorum minimorum, planis suis arcte incumbentium: *fluiditatem* a conjunctione sphærularum, in punctis mobilibus sese contingentium &c. atque ita de rebus physicis mathematice ratiocinati sunt ob analogiam.

Perperam sæpe corollaria inferuntur ob analogiam.

§. 485. Nonnunquam physicorum experimentorum loco assumpserunt *postulata*, aut *hypotheses*, atque collaria Geometrica ex postulatis illis & hypothesibus intulerunt in res physicas. Cartesiani certo, ut refractionem luminis, ex aëre in aquam subeuntis, explicarent, finxerunt resistentiam novi medii, nempe aquæ, volueruntque hujus resistentiæ causa refractionem fieri, quod allatis Geometrarum angulis analogice etiam demonstrare sibi videbantur; quasi vero securi fuissent de sua illa analogia: quasi vero non habuissent dubitandi, & contrarium sentiendi argumentum in radiis, qui in spiritu vini fortius quam in aqua refringuntur, cum tamen spiritus vini subtilior tantam resistentiam non offerat radiis, quantam aqua grossior. Atque ita etiam in aliis.

§. 486.

§. 486. Cui jam mirum videri possit, tot mathematicas demonstrationes, quæ suapte natura certæ atque infallibiles sunt, in Physicam allatas, nullum habere robur, nullamque certitudinem, imo de eodem sæpius naturæ phænomeno contrarias fieri Geometricas demonstrationes? quia nempe analogia temere constituta est, & falluntur omnino illi, qui propterea quod propositionibus suis physicis ob analogiam apparentem affricuerint Geometricas demonstrationes, eas crepant esse verissimas atque infallibiles; nesciunt quippe, demonstrationes pertinere ad res mathematicas, dum interim rebus physicis tale duntaxat ab iis accedit præsidium, qualis est analogia; analogiam autem has inter & res mathematicas constituere non adeo expeditum est; siquidem res mathematicæ ideas simplices ac determinatas habent, quarum tota natura suis vocibus significatur (§. 35.), ideoque etiam demonstrationibus pronius subjiciuntur, quod in rebus physicis, plerumque compositis, & arcanæ naturæ, soloque externo accidentium apparatu sensibilibus non succedit. *Analogiæ demonstrationes sæpe elumbes.*

§. 487. Optandum itaque foret, ut res tanti momenti, nempe applicatio Geometriæ ad Physicam, quæ nostris temporibus invaluit laudabiliter, (§. 596.) in securiori loco collocetur. Utinam vir quispiam, eximio talento præditus, normam ac regulas aliquando præscribat, quibus opporteat insistere ad justam analogiam, res inter physicas & mathematicas deprehendendam, ut ita eripiantur abusui demonstrationes mathematicæ, atque etiam res physicæ, in vanam speciem demonstratæ, a ridiculo atque a fallaciis vindicentur. *Regulæ optantur ad analogiam faciendam.*

§. 488. Similis cæteroquin est *analogia* humano testimonio, & quemadmodum hoc fallit sæpius, ita & illa, præsertim si ab exteriori duntaxat forma desumatur sine intima rei cognitione: plurimæ plantæ aliis similes sunt, quarum tamen hæ fructus venenatos proferunt, illæ salutares: monstra quædam anthropoformia reperiuntur in regno *Congo*, dicta *Orang-outang*, quæ & externa forma, & agendi dexteritate non magis abludunt ab hominibus, quam silvestres illi homines in *Promontorio Bonæ spei*, quos nulla humana industria, etiam aut Lutetiam, aut Londinum allatos, valuit ad civilem cultum, & elegantiorem sensum efformare. Forte illa monstra *Congo* quilibet *Analogia similis humano testimonio.*

 magis

magis habuisset pro hominibus, quam infantem illum, inter ursorum contubernia in Poloniæ silvis educatum, atque repertum, nullum signum rationalis animæ prodentem, donec tandem post multam operam aliquot verba Barbaro more proferre didicit. Quantum hoc in casu aberrasset analogia? (*n*).

Analogia in rebus moralibus.

§. 489. In rebus quoque moralibus usitatissima est argumentandi ratio ob analogiam: quis nescit, longe aliud negocium olim incubuisse *Soloni*, *Lycurgo*, *Numæ Pompilio*, dum populum quisque suum legibus, & imperio formarunt, quam si hodie aliquis rempublicam, aut communitatem, seu sacram, seu profanam, ad salubria officia efformandam, regendamque susciperet; in hoc tamen omnes mirifice conveniunt, quod; quemadmodum illi leges suas climati, temperamento, & publicis privatisque necessitatibus conformarunt, ita & iste horum omnium rationem habere debeat, pro varia cæli, populi necessitatumque conditione; adeoque hodiernus ille Legislator salubriter ad veterum normam atque prudentiam respiceret, ut ad analogiæ canonem muneris quoque sui partes præclare exequatur. Leges particularibus hominibus olim latæ, diversæ esse possunt ab illis legibus, quibus hodie homines illi subjiciuntur, attamen spiritus legum, & priorum & subsequentium, vi analogiæ, unus idemque erit. Qui olim, cum linguæ latinæ peritia maximi fiebat, servire Reipublicæ debuerunt, eam linguam docendo; hodie, dum jacente latinæ linguæ usu ac necessitate, civium incolumitas alias linguas & disciplinas deposcit, docendo illas alias disciplinas eundem finem obtinebunt analogiæ ductu; siquidem per utrumque idem scopus emolumenti publici contingitur, & spiritus legum diversarum est idem.

Analogia ad historias applicata.

§. 490. Historiis etiam non raro Analogia suppetias tulit. Cl. *Daniel Huetius*, cum res gestas antiquissimorum heroum revolveret, cum expenderet licentiam fingendi ultimorum & pene fabulosorum populorum, eorumque exploratum haberet studium celebritatis,

(*n*) *Abhorremus enim dicere cum* Rousseau, Discours sur l'inegalitè des hommes. *has bestias ex hominibus olim descendisse, quas deinde perpetua silvestris vitæ ratio, & immites assuefactiones, per longam generationum seriem continuo in pignora agentes, ad brutorum conditionem deposuerunt.*

tis, ex inauditis hæbræorum facinoribus in ſuas obſcuras res domeſticas transferendæ, tantam detexit analogiæ utrinque ubertatem, ut pleraque admirabilia illarum gentium ex hæbræis eſſe adſcita, & permutatis nominibus *Adonidem*, *Apollinem*, *Bachum*, *Cecropem Janum*, *Mercurium*, *Minoëm*, *Orpheum*, *Prometheum*, *Rhadamanthum* &c. pro *Moyſe* habendos eſſe, aſſerere non dubitarit.

§. 491. Alius (*o*) nuper infelicius analogia uſus eſt ad affundendam profanis hiſtoriis lucem; pertendit quippe, *Herculem*, & alios quosque in Poëtarum fabulis Deos, fuiſſe per omnia figuram Chriſti, a primis hominibus eo fine inductum, ut imaginem referret Chriſti, & redemptionis myſterium præſagiret: grandem illius animum, pietatem, ſapientiam, tolerantiam &c. fuiſſe humana ſorte majorem, Jovisque filio dignam: illius voluptates, illecebrasque turpitudinis in myſtico eſſe ſenſu intelligendas: bovem eodem prandio ab eo decomeſtum, ſignificare converſionem mirificam gentium ad fidem, & ſacram ingluviem, unico Chriſti ſermone abſolvendam: tot urnas vini, ab eodem ſimul epotas, notare frequentiſſimos populos, Chriſtianis ſacris acceſſuros, qui easdem Chriſto delicias, quas vinum potatori, præbebunt: Laſciviam in Omphalen & alias quingentas virgines Theſpas profuſam, ſignificare unionem Chriſti cum eccleſiis: certamina illius reſpicere ad triumphum Chriſti de Mundo, dæmone, Phariſæis &c. Simili ratione *aprum Calydonium*, *Meleagrum*, *Sybillas*, *Cyclopes* &c. Chriſtianiſmi typos conſtituit. *Analogia impia.*

§. 492. *Celſum* præterea ille Struchtmeyer, & *Porphyrium* & *Jamblichum* male verbis accipit, quod, paganiſmi defenſores cum eſſent, propriæ ſuæ religionis ignoraverint myſteria, eaque in alios transtulerint, quæ in ſolum Chriſtum convertere opportuiſſet. Pudenda ſane argumentatio, & deteſtabilis analogia! quæ epocham adeo nefaſtam, contaminatamque ſceleribus tribuit Chriſtianæ religionis initiis. Qua quidem in re Struchtmeyer impie ſecutus eſt delirum illum Abbatem *Faydit*, qui in amoribus *Corydonis* & *Alexis*, a Virgilio decantatis, adumbrari Dei erga homines amorem effutiit, & omni *Celſus, Porphyrius &c. notatus.*

(*o*) ***Struchtmeyer**, **Profeſſor apud Belgas in Haderwik.***

omni cuique, divinum amorem edoceri cupienti, ad eam Virgilii eclogam esse recurrendum pertendit. In hac sanctitatis & scelerum confusione, quam natura refugit, hi veteratores eruditionis suæ summam reposuerunt.

Ratio bonæ analogiæ.

§. 493. Sed agedum! videamus, eccur *Huetii* argumentatio, ex *analogia* petita, verosimilis atque probabilis sit; altera vero *Strucbtmeyeri* sit impia & execranda? Quia nempe apud Huetium gentes Barbaræ, & veræ religionis expertes Hæbræorum gloriam, divinitus editam, ad se pertraxerunt solo desiderio nominis amplificandi, cumque ignorarent penitus sacrarum rerum præstantiam, eas liberrime impiis suis heroibus attribuerunt, & condiderunt miscellam, virtutum scelerumque communione horrentem; quod utique ab incredulis hominibus tentatum fuisse, quandam offert verosimilitudinis speciem, præsertim cum sacra Moysis, primi omnium gentium scriptoris historia in omnium manus perlata sit, neque etiam modus alioquin pateat, quo fabulosorum deorum, heroumque res gestæ cum principatu Moysis tot locis conspirare potuissent.

Ratio malæ analogiæ.

§. 494. At vero ille *Strucbtmeyer*, præterquam quod sine omni justo fundamento constituerit mysticam analogiam hæc inter & illa, id etiam impium paradoxum adjecit, quod res sacras pudendasque a Deo ipso in mutuum commercium fuisse regestas, atque a fonte sanctitatis dicat intemeratam, cæloque delapsam religionem per infanda scelera fuisse prænunciatam: quod quam atrox, quamque abominandum sit, illi pace mea definiant, qui in blasphemos animadvertere jubentur publica auctoritate. Estque hæc sola omnium securissima ejuscemodi analogias reprobandi ratio, si forte cuidam inconvenienti, aut quod prorsus impossibile sit, innitantur.

Argumentatio a pari est analogica.

§. 495. Denique celebres argumentationes *a pari* in disputationibus Scholasticis ad analogiæ forum pertinent. Illæ cæteris argumentandi speciebus plerumque magis arduæ sunt ad enodandum, neque etiam ab alio, præterquam qui nutantem utrinque analogiam acute perspexerit, feliciter expedientur.

PARS

PARS IV.

De Methodo, ejusdemque neceſſitate.

§. 496. Si pictor omnium, quos haberet, pulcherrimum viridem colorem velit faciei indere, propterea quod cum præcipua hominis pars ſit facies, præſtantiorem præ cæteris colorum elegantiam poſtulare videatur, ille merito deriſui foret, & jure incuſaretur neſciiſſe pulchri coloris uſum facere; Idem prorſus evenit illis, qui, dum pulcherrimas ideas, & argumenta delecta habent, ea loco applicant minime opportuno; nequaquam enim ſatis eſt homini, ad eruditionem & cogitandi præſtantiam adſpiranti, aptas, conformesque rebus ideas comparaſſe: diſpexiſſe acute earum aut nexum, aut repugnantiam: fuiſſe prolixis meditationibus aſſecutum firma argumenta, & habere promptitudinem ea proferendi, niſi apte ad rem, ſuoque loco proferantur; Quod quidem cum præcipuum ſit in omni noſtrarum cognitionum profectu, cumque a methodo dependeat, tradentur hac tandem parte leges & norma, ea, quæ ad bonam methodum faciunt, probe intelligendi. *Methodi neceſſitas.*

CAPUT I.

De Methodo in univerſum, ejusdemque partibus.

§. 497. Methodus eſt *apta idearum, reflexionum & argumentorum diſpoſitio, qua breviter, clare & facile veritatem commonſtramus.* Hæc mutuata a græcis vox ſignificat *viæ inſiſtere* (*p*), ut analogiæ ductu ad viatoris ſimilitudinem in *Methodus quid ſit?*

(*p*) *Græca vox* μεθοδεῖν *ſignificat viam rectam ſequi.*

in terminum, nempe veritatem intenti, facillima & breviſſima ad eandem via connitamur. Quot eruditi faſtidiuntur cum omni ſcientiæ apparatu, propterea, quod vage, confuſe, atque cum tædio rem omnem ſuam depromant.

Methodus variat.

§. 498. Pro eo autem, ac variæ ſunt, & differentes ab invicem materiæ, etiam methodus variat eam aut proponendi, aut demonſtrandi; plerumque tamen in omni quaque methodo perutile fuerit ad ſequentes regulas attendiſſe.

Methodi prima regula.

§. 499. *Primo:* cupienti quæſtionem proponere, aut denodare, illud primum obverſari debet, ut ſtatus quæſtionis meliori, quo fieri poteſt ordine, claritate atque intelligentia exponatur, ut cuivis illico appareat, quid illud demum ſit, in quo cardo quæſtionis atque difficultatis vertitur. Plurimæ quæſtiones male intelliguntur, peſſime pertractantur, judicanturque, quod expoſitio earum indigeſta fuerit, & præcipuum ſcopum non manifeſtaverit.

§. 500. Antequam vero quæſtionis ordo atque partitio ſuſcipiatur, provide diſpiciendum eſt, an quæſtio illa utilitatem ſpondeat, & expoſitionis operam mereatur? anve appoſite ad temporis, loci perſonarumque circumſtantias proferatur? quid enim juvat res nihili ſollicite perſequi, aut deſperatarum quæſtionum (*q*) telam reordiri? ſed neque ſerius animus poterit inter crepundias valorem gravitatemque exercere.

§. 501. Tum vero, ſi quidpiam dignum contentione judicatum fuerit, illud ſermone plano, & convenientiſſimis ideis proponatur; fanatici homines ſunt, & inſani, qui de ingenii laude ſibi blandiuntur, dum propoſitiones adferunt, ſat nonnunquam ſubleſtas, & in trivio natas, quas tamen pro ænigmatis haberi volunt, & neceſſum putant aliis pro earum intellectu tripodem conſulere; nihil hoc aliud eſt, quam rationis & ſocietatis harmoniam divexare.

§. 502.

(*q*) *Ejuſcemodi deſperatæ quæſtiones cenſentur*: lapis Philoſophorum, verum Alcaheſt, *ſeu medicina univerſalis*, quadratura circuli, perpetuum mobile &c. *quas quotquot usque hodie pertractare ſuſceperunt, tot de iisdem nova dubitandi argumenta attulerunt.*

§. 502. *Secunda lex:* excogitentur ad probandam propositionem argumenta firma & convincentia; noscitur quippe ex primis statim argumentis causæ, seu quæstionis firmitas, tanquam ex unque leo; & quemadmodum fortium ejuscemodi argumentorum, in ipso initio triumphantium, energia attentionem animorum conciliat, atque ad assensum disponit, ita elumbis oberratio per aridas ambages fastidium audientibus injicit; & quid attineat precaria argumenta, & voces etiam decorè fluidas ingeminare? si neque scopum feriunt, imo a quovis recte cogitante possint levi brachio convelli; temporis jactura fit & mercatura nugarum. *Secunda regula.*

§. 503. *Tertia regula* jubet partes dispescere propositionis allatæ, easque eo ordine collocare, ut nexus earum, atque consecutio eluceat, & ut mens ex una cognita in alteram naturali quodam processu feratur; incredibile dictu est, quam hic propositionum nexus perturbationes longe arceat, & totum causæ conspectum ob oculos ponat; haud secus ac ille, qui decem paginas alicujus libri numeraret ordine, facile omnibus earum numerum manifestaret, quem non tam facile liceret assequi, si illo interrupto ordine *tertiam*, *primam*, *quartam*, *septimam* &c. repente enunciaret. *Tertia regula.*

§. 504. Ad hæc adjuvat quam plurimum ordinata propositionum series imbecillitatem humanæ mentis, hæc enim dum in una propositione singillatim cognita ansam capit ad alteram procedendi, ex hac in tertiam, egreditur quodammodo angustias suas, & plures in una propositiones intuetur, quæ cæteroquin plura insimul objecta nequit considerare; quod certo non modo mentis securitatem sed etiam extensionem mirifice procurat.

§. 505. *Quarta regula* vult propositionum consecutionem atque nexum ita disponi, ut eæ, quæ planæ sunt, ac simplices, initio promantur, atque his demum compositæ turgentesque succedant; sunt enim simplices illæ ac faciles propositiones veluti elementa, e quorum combinatione consurgunt variæ ac multiplices. Quis voces & sententias legat, qui nullam antea cæpit literarum notitiam? aut quis confidat se perventurum in altitudinem ædificii, si non præsto *Quarta regula.*

 sint

ſint humiliorum graduum ſubſidia? ſic nempe tota natura primum faciliora ſuggerit, ut ardua obtineantur.

§. 506. Verumtamen multa perſpicacia eſt opus ad redigendas in ordinem propoſitiones, atque ad præmittendas ſimplices compoſitis; non præſtabunt hoc homines, niſi qui totam quæſtionis provinciam elevatiori intuitu acute pervideant, qui norint, quid alteri cognitioni præcedere debeat, quid in altera ſubintelligatur, quid fluat ex tertia &c.; inde eſt, quod moleſte & confuſe alios ii doceant, qui generali quidem thematis notitia tincti ſunt, peculiares tamen cognitiones non ſubegerunt undequaque; Tyrones certo ſub ejuſcemodi magiſtris poſt longum ſtudium toti caligant, & perdidiſſe ſe tempus queruntur; quia nempe non edocti ſunt negocium ab ovo ordiri, neque per cohærentes ideas totum artis arcanum intelligere, neque etiam ſecuro molimine illud imitari.

Quinta regula. §. 507. *Quinta* demum regula eſt, ut partes quæſtionis apto ordine ac ſucceſſione devinctæ argumentis ſuis ſingulæ roborentur, probenturque, neve ulla earum claudicet; catenæ ſiquidem unus annulus abruptus omnium cæterorum robur elidit; itaque ne ulla quæſtionis pars aut prætereatur, aut negligatur, juverit omnes collectas iterum revolvere, & num quidpiam iisdem pro valore deſit, ſerio atque iterum ad trutinam revocare.

§. 508. Et hæc quidem eſt generalis idea methodi, atque præcipuæ ad illius formationem leges, quas qui intellexerit, ei nihil porro opus erit earum utilitatem, neceſſitatemque in ſcientiarum & artium proſecutione perſuadere; ſi quis autem ſecus ſentiat, eat ille pace mea ceu delirus Vienna ex Auſtria Romam, tum Venetias, tum Neapolim, tum Florentiam, tum Meſſinam, & Meſſina Viennam redeat, crepetque totus intempeſtis ſuis diſcurſionibus, dum noluit in compendio viarum, Vienna Venetias, Florentiam, Neapolim, Meſſinam negocia ſua expedire.

Methodus duplex. §. 509. Methodus potiſſimum duplex eſt: *Analytica* & *Synthetica*; utraque eundem ſcopum, veritatis inquiſitionem habet; de utraque in ſequentibus capitibus agetur.

CAPUT

CAPUT II.


De Methodo analytica, illiusque præſtantia & uſu.

§. 510. *Methodus analytica* (r) verſatur in eo, ut in veritatem *Metho-*
aliquam generalem inquirat per veritates peculiares, *dus Ana-*
certis circumſtantiis implexas; donec procedendo, *lytica*
& veluti per gradus aſcendendo ad generaliſſimas, univerſalesque *quid.*
veritates deveniatur; nemo enim ignorat, veritates quasdam eſſe peculiares & vicinas, alias generales & remotas, poſt longam peculiarium ſeriem illucentes.

§. 511. Ad uberius explicandam analyſeos naturam placet illius *Exem-*
unum alterumve exemplum adferre. Sit analytice demonſtrandum: *plum Ana-*
animam brutorum non eſſe materialem, quæ eſt veritas generalis & *lyticum.*
abſtracta; procedo itaque primum ad examinandas brutorum actiones, deprehendo canem v. g. ad offam non accedere, alias ultro arreptam, quia nempe nuper ob eam devoratam plagas tulit. Avicula utut leni cantu & cupediis invitetur, non redit in cuſtodiam, e qua caſu ſic ferente nuper ſeſe eliberavit &c. quæ omnia ceu peculiares veritates intueor, & ex illis infero: brutorum actiones eſſe ſpontaneas. Jam vero tranſeo ad inquirendum in materiæ naturam; ſubit mihi in perpetuis phænomenis illius inertia, vi cujus illa ſuis ſe viribus nec movere, nec in alium ſtatum mutare queat, quæ rurſum peculiares & obviæ ſunt veritates, ex quibus omnibus infero generaliorem, & a pluribus abſtractam veritatem, nempe: brutorum animas eſſe non poſſe materiales.

§. 512. Aliud exemplum analyticum ſit ex Geometria: probare *Aliud*
oporteat generalem hanc veritatem, *quod ſi in lineam rectam altera exem-*
linea recta quacunque deſcendat, faciat angulos aut duos rectos, aut *plum.*

(r) *Methodus analytica, ſeu ſimpliciter* ἀνάλυσις *idem ſonat, quod* reſolutio.



duobus rectis æquales. Facio itaque in lineam A B descendere alteram lineam rectam C D, mensuro ope transportatorii angulum D C B, & deprehendo esse 75 graduum; præterea mensuro angulum A C D, & reperio esse graduum 105, quæ sunt veritates patentes oculis. Jam 75 + 105 = 180, seu duplici angulo recto 90 graduum; ergo exinde ducor in veritatem alteram generalem, nempe *a linea recta, quomodocunque in alteram rectam descendente, formari duos angulos rectos, aut duobus rectis æquales.*

Algebræ propria est analysis.

§. 513. Algebraicis propria est *analytica methodus*, quibus analysis est regula certa, quæ ope resolutionum obtinet eum finem qui propositus fuit, in quantitatum cognitione.

Quomodo analysis peragatur?

§. 514. Nemo non videt, in processu analytico inquiri in veritatem per res cognitas peculiares & propinquiores, veluti etiam in causam per effectus; certo qui analytice velit genealogiam alicujus demonstrare, deberet arborem gentilitiam auspicari a proximis cognitis parentibus & avis, atque ita retrogrado ascensu in notitiam remotiorum parentum devenire.

Artes per Analysim inventæ fuerunt.

§. 515. Artes plerumque omnes & scientiæ hac methodo adinventæ fuerunt, lentis indagationibus, atque tentamine repetito; hinc analytica methodus dici etiam consuevit *methodus inventionis (s)*. *Malebranchius (t)* certo impense *Cartesium* dilaudat, hac quod methodo usus a simplicissimis inceperit, omnesque partes examinaverit, antequam ad res procederet generales; qua quidem methodo non modo persuasiones veterum labefactavit, atque abolevit, sed etiam præsidia philosophandi protulit, omnibus retro sæculis emolumento futura.

§. 516.

(*s*) *Veteres ex eo etiam plurimum commendantur, quod tanta cum solicitudine tractaverint de inventione rerum & argumentorum, unde factum est, ut plerique ample & solide quæstiones suas conficerent; at hodierni doctores solam fere demonstrationem crepant, non tam soliciti res cognoscere, quam demonstrare; hinc jejunas & angustas definitiones atque axiomata usurpant, atque ex his securissime, si diis placet, demonstrant.*

(*t*) *Lib. 6. de inquirenda Veritate cap. 4.*

§. 516. Leges ad quas analytica methodus exigitur, fere sunt sequentes: *imo status quaestionis proponatur plane & accommodate ad intelligendum sine vagis ambagibus.* Quam quidem legem jam superius in omni usu methodi necessariam asserui; pertinet ad hanc methodum nihil necessariae conditionis omittere, nullamque etiam evagationem ad conditiones inutiles tolerare; utrumque horum extremorum officit propositionis claritati, & demonstrationis negocium interrumpit. ***Prima regula analyticae methodi.***

§. 517. *Altera* regula est, ut postquam propositio meliori, quo licuit, ordine constituta est, suasque in partes digesta, ut inquam primo ad obvia, & omnibus apparentia phaenomena convertamur, ex quibus demum una vel plures illationes fiant, pro ea ac materiae vastitas postularit; quemadmodum superius ad demonstrandam immaterialitatem in animabus brutorum initium ductum est ab actionibus eorum, passim vulgoque notis. ***Secunda ejusdem regula.***

§. 518. *Tertia* regula est, ut phaenomena & veritates obviae, ex quibus illationes fieri oporteat, sedulo examinentur, & perenni meditatione familiaria menti fiant; nunquam praepropere liceat e quibusdam, non sat perpensis judicare, cum judicium longe aliud subsequi soleat de rebus diu multumque tritis, quam primo earum intuitu tulissemus. ***Regula tertia.***

§. 519. *Quarta* regula est, utne plura obvia phaenomena, peculiaresve veritates de objecto, in quaestionem allato, producantur, quam quae expediant; illa enim amplificarent quaestionem sine emolumento; veluti si quis in superiore *de animabus brutorum* exemplo etiam actiones illorum necessarias & corporales, veluti *videre*, *nutriri* &c. prolixe examinaret, quae omnia ad demonstrationem quaestionis nihil conducunt, cum actiones spontaneae duntaxat momentum demonstrationis includant. ***Regula quarta.***

§. 520. *Quinta* regula est, ut obviae sensibilesque veritates, & ex iis consurgentes aliae, eo ordine ac foedere collocentur, ut appareat sensim; & veluti per gradus quaestionem e particularibus conditionibus consurgere ad generalem veritatem, omni circumstantia- ***Regula quinta.***

rum

rum apparatu carentem; sic namque nemo ambigere poterit, inventam esse viam, particulares res in generalem veritatem resolvendi.

Intellectus perspicacia est optima regula. §. 521. Utut autem allatæ regulæ multam lucem affusuræ sint volenti demonstrationes analyticas parare, præcipuum tamen inter eas locum tenet intellectus perspicacia, & acumen, qui noverit aptiora phænomena, & veritates notiores deligere, ut analyticæ demonstrationis finem assequatur; præsertim cum analytica demonstratio industriæ, & inventionis propriæ opus sit, non semita doctrinæ stabilitæ, qua synthesis procedit. Jam vero ad methodum syntheticam transeamus.

CAPUT III.

De Synthetica methodo, illiusque præstantia, & usu.

Quid Synthetica methodus. §. 522. *Synthetica methodus* est, quæ ex principiis generalibus peculiares veritates demonstrat, atque e causis effectus, & ex *definitionibus*, *axiomatis*, *postulatis* necessaria corollaria deducit. (*u*). Est hæc methodus index eminentis cognitionis ac perspicaciæ, siquidem a summis capitibus orditur, ut particulares veritates, ex iis compositas evolvat; hinc magistris docentibus propria, & pervidentibus omnia quæstionum capita, ac fundamenta.

Quod discrimen inter analysim & synthesin? §. 523. Differt *Synthetica* methodus ab *analytica* in eo, quod analytica semitam commonstret, qua veritates ab assiduis indagatoribus inventæ fuerint, vel saltem inveniri potuerint; Synthetica autem methodus modum suggerat, veritates jam compertas breviter solideque docendi ac demonstrandi; hinc etiam *methodus doctrinæ* appellari consuevit: veluti si quis genealogiam aliquam jam exploratam habeat, ille ab ultimo illius stipite omnem generationis seriem deducit.

§. 524

(*u*) *Synthetica methodus, seu σύνθεσις idem nobis est,* quod compositio.

§. 524. Exemplum syntheticæ demonstrationis sit sequens; probare oporteat: *animam brutorum non esse materialem.* Ponatur primum hoc axioma: *omnis materia est iners, seipsam movere impar,* quod axioma in definitione materiæ fundatur. Inferantur corollaria ex hoc axiomate: nempe *omnes motiones materiæ esse necessarias, ab externo agente caussatas,* ac per consequens non posse eam actiones spontaneas exercere; tum vero hoc postulatum addatur: *actiones brutorum ex observationibus sunt spontaneæ;* ideoque agendi principium, quod brutis inest, nempe anima, esse materialis non potest.

Exemplum syntheticæ demonstrationis.

§. 525. Euclides cum plerisque & recentioribus & veteribus Geometris hac synthetica methodo utuntur ad demonstrationes suas adornandas; præmittunt siquidem *definitiones, aximata, postulata,* quæ ceu propositiones certæ, & in ore omnium positæ facile ac sine controversia conceduntur, atque ab his progrediuntur ad ostendendum, peculiares suas propositiones in illis contineri. Sic volens præcedentem propositionem demonstrare, nempe quod *si linea recta in alteram rectam descendat, duos angulos æquales faciat, aut duobus rectis æquales.* Afferat primo definitiones angulorum recti, obtusi & acuti, inferatur corollarium: *angulum rectum efficere quartam circuli partem,* seu gradus 90: acutum complecti gradus pauciores, obtusum autem plures: inferatur alterum corollarium: *lineam rectam in alteram rectam oblique descendentem spacium complecti semi circumferentiæ,* seu 180 gradus: igitur *linea recta in alteram rectam descendens, faciet duos angulos rectos, aut duobus rectis æquales.*

Synthetica methodus Geometris familiaris.

Exemplum syntheticæ methodi.

§. 526. Nititur autem synthetica methodus his præcipue regulis: *Prima,* quam & analysi, & omni methodo permultum commodare supra insinuavi, est, ut quæstio clariori faciliorique ordine atque sermone proferatur, sic illico patescet, quæ subliminiora principia scopo præcipuo demonstrando oporteat destinare.

Prima regula Syntheticæ methodi.

§. 527. *Secunda regula:* exactæ ideæ assumantur *definitionis, axiomatis, postulati, corollarii* & (§. 506.) perspecta siquidem harum propositionum natura, & vi, demonstrationis quoque energia elucebit.

Regula secunda.

Regula tertia.

§. 528. *Tertia regula:* non assumantur definitiones, nisi bonæ; quid enim licebit ex mala aut dubia definitione arguere, aut inferre? malarum definitionum causa persæpe fit, ut demonstrationes omnino nullæ sint, quas quidam plena cum fiducia, atque ingenii gloria procuderunt (§. 551.)

Regula quarta.

§. 529. Axiomata non ponantur, nisi quæ evidentissima sint, aut quæ jam alias undequaque fuere demonstrata.

Regula quinta.

§. 530. *Quinta* demum regula est, utne quid ad probandum adhibeatur, quod certum evidensque non sit. In brevioribus quidem demonstrationibus facilis ac expedita est ejuscemodi argumentorum allegatio; at in prolixis operationibus, cum singulæ assertiones funtamentis suis stabiliri debent, horum autem expositionem in frequentissimo & repetito recursu nec loci, nec temporis commodum sustinet, satis fuerit ea loca per numeros designasse, in quibus veritates illæ aut primæ, aut demonstratæ reperiuntur; inde est, quod in mathematicorum scriptis singulæ propemodum lineæ excipere videantur plurimas relegationes. Quod quidem totum eo pertinet, ut intelligatur, vetitum esse mathematicis, synthetice procedentibus, vel passum facere suo sine fundamento.

Synthetica methodus juventuti commendatur.

§. 531. Methodum hanc, utut perpetuo fundamentorum insinuatione interruptam, seu potius adstrictam alias juventi impense commendavi (§. 52.); propterea quod volatiles spiritus coërceat, atque de veritate in veritatem ordine procedat.

Wolffius commendat syntheticam methodum.

§. 532. Cl. *Wolffius* impense & ubique hac methodo utitur, eandemque etiam aliis quibusque amplectendam consulit, atque exercendam, non pro Matheseos solum, sed etiam pro aliarum omnium disciplinarum emolumento, propterea quod intellectum mirifice excolat, atque promptitudinem conferat ex perspectis generalibus principiis varias peculiares demonstrationes inferendi; hinc vult Tyrones *Elementis Euclidis*, qui hac methodo incessit, diu multumque exercitari, aitque summos viros, hac methodo non sat subactos, ubi demonstrationes extra Mathesim adornare voluerunt, magnis fuisse difficultatibus implicatos, veluti *Cartesium;* hic quippe argu-

argumentum suum *de existentia Dei* ad formam Geometricæ demonstrationis, quod *Mersennus* ab eo fieri desiderabat, vix ac ne vix quidem reducere valuit (*), ut patet abunde e responsionibus, ad objectiones contra suas Meditationes metaphysicas prolatis.

§. 533. At non desunt alii præstantes viri, hique summi Mathematici, qui rectius juventuti esse incipiendum monent in quacunque arte & facultate ab analytica methodo, e peculiaribus nempe cognitionibus, sensuum & reflexionis beneficio paratis, procedendo ad cognitiones universalium propositionum, *Axiomatum*, *definitionum* &c.; quia *primo* generalia illa principia ex plurium peculiarium observatione oriuntur, neque etiam cognosci potest veritas cujusdam universalis principii, nisi in eo obscure eluceant omnia particularia, e quorum adunatione consurrexit (§. 659.); *tum* quia naturæ & cognitionum ordini omnino conforme est, ut mens ex particularibus & angustis cognitionibus diffundatur ad latiores; *ac tandem* quia hac methodo incedentes inveniunt sibi ipsis quodammodo, ac detegunt primas veritates, quæ menti multo magis, quam aliunde obtrusæ arrident, eidem inhærent tenacius, atque etiam ad aliorum ignotorum cognitiones multo securius manuducunt. Hac semita veteres in inventione artium processerunt, & nuper Cl. *Clairaut* Elementa Euclidis a praxi Geodætica, seu terræ dimensionis exorsus est. *Melius alii analyticam methodum sequuntur.*

CAPUT IV.

De Socratica methodo, & quorundam officiorum methodo peculiari.

§. 534. Socratica methodus ea dicitur, quæ per dialogos, amice institutos, in verum tranquille inquirit, non ostentationis & victoriæ pruritu, sed magis ut veritatis tesseram, consiliorum communicatione partam, candide patefaciat. Methodus hæc directe opponitur, & convellit sophistarum dicacitatem, suis in acuminibus petulcientem. *Quid methodus Socratica.*

Ii 2 §. 535.

(*) *Wolffius de studio Matheseos, recte instituendo. Cap.* 2. *§.* 100.

Unde nomen habent.

§. 535. Nacta est hæc methodus nomen suum a *Socrate*, quod nimirum magnus hic Philosophus totus a natura factus esset ad retundendas sophistarum lites, atque ad normam candide, familiariterque docendi. *Xenophon* multos refert illius dialogos, revera habitos, ut permultis videtur; *Plato* autem dialogos, quibus socratem docentem induxit, suo ex cerebro ad illius imitationem confinxit; quos, qui expenderit, ille videbit utique, quam sublimi indagine summa doctrinæ capita in iis mathematicorum more perstringantur; fit enim initium ab indubiis propositionibus, & super iis adversarii mens exquiritur.

Socraticæ methodi regula prima.

§. 536. Leges methodi Socraticæ fere sunt sequentes: ***Prima:*** ineatur dialogus cum adversario discendi animo, non docendi. Ex legis hujus observatione duplex commodum enascitur, alterum nimirum arguenti utile, alterum adversario; arguens siquidem docilem se præbebit, quod præcipuum est concertantium ornamentum, & quamvis de veritate suæ sententiæ securus sit, id tamen porro assequetur, ut ex oppositis alterius argumentis nova lumina, majoremque amplitudinem sententiæ suæ consciscat (*x*); adversarius autem æqua se haberi sorte sentiens, & suo etiam ingenio honorem deferri, comius veritatem admittet; cum Doctoris supercilium plerumque nimis acerbum sit, ut sustineatur.

Regula secunda.

§. 537. *Lex Secunda* est: quod si adversarius obscuris, dubiisque vocibus utatur, adeoque sensum quæstionis reddat implexum, rogandus perhumaniter erit, ut clarius sese explicet; nihil quippe efficacius adversarium inducere valet, ad revelandam omnem suam mentem, ipsamque suam fallaciam, quam cum obscuritatis penetrandæ nos esse impares, & quodammodo tardos ad intelligendum exhibemus.

§. 538.

(*x*) Plato in Alcibiade: μάλιστα ἴδιον Σωκράτης μηδέποτε παροξυνθῆναι ἐν λόγῳ, μηδέποτε λοίδορον προσενήνεχθαι, μηδὲν μηδέποτε ὑβριστικὸν, ἀλλὰ τῶν λοιδορούντων ἀνέχεσθαι καὶ παύειν μάχην. *Maxime proprium fuit Socrati nunquam irritari in colloquio, neque quidquam convicii proferre, aut contumeliæ, sed conviciantes ferre, & componere litem.*

§. 538. *Tertia lex* est, ut, si adversarius omnem quæstionis ambiguitatem tollere aut nequeat, aut nolit, eidem per modum dubii definitiones suggerantur, atque num his annuat, interrogetur; quod si ita, plana sternetur ad eum subjugandum via; luculentius quippe nihil est in concertando, quam eum habere veritatis testem, qui mox contradixerit. *Regula tertia.*

§. 539. *Quarta* demum lex est, ut si nullo pacto convenire cum adversario de verborum atque idearum claritate possis, colloquii filum abrumpas; silentium quippe tuum modestia convestitum, palam cunctis faciet, adversarium tuum esse ardelionem, prorsusque inidoneum ad inquisitionem veritatis. *Regula quarta.*

§. 540. Methodo hac disputandi plana, candida, & explicando ingenio peraccommodata usi fuere summi philosophi, ex ipsis etiam Ecclesiæ Patribus, & mirandum sane est, institutum tam luculentum a Scholis recentioribus deseri potuisse; nempe dicacitas & amor pugnandi plerosque in transversum egit, ut non tam in veritatem respicerent concertantes, quam in ostentationem, & fucum. Placuit ex S. *Augustino* dialogum subnectere, Socratica methodo acute institutum. (*y*). *Philosophi & SS. PP. usi hac methodo.*

Ii 3 §. 541.

(*y*) *S. August. lib. 2. soliloquiorum sic argumentatur de animarum immortalitate: R. Tu, qui vis te nosse, scis de esse? A. Scio. R. Unde scis? A. Nescio. R. Simplicem te sentis, anne multiplicem? A. Nescio. R. Moveri te scis? A. Nescio. R. Cogitare te scis? A. Scio. R. Ergo verum est, cogitare te? A. Verum. R. Immortalem te esse scis? A. Nescio. R. Horum omnium, quæ te nescire dixisti, quid scire prius mavis? A. Utrum immortalis sim. R. Vivere igitur amas? A. Fateor. R. Quid cum te immortalem esse didiceris, satisne erit? A. Erit id quidem magnum, sed id mihi parum. R. Hoc tamen quod parum est quantum gaudebis? A. Plurimum. R. Nihil jam flebis? A. Nihil omnino. R. Quid si ipsa vita talis esse inveniatur, ut in ea tibi nihil amplius, quam nosti, noscere liceat, temperabis a lacrymis? A. Immo tantum flebo, ut vita nulla sit. R. Non igitur vivere propter ipsum vivere amas, sed propter scire. A. Cedo conclusioni. R. Quid si eadem ipsa rerum scientia miserum faciat. A. Nullo id quidem pacto fieri posse credo. Sed si ita est, nemo esse beatus potest, non enim nunc aliunde sum miser, nisi rerum ignorantia. Quod si & rerum scientia miserum facit, sempiterna miseria est. R. Jam video totum, quod cupis: nam quoniam neminem scientia miserum esse credis,*

Compilatoris methodus. §. 541. *Compilatoris* munus in eo consistit, ut ea, quæ de re quapiam ad tractandum assumpta, sparsim in aliorum libris reperit, ipse in unum cogat, nullo habito veritatum delectu, aut connexione. Ejuscemodi munere defunguntur passim Lexicographi, aliorum eruditionem consarcinantes, utut ipsi horum nihil, aut valde modicum intelligant; non enim suam doctrinam offerunt, sed aliorum.

Regulæ Compilatorum. §. 542. Methodus, cui *compilatores* insistere debent, his fere legibus nititur: *Prima*, Illius thematis, cujus compilationem suscepit, non prætereat præcipuam aliquam sententiam, aut auctorem magni nominis; sic Philosophorum sententias *de anima* compilaturus, reprehensionem mereretur, qui adlegatis, atque collectis Philosophorum monumentis, *Platonis*, *Epicuri*, *Aristotelis*, *Hippocratis*, *Averrois*, ea ommitteret, quæ nostris temporibus de ea *Cartesius* & *Lokius* adseruerunt; sic quippe mancam thematis notitiam lectori propinaret.

Regula secuuda. §. 543. *Altera* lex est, ne compilator quibusdam sententiis adsiciatur, easve telis, sua e penu depromptis, perdere, aut vindicare satagat; sic quippe suam mercem venditaret, quod contrarium est muneri compilatoris; nisi forte compilatio sit ratiociniis limata, qnam Galli vulgo *raisonneè* nominare solent, qualis habetur in *Dictionario Encyclopædico*, nuper Parisiis gallice evulgato; tum quippe præter sententiarum compilationem etiam veritatis delectus, atque judicium præcipue intenditur.

Plagiariorum character. §. 544. Quod si compilator suppresso cujusdam auctoris nomine, eam sibi doctrinam deberi, temere jactitet, neque fateatur se eam aliunde hausisse, illi plagiarii sordidum nomen inuritur, seu verbis

credis, ex quo probabile est, ut intelligentia efficiat beatum: beatus autem nemo, nisi vivens, & nemo vivit, qui non est. Esse vis, vivere & intelligere; sed esse ut vivas, vivere ut intelligas. Ergo esse te scis, vivere te scis, intelligere te scis. Sed utrum ista semper futura sint, cn nihil horum futurum sit, an maneat aliquid semper, & aliquid intercidat, an minui & augeri hæc possint, cum omnia mansura sint, nosse vis. A. Ita est. R. Si igitur probaverimus semper nos esse victuros, sequetur etiam semper futuros. A. Sequetur. R. Restabit quærere de intelligendo &c.

verbis iisdem plagium suum referat, seu etiam aliis verbis illius suspicionem velet; vult enim impudenter pro suis haberi, quæ aliis debet.

§. 545. Qui autem longo usu & meditatione crebra auctoris cujusdam celebris doctrinam assecutus est feliciter, eamque velut in succum suum & sanguinem convertit; si deinde libere eandem docet, aut in disputationem adducit, etiam intacto auctoris nomine, ne modo inventorem sese venditet, is minime plagiarius censeri debet; ideo enim artes, & scientiæ in commune adferuntur, ut exinde alii delibent, qui certo, quidquid inde didicerint, suum faciunt; an non ridiculum foret, quempiam plagii insimulare, propterea, quod vitam Romuli narret, aut originem idearum a sensatione repetat? quorum illud ex *Livio*, hoc e *Lokio* est assumptum. Honori plagium officit, non doctrinæ. *Qui non sint plagiarii?*

§. 546. *Epitomatoris* munus in eo versatur, ut locuples scriptum, habito delectu in volumen minus conferatur. Præcipuo judicio, ac attentione opus est, ut epitome justam & succinctam scripti normam exhibeat, neve ea ommittantur, quæ illius præcipuam vim, & elegantiam tuentur. Obiter, & perfunctorie auctorem recensere, non est eundem in epitomen redigere. Epitomator molem perdere debet, non doctrinam; hinc suo officio cum dignitate adesse non poterit, nisi auctorem intime pervideat, & intelligat, quid salvo operis scopo abesse possit, quæ item loquendi ratio compendio multa enunciet. *Epitomatoris methodus.*

§. 547. Curet *epitomator*, cum demonstrationes, præsertim longiores occurrunt, quarum prolixitati ob fundamentorum vim, necessitatemque nihil demi possit, totam illam demonstrationem omittere, facta duntaxat illius insinuatione; & necessum quandoque est, in tyronum gratiam ejuscemodi demonstrationes missas facere, ne animis concidant; semper autem perniciosum est, mutilas iisdem obtrudere demonstrationes, atque ita modum iis instillare; hiantes demonstrationes parandi. *Epitomator quandoque omittere potest.*

CAPUT

CAPUT V.

De Logomachia, & eriſtica rabie.

Logomachia quid ſit.

§. 548. Logomachia ex græca origine nobis eſt *inanis pugna verborum, reipſa nihil ſignificans.* Totam hæc logomachia cogitandi præſtantiam peſſumdat; cum enim voces inſtitutæ ſint, ceu inſtrumenta ad ideas mentis ſignificandas, quæ facies eſſe poſſit, ſi derelicto hoc ſcopo, in medio, ad intelligendum aſſumpto, turbidi homines commorantur?

Logomachia omnibus artibus infeſta.

§. 549. Hæc pernicies omnes late artes ac ſcientias contaminavit, præſertim vulgarium Philoſophorum, Theologorumque Scholas hasque ridiculas fecit ſpecie ardoris, & oſtentationis; juvenes namque, qui optimam vitæ ætatem in iis contriverunt, cum veri, bonique ideas haurire debuiſſent, eorum loco didicerunt nodum in ſcirpo quærere, diſputare effronter de lana caprina, temere aliorum dictis inſultare, in voculis refugium ignorantiæ reponere; atque ita ſpem reipublicæ fefellerunt, quam civium contubernio vindicare, ſemper publicæ auctoritatis interfuit (*).

Primus logomachiæ modus.

§. 550. Multis autem depugnat logomachia modis; *primo* de rebus gravibus lites auſpicatur, quæ tamen lites non in res ipſas, ſed in voces duntaxat recidunt, dum alter hac voce hoc, alter aliud quid intelligit; oportuiſſet ſane ante diſputationem de definitione vocis conveniſſe, ſecus diſputabunt ſe invicem non intelligentes: ſic Stoici olim acerrime contendebant cum Peripateticis de *virtute*, nomine virtutis autem hi *moderamen paſſionum*, illi ἀπαθείαν, ſeu *carentiam paſſionum* intellexerunt, quamvis reipſa idem ſentirent: ſic *Epicurus* olim a Peripateticis male verbis habitus eſt, quod voluptatem ſummum eſſe hominis bonum affirmaret, quam tamen alii plerique Philoſophi ceu peſſimam averſabantur; nihil opus erat, quam

(*) Rabelais *in quodam Libri ſui capite inducit duos doctores celebres, diſputantes ope ſignorum, ſignificatione carentium, atque ita Scholarum concertationes ſatyrico ſale acute perfricat.*

quam de idea vocis convenisse, &, de quanam voluptate disputent, determinasse, tum quippe illico controversia evanuisset.

§. 551. Advertamus paulisper animum ad eas controversias, quas indies prope cum tanto animorum æstu agitari experimur, in omnibus prope occurrit hujus logomachiæ Scena: adversariorum alter talem ideam format de voce objecti, in disputationem adducti; ex hac idea varias consequentias infert, atque corollaria, & indignatur adversario suo, quod non videat has sequelas ex objecti illius conceptu aperte evidenterque manare, cum tamen hic adversarius ideam multo diversam conceperit de voce objecti illius, vi cujus perpetuo renuere debet priora corollaria illata; existimant quippe propterea, quod in nomine conveniant, se etiam in idea vocis convenire, quod tamen falsum est, & totius controversiæ caput. *Versatur in mala acceptione terminorum.*

§. 552. Altera Logomachiæ species versatur in inanissimis rebus cum ingenti tumultu, & negligit eas, quæ a dignitate sua, & necessitate commendantur. Quis nesciat vulgares Scholasticos in hoc logomachiæ vado luctari; hi tantam farraginem inutilium quæstionum procuderunt, ut prima cura esse debeat homini, ex illorum septis egredienti, plurimorum oblivisci, quæ ibidem didicerat, si minus velit se incapacem porro reddere doctrinæ solidioris (§. 451.). *Altera species logomachiæ.*

§. 553. Attamen ut illi levidensibus mercibus suis quendam fucum adsciscant, recurrunt ad peregrinas formalitates, obscuras distinctiones & abstractiones, quas nec ipsi, nec alii intelligunt, coacervant syllogismos, assumunt oris austeritatem & sermonis vehementiam, ut aperte innuant, se non tam pro veritate bellum gerere, quam pro victoria, aut saltem umbra victoriæ, quam tum demum plene se assecutos gloriantur, cum alterum modeste agentem clamoribus oppresserunt, ultimum verbum retinentes. Hæc est eorum oblectatio, hic gustus; similem sane habent labra lactucam. Quod si vero rem ipsam severe examinamus, reperiemus, tales perpetuo ab eis quæstiones ex quæstionibus texi, quales nec ipsi solvere possint, quasque vel ideo adinveniunt, ut tempus & adversarios fallant, & ea tantummodo dicacitatem suam effugere patiun- *Scholasticorum præposterus ardor.*

 tur,

tur, de quibus pro susceptis muneris ratione unice loqui, ac disputare oporteret (z).

Logomachiæ similitudo. §. 554. Refert *Camerarius* in vita Melanchtonis, hominem quempiam scelus admisisse; huic, qui forte aderant, suaserunt, ut fuga sibi suæque vitæ consuleret, atque se in latebras conjiceret vicini cujusdam putei: jam grassari lictores, ut eum interciperent, carcere ac tandem morte plectendum. Reus ille, suasoribus obsecutus, in locum indicatum accurrit, cum vero puteum non reperiret, sed rudera duntaxat antiqui putei, redit denuo ad eos, qui ei consilium sese occultandi suggesserant, ægre ferens, ac querulans, puteum ibidem se non reperisse, extare quidem rudera, quæ tamen puteus dici non possint; hunc præsentes fortius inclamare: quidnam referat, aut quidnam in eo obstaculi sentiat, sive puteus sit, sive rudera putei, satis esse, quod locus ille latibulum offerat: non se eo esse missum, ut aquam hauriat, sed ut sese occultet, atque discrimini eripiat. Quibus ille quidem maleficus assentiebatur, attamen urgebat, errorem a suasoribus esse commissum, quod male se explicaverint, puteum prostare dicentes, cum non nisi rudera illius essent; his illi respondent, ille rursum eorum responsis obstat; interea tempus elabitur, adsunt lictores, qui miserum arripiunt, atque in judicium adducunt, ubi pœnam capitis excepit. Ecce! vivam logomachiæ imaginem, & conspectum earum sequelarum, quæ illius protelatione incurruntur.

Logomachorum propria obstinatio. §. 555. Protervia & obstinatio mentis omnem his logomachis præcidit spem capiendi consilia saniora, tam quippe profunde suis ineptiis involuti sunt, ut non audiant, minus expendant, quidquid ab aliis in disputationem afferatur. Alias accepimus, perditam hanc obstinationem quibusdam etiam amentiæ speciem induxisse; veluti *Redo* (*a*) qui cum a teneris Peripateticorum doctrinam perdite amaret, a Galilæo autem ope telescopiorum audiret detecta fuisse nova in cælis phænomena variorum satellitum, quæ Peripateticam de cælorum

(*z*) *La seule chose, dont on n'y parle point, ou presque point, est celle, dont par le titre on fait profession de parler.* Montagne.

(*a*) *Lilienthal in Machiavelismo literario.*

lorum soliditate sententiam everterent; juravit se nunquam oculos telescopio admoturum, ne quidquam Peripateticis adversans renuente animo intueri cogeretur. Hæc nimirum est logomachorum cupiditas inveniendi verum.

§. 556. Similes illi mihi videntur moris atque bucconibus, quibus quodam stultitiæ jure licet, quidquid in buccam venerit, impune effutire; nam & summorum hominum doctrinam proscindunt, & conspuunt, quin eam vel summis labris degustarint. *Neutonum* quidam nuper, ejusdemque universalem gravitationem acerbe insectatus, interrogatus est, quibusnam eam Neutonus fundamentis inædificarit? inventus est, ne minimum quidem illius se unquam aut audiisse, aut intellexisse; quin imo ultro clamitabat, se per omnem Physicam nauci facere mathematicas leges; nempe facilius eis est, imaginationem incitare ad inventionem argumentorum, quam arduas prolixasque theorias pro fundamento sternere. *Logomachiæ audacia.*

§. 557. Alias dum quampiam sententiam refellere suscipiunt, missis lectissimis illius argumentis leviora aggrediuntur, horumque triumpho, veluti opiparo sumpto prandio turgent, cum non nisi glandes & muscas devorarint. *Logomachiæ astutia.*

§. 558. Id autem superat omnem intelligendi vim, quomodo homines illi sine fronte crepare ausint tantam rerum intelligentiam, qui tamen ab omni solida rerum cognitione maxime alieni sunt, neque aliud quid, quam præposteras ideas, conceptus vagos & erroneos, distinctiunculas & profusas voces, nullo sensu præditas, combiberunt, quibus semper ceu supremo refugio utantur; memini sane me adfuisse, cum homo quidam eruditus ingenue juxta ac candidissime fateretur, nostro sæculo varios in veri cognitione progressus esse factos, plurima tamen adhucdum esse, & fore perpetuo in rerum natura, quæ nos lateant, & humanæ mentis aciem eludant; cui præsens forte logomachus illico alte insultavit, & repentem hujus sæculi innovationem literarum coarguens, pertendebat loquacissime ex *Aristotele:* Philosophum, qua talem, debere scire omnis rei causam reddere; possitne majus universalis ignorantiæ argumentum reperiri? *Logomachia usurpata scientia.*

Logomachiæ maledicentia.

§. 559. Omnium tamen procacissimum est illud Logomachorum genus, quod causam suam & fastum intolerabili obtrectatione, atque cum amaris jurgiis tuetur; mox ut hi quempiam modeste sentientem offendunt, quem sibi metuunt fore superiorem, illico in rabiem efferantur, & quem ratiociniis convenire deberent, acerbis injuriis atque omni contumeliarum genere lacessunt, id unice adspirantes, ut illius existimationem coram arbitris infringant; aggrediuntur illos omnes, qui ejus sententiam sequuntur, in hos effundunt omne virus maledicentiæ, & quidquid veteres aut hæretici, aut Philosophi infruniti culpandum, criminandumque deliquerunt, in eos acute transferunt; quod si ne hoc quidem eis sufficere videatur, exacuunt rabiem, objiciunt adversario suo infimos natales, & angustias domesticas, familiarium probra & egestatem, ut hac saltem ratione importunitati concedere, victasque dare manus cogatur. Homines miserrimi! heleboro indigentes, si minus, ceu *Plantini verberones*, plagis sint irrigandi.

Logomachorum aliæ notæ.

§. 560. Has denique notas alii in logomachis adverterunt, quod non ament legere nisi grandes tomos, aspernentur autem lectionem seu citationem minoris formæ voluminum: quodque etiam gravate disputationes publicas adeant, in quibus nullus auditur tibiarum tympanorumque sonus. Omnia hæc nativam referunt cum logomachiæ conceptu analogiam, quæque ea solum de causa a me allata sunt, ut imaginis turpitudine ingenui animi absterreantur sequi eorum vestigia, quorum consortio se subtraxisse, aut saltem non nisi elinguem interfuisse, præcipuum est eruditionis atque victoriæ ornamentum.

CAPUT VI.

De Artibus, nobilissima Philosophiæ parte, & quanti referat eas coluisse?

Artium ætas & necessitas.

§. 561. Hominum & artium eadem est ætas, & ultima harum memoria cum illorum initiis concurrit; siquidem necessitates plerumque, & quandoque etiam luxus irrequietam hominis indolem induxerunt, ut naturæ opera in suum commo-

commodum singulari cum labore, & industria converterent; quod si eo devenerunt, ut objectum, quod intenderunt, feliciter perficerent, tum tota illa collectio, atque dispositio technica regularum, & actionum *Ars* dicebatur; sin vero mens in objecti cujusdam speculatione duntaxat hæsit, & vario præmisso examine illud tandem plene dispexit, tum tota illa collectio technica observationum etiam *scientiæ* nomen obtinuit. De scientiis supra (§. 406.) abunde actum est, hic de artium institutis & provectione agetur.

§. 562. Illæ autem operationes, quæ fortuito aliquod artis opus produxerunt, artis nomen non merentur nisi ex consequenti, quando nimirum post operis conspectum, & agnitam juxta naturæ leges operationum vim, regulæ constitutæ fuerunt; ars quippe non fortuito, sed ex regularum suarum certitudine, cum intentione finis operatur. Id nihilominus verum est, plurimas artium fortuito, & præter operantis mentem esse adinventas; quibus deinde multa meditatione discussis certas regulas & executionis ordinem præscripserunt. *Operationes fortuitæ non sunt ars.*

§. 563. Omnis itaque ars duabus partibus constare debet, *contemplatione* & *operatione*. Contemplatione intelligo cognitionem regularum coordinatarum ad actionem secure instituendam. Operatio autem est earundem regularum ad opus applicatio. Non subsistet sola operatio artificem ad illustria opera, nisi sustentetur artis theoria, seu certarum regularum succursu; neque etiam ampla regularum cognitio multum proderit, nisi operationis methodus accedat; varia namque materia, variis artibus propria, varia item instrumenta & operandi ratio, operanti non exercitato obicem struere sæpe consueverunt, & tentamen frustrari. *Omnis ars Contemplationem & opus habet.*

§. 564. Hinc est, quod gentes illæ, quæ soli patrii, aut educationis vitio, perpetuis bellis & seditionibus nutriuntur, atque ideo neque otium sibi sumunt varias enchireses pertentandi, miseria & sterilitate artificum laborent, careant commoditate & magnificentia, necessumque habeant propriam suam suppellectilem ab aliis gentibus comparandi; quæ quidem inertia tum etiam intolerabilis fit, dum barbari tam feroci arrogantia intumescunt, ut artifices *Artes non sunt bellicosis gentibus.*

 sclavo-

ſclavorum loco habeant, & ſolo imperio ingenium atque induſtriam peſſumdent (§. 244.).

Etiam cultæ gentes in artibus aberrant. §. 565. Inter cultas gentes ſunt permulti, qui magnificos ſe artifices venditant, & omne artis punctum vagis poſſe ratiociniis tolli ſibi blandiuntur; ſed hi plerumque jactatores ſunt (*b*), & falluntur magnopere, multa enim ad variarum artium ſucceſſum requiruntur, quæ nulla alia re, quam experientia magiſtra addiſcuntur, cujus *ars militaris* (*c*), *nautica*, *chemica* &c. plurima exempla ſuppeditat.

Prærogativa artificum. §. 566. Accedit autem artium cultoribus hæc prærogativa peculiaris, quod in artefactis ſuis quandam creandi dignitatem aſſequantur,

(*b*) *Petits maitres.*

(*c*) *Lucius Æmylius apud Livium Lib. 54. cap. 22. dum ad gerendum in Macedonia bellum jamjam abiturus eſſet, utne Senatus Romanus hiſce garrionibus ſe circumveniri, aut conſulis, longe abhinc agentis conſilia vellicari pateretur, hac eum oratione precatur:* vos quæ ſcripſero Senatui, aut vobis, credite, rumores credulitate veſtra ne alatis, quorum auctor nemo exſtabit. Nam nunc quidem, quod vulgo fieri hoc præcipue bello animadverti, nemo tam famæ contemptor eſt, cujus non debilitari animus poſſit. In omnibus circulis, atque etiam, ſi diis placet, in conviviis ſunt, qui exercitum in Macedoniam ducant: ubi caſtra locanda ſint, ſciant, quæ loca præſidiis occupanda, quando, aut quo ſaltu intranda Macedonia, ubi horrea ponenda, qua terra, mari ſubvehantur commeatus, quando cum hoſte manus conſerendæ, quando quieſcendum ſit. Nec quid melius faciendum ſit ſtatuunt, ſed quidquid aliter, quam ipſi cenſuere, factum eſt, conſulem veluti dicta die accuſant. Hæc magno impedimento res gerentibus ſunt; neque enim omnes tam firmi, & conſtantis animi contra adverſum rumorem eſſe poſſunt, quam Fabius fuit, qui ſuum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam ſecunda fortuna male rem gerere. Non ſum is, qui non exiſtimem admonendos duces eſſe, imo eum, qui de ſua unius ſententia omnia gerat, ſuperbum judico magis, quam ſapientem. Quid ergo eſt? primum a prudentibus, & proprie rei militaris peritis, & uſu doctis monendi imperatores ſunt: deinde ab his, qui interſunt gerendis rebus, qui loca, qui hoſtem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut navigio participes ſunt periculi. Itaque ſi quis eſt, qui, quod e Republica ſit, ſuadere ſe mihi in eo bello, quod geſturus ſum, confidat, ne deneget operam Reipublicæ, & in Macedoniam mecum veniat, equo, tabernaculo, viatico etiam a me juvabitur: ſi quem id facere piget, & otium urbanum militiæ laboribus præoptat, e terra ne gubernaverit: ſermonum ſatis iſta præbet urbs, loquacitatem ſuam contineat, nos caſtrenſibus conſiliis contentos futuros eſſe ſciat.

quantur, & res producant, quæ naturæ decus attollunt, his vero perficiendis cum humani artus non sufficiant, ideo manibus suis & oculis nova veluti organa, novos musculos, ideſt varia instrumenta adaptant, quibus felicius contingant operis sui scopum.

§. 567. Cui unquam venisset in mentem priscis temporibus, fieri per artem posse, ut humanis oculis acutior quidam sensus succresceret, observandi aut remotissima in cælis corpora, aut minutissimas, planeque imperceptibiles entitates? quis veterum unquam sperare ausus est, ut, cum nubilo cælo omnis terrarum tractus, omnis stellarum lux interrupta est, securo tamen ductu per vastissima maria naves procederent, & suum in terminum dirigerentur? Impossibile forte dixissent, ut pulvis quidam pyrius, pauca quantitate affusus, saxa & muros rumperet, phalanges prosterneret, Vulcanios montes & terræ motus imitaretur; at hæc omnia recens inventa *telescopia*, *microscopia*, *acus nautica*, *pulvis pyrius* in lucem produxit. Typographicæ artis beneficio tanta est literarum communio: Hydraulici tantas delicias & utilitates in aquis salientibus, antliis incendiariis &c. humano generi commodant; quorum profecto omnium, ne nomina quidem exstarent, nisi majorum nostrorum solertia præcessisset; si quem autem in tanta inventionum luce tædet aut antiquas excolere, aut novis etiam inventionibus vacare, ille non modo injurius est humanis ausibus, & benignæ naturæ, sed aperte etiam ostendit, se ne optare quidem uberiora commode posse.

Variæ artes inventæ cum emolumento.

§. 568. Id extra controversiam est, & naturæ moliminibus valde conforme, artes non subito, sed successione quadam, & per repetita identidem pericula esse enatas. Facies earum sub temporis initium paulo agrestior, sola spe futuræ perfectionis nitebat. Geographiæ, & Astronomiæ specimina, in *Prolegomenis Num.* VI. allata id testantur; neque etiam tanti fieri merebantur ab ullo præterquam a Josephi figmento, citra verisimilitudinem sacris historiis affuto (*d*).

Artes successive creverunt.

§. 569.

(*d*) *Ait Josephus, scientias & artes, cum apud veteres Patriarchas altissime provectæ fuissent, a Noëmi posteris esse duabus columnis, alteri lapideæ, alteri lateritiæ inscriptas, ut hoc modo ignis, & aquarum injuriis ereptæ, posteris conservarentur.* Lib. I. Antiquit. Judaic. Cap. 2.

Divisio artis.

§. 569. Ars apud veteres dividebatur in *definitam*, & in *indefinitam*, seu conjecturalem. Definitam illam dixerunt, cui artifex juxta regularum cognitionem & ductum insistens certum obtinet finem sui operis, veluti *sutor*, *faber lignarius* &c. Indefinitam vocarunt eam, quæ ob certarum circumstantiarum vim scopo suo sæpius aberrat, utut omnis accesserit observatio regularum; talis est *Rhetorica*, *Medicina* &c.

Ars liberalis & mechanica.

§. 570. Alii artem dividere amant in *liberalem*, & *mechanicam*. Liberalis ita nominata est, quod a liberalibus, nobilioribusque hominibus excoli consueverit, cum mechanicam plerumque plebeji, & ignobiles persequerentur, tanquam magis operosam, & sub corporum mole fatiscentem. Hæc divisio fastidium multis ingessit artium mechanicarum, iis præsertim, qui desidiam suam, & lentorem obtentu vilitatis fovent, quasi vero labor & occupatio membrorum deprimeret dignitatem alicujus, cum laudabilis sit, & etiam pretio æstimetur. Sed neque theoria artium mechanicarum cedit liberalibus disciplinis; *mechanica* quippe præcipua est Matheseos pars, nec ullus esse unquam poterit præclarus artifex mechanicus, nisi intellectum habuerit sublimiorum theorematum cognitione illustratum. Cæteri, qui magistrorum duntaxat vocibus innixi, sine theoria, opus construunt, non nisi per abusum *mechanici* dici consueverunt.

Summum pretium artibus tributum.

§. 571. Longe pluris fecerunt mechanicas artes summi homines, pro emolumento humanæ societatis nati, veluti *Bacco Verulamius*, qui artes mechanicas præcipuam esse partem bonæ Philosophiæ existimavit. Celeberrimus ille Gallorum Administer *Colbert* suspexit mechanicas artes tanquam scaturiginem opum, & ubertatis in Republica. Certo qui apud Anglos officinas condiderunt ad construenda *horologia*, *pannos*, *delectissima chalybea instrumenta*: apud Venetos, ad conficiendum *boracem*, & *vitrum*: apud Hollandos, parandi *chartam* &c. apud Austriacos, *cottoniacum*, & *metalli fodinas*: apud Saxones, condendi terram *porcellanam* &c. tantum fecerunt, ac si tot hominum millibus, qui inde victitant, opes hæreditarias transcripsissent; quod profecto provinciis non minus utile, ac salutare est, quam hostes profligasse, aut adjecisse novas patriæ possessiones; hinc est, quod ob magnitudinem emolumenti summi princi-

principes ejuſcemodi officinarum architectis peculiaria privilegia & immunitates conceſſerint, ut ita viciſſitudinibus erepti, conſtantiorem operam cœptis navarent (*e*).

§. 572. Quod ſi jam proficuas has artes, & ſpeculatrices quasdam ſcientias inter ſe contendere libeat, deprehendemus, illarum valorem his non raro plurimum antiſtare; hæ ſiquidem ſæpe humanam indolem ſuis in acuminibus petulcire faciunt, & evaneſcere inter cogitationes ſine ullo emolumento; cum e converſo optimæ artes, operibus irremiſſe vacantes, ſibi, totique humanæ ſocietati ſolatia pariant, & longe ab omni verborum tumultu, totius argumenti vim in artefacto clare, ſenſibiliterque exhibeant. *Artes quandoque præſtant ſcientiis.*

§. 573. Contemptus, quo bonas artes affici non raro videmus, ex eo proficiſcitur, quod eas colant homines rudes, ab omnibus theoriæ præſidiis imparati, & in magiſtrorum ſuorum duntaxat vocibus hærentes; hi ſiccam ſterilemque de arte ſua propria cogitandi normam tenent, nova nunquam inventa attingunt, & vetus perpetuo faſtidium obtrudentes, neque fæcundæ artium ideæ ſatisfaciunt, neque neceſſitatibus, & expectationi Reipublicæ. Hinc videas opes profundi in exteros, eorum artefacta charo redimi, dum proprii indigenæ inedia contabeſcunt. Non occurretur malo, provinciarum nervum depaſcenti, niſi pueri, antequam ad artium tyrocinia accedunt, generalibus Geometriæ principiis præparentur; his quippe certiſſimis fulcris ſubnixi liberiorem animum in diſcendo exercebunt, acutius videntes, ac magiſtri ipſi, & varium quique artibus ſuis guſtum, incomparabilesque acceſſiones procurabunt. *Artium tyrones debent per Geometriam præparari.*

§. 574.

(*e*) *Abbas de S. Pierre vehementer inculcavit, ut juventuti variæ artes exhiberentur molitorum, piſtorum, fabrorum, typographorum, horologiariorum, nautarum, agricolarum, variorum opificum, inſtrumentorum item Muſicæ, Matheſeos &c.; hæc enim cum in ſenſus vivaciſſime influant, mentem juventutis mirifice ampliabunt, atque ad diverſas reflexiones conducunt.*

Cl. Neutonus in epiſtola, quam ad nobiliſſimum juvenem Franciſcum Aſtonium, in exteras provincias abiturum, dedit, impenſe eidem commendat, velit diligenter attendere artes, & officinas opificum celebriorum, ut redux in patriam hanc notitiam in emolumentum Reipublicæ convertere poſſit, ceu teſſeram ſumptuum, itineri bene impenſorum.

Methodus promovendi artes mechanicas.

§. 574. Methodus promovendi artes mechanicas cæteris præstantior hæc esse videtur, ut omnis late naturalis historia percurratur, ut advertatur, quæ artis inventa quibusdam corporibus jam accesserint, *vitro*, *chalybi*, *sulphuri*, *lanæ* &c? qua via inventores processerint a rudi opere ad elegantius? quanta constantia usi sint fallentibus primis experimentis, donec tandem bravium assequerentur? His omnibus ad ea corpora, quæ artis cura nondum perpolivit, translatis, fiet equidem, ut pro numero variorum corporum, in naturæ historia contentorum, artium etiam incrementa metiamur.

Magni artifices rari sunt.

§. 575. Id porro artibus peculiarem prærogativam adjicit, quod præclari homines, qui artis suæ fastigium attigerunt, pro raris portentis habeantur, & veluti illustres epochas sibi constituant. Quis nescit inter pictores, post felix sæculum *Bonarotæ*, *Carraccii*, *Pauli Veronensis*, *Rubenii*, *Guidonis Rheni*, *Raphaëlis Urbinatensis* &c. vix comparuisse quenquam, qui ad eorum dignitatem assurgeret. Ludit quippe natura quodammodo in his, tanquam in certa volucrum specie (*f*), quæ ubi certo tempore ubertim apparuerunt, nil nisi longum desiderium post se relinguunt; quin imo consurgunt sæpius miri ejuscemodi artifices ex infima plebe, sine omni prævia informatione, sola fæcunda indole subnixi; veluti nuper hominem rusticum Romæ fuisse accepimus, qui machinas usque in illum diem inauditas produxit, & cum omnis theoriæ esset ignarus, id solum mathematicis eruditis reliquit, ut amplas demonstrationes e theoriæ fontibus super suis machinis adornarent.

CAPUT VII.

Series texitur omnium artium, & scientiarum: & spiritus antiquiorum temporum contenditur cum spiritu recentiorum.

è cognitionibus profluxerunt scientiæ & artes.

§. 576. Scientiarum & artium nexum hoc loco adornare juvat, ut intuenti facilius pateat progressus humanarum cognitionum: qua ratione una ex altera profluxerit: quomodo cogni-

(*f*) *Turdi, aut beccafichi.*

cognitiones aliquæ condiderint artes: quomodo aliæ rurſum certis evidentibusque principiis innixæ pepererint aſſenſus ſcientificos; neque aliud quidpiam eſt hic ordo ſcientiarum & artium, quam hiſtoria & progreſſus humanarum cognitionum (*g*).

§. 577. Revocabo autem omnes has cognitiones ad triplicem claſſem; in prima collocantur *cognitiones ſimplices*, ſeu *reminiſcentia:* in altera cognitiones examinantes, ſeu *reflexiones:* in tertia tandem *imaginationes*, ſeu cognitiones productrices. *Perceptio ſimplex* ſeu reminiſcentia complectitur omnem late *hiſtoriam:* reflexio omnes *Philoſophicas facultates*: imaginatio *Poëſim*, *aliasque affines diſciplinas*. Quod mox uberius oſtendam. *Cognitionum tres claſſes.*

Prima claſſis hiſtoriarum.

§. 578. Perceptio viva, ſeu reminiſcentia occupatur in hiſtoriis, & factis præteritorum temporum: hiſtoria eſt triplex: *ſacra, profana, naturalis;* quæ omnes in unam narrationem coactæ dicuntur *hiſtoria univerſalis;* quamvis vix ullus eorum, qui univerſalem hiſtoriam condiderunt, unâ complexi ſint naturæ hiſtoriam. *Hiſtoriæ partitio.*

§. 579. *Hiſtoria ſacra*, vel ſpectat res, longe ante eventum divino afflatu prædictas, & eſt *hiſtoria Prophetarum;* vel enarrat omnem anteactam Eccleſiæ Dei memoriam, atque adminiſtrationem, & eſt *hiſtoria eccleſiaſtica* tum novi, tum veteris teſtamenti (*h*). *Hiſtoria ſacra.*

§. 580. *Hiſtoria profana*, ſeu civilis, altera eſt univerſalis hiſtoriæ pars, cujus fidei commiſſa ſunt exempla majorum, rerum viciſſitudines, fundamenta prudentiæ civilis, illuſtrium denique hominum nomen & fama. Dividitur hæc in hiſtoriam *proprie civilem*, *Hiſtoria profana.*

(*g*) *Ejuſcemodi ſyſtema nuper Cl. Diderot. in Encyclopædia, ſeu Dictionaire raiſonè des ſciences, & longe abhinc magnus Verulamius in admirabili opere de augmento ſcientiarum Reipublicæ literariæ communicavit, quilibet meliore ſua methodo uſus.*

(*h*) *Vide Uſſerii Annales Mundi, Petavii doctrinam temporum, Fleurii Hiſtoire Eccl. Thomaſſini diſciplinam Eccleſiæ, Dodwelli Annalès Paulinos, miſchnam Judæorum, Cotelerii tempora Apoſtolorum, Pingham, Mamachii origines Eccleſiaſticas, Concilia Labbæi, Pagium, Ciampinum, Boſſuetum* &c.

lem, quæ variorum Mundi imperiorum exortum complectitur, normam atque interitum; *in militarem*, quæ exitum, fortunasque bellorum refert; & *literariam*, quæ recolit omnem decursum eruditionis per varias ætates. Quorum omnium notitia aquiritur e variis commentariis, variis antiquitatibus, inscriptionibus lapidalibus, gemmis &c. (*i*).

Historia naturalis. §. 581. *Historia naturalis* continet naturalium corporum phænomena, & eventus; dividiturque trifariam: in *historiam naturæ uniformis*, sibique semper constantis: in *historiam naturæ aberrantis* ad portenta: atque in *historiam naturæ a variis artificibus modificatæ*.

Historia naturæ uniformis. §. 582. *Historia naturæ uniformis* versatur in observationibus rerum cælestium, meteororum, seu in aëre, seu in terra; seu in mari constanter occurrentium, in phænomenis elementorum, ventorum, pluviarum, tempestatum, montium, fluviorum, æstus maris, variorum telluris stratorum, insularum, silvarum &c. in fossilium, metallorum, plantarum, animaliumque variis generibus & speciebus (*k*).

Historia naturæ aberrantis. §. 583. Historia *naturæ aberrantis* ad portenta & monstra, in easdem prorsus species recidit, in quas historia *naturæ uniformis*; usitatus quippe naturæ processus potest in hisce omnibus interrumpi exsuscitatione prodigiorum, in ventis validissimis, pluviis sanguine contaminatis, in novis insulis, & fluviis, terræ motu enatis, flammivomis montibus, metallorum, plantarum, animaliumque monstris.

Historia naturæ, modificatæ per artes. §. 584. Historia *naturæ modificatæ* exhibet varias artes & opificia, quæ naturalibus corporibus superinduunt varium apparatum, ut nempe usum commodiorem præstent. *Aurum* & *argentum* modificant homines monetarii, aurifices, & qui aurum in bracteas, & fila

(*i*) *Vide Histoire universelle depuis le commencement du Monde, jusqu' à present, traduite de l'anglois. Justinum, Herodotum, Thucydidem, Livium, Cornelium fastos Atticos, & alios peculiarium quarumque gentium historicos.*

(*k*) *Vide Zahnii mundum mirabilem, ubi hæc omnia sine inquisitionibus philosophicis refert.*

fila ducunt &c.: *ferrum* modificant fabrorum varii greges, ferrarii, & qui forficibus, ensibus, catenis, falcibus, sclopetis &c. insudant. *Aurichalco* & *cupro* variam enchiresim impendunt cupriarii, fusores candelarii, fibularii &c. *Terras* excolunt figuli, & qui porcellanam conficiunt &c. *Lignum* arcularii, carpentarii, torneatores &c. *Lapides* & *calcem* architecti, sculptores, murarii, lapicidæ &c. *Gemmas* varii incisores & politores. *Pelles* pelliones varii, lorarii, chirothecarii, sutores &c. *Bombycem*, qui fila ducunt, holosericum taffetam, vela &c. texunt. *Lanam* pannifices varii, tibialifices, & innumeri alii vulgarium artium sectatores.

§. 585. Omnis hæc historiarum classis, atque partitio reminiscentiæ est pignus, & tanquam prima possessio suffulcit humanam mentem, ad ulteriores Philosophiæ progressus contendentem.

Secunda classis philosophicarum facultatum.

§. 586. Philosophia cognitiones suas debet reflexioni; hæc omnes cognitas totius universi partes scrutatur, commode tamen in quatuor classes dispescitur, ut infinitum abscindatur. In prima classe sunt reflexiones de *ente in universum*: in secunda reflexiones de *Deo*, cujus cognitionem tum sacra, tum naturæ historia abunde suggerit: in tertia reflexiones de *homine*: in quarta reflexiones de *natura*. Ipsam itaque Philosophiam in quatuor capita partiri bene visum est; nempe in scientiam Generalem de ente, seu *Metaphysicam*: in scientiam de Deo, seu *Theologiam*: in scientiam *de homine*: & scientiam *de natura*. *Philosophiæ partitio.*

§. 587. Scientia generalis, seu *Metaphysica* occupatur in discutienda *entis in universum* sumpti natura, in definiendis illius attributis, existentia, contingentia, necessitate & possibilitate rerum, æterno, transitorio; finito, infinito, virtutis causantis, & exinde dependentis effectus &c. quæ scientia etiam *Philosophia prima* nominari consuevit, aut *Ontologia* (*l*). *Metaphysica.*

(*l*) *Vide Clericum, Corsinum, Antonium Genuensem, Wolfium, Thümigium, Tillotson &c.*

Theologia. §. 588. Scientia *de Deo* dividitur in *Theologiam naturalem* (*m*), e rationis lumine manantem: & *Theologiam revelatam* (*n*), divino nempe teſtimonio innixam. Utraque harum varias ſciſſiones, & ſuperſtitionum ludibria involvit. Ad theologiam etiam referunt alii *Pneumatologiam*, ſeu ſcientiam de ſpiritibus ſeu bonis, ſeu malis. Divini, præſtigiatores, Theurgi, tenebriones magici, & ſagæ innumera de iis fabulantur (*o*).

Scientia de homine. § 589. Scientia *de homine* ſpeculatur conditionem humanorum animorum, ceu præcipuam hominis partem, diciturque *Pſychologia.* Hic rurſum animus cum duplici facultate ſit præditus cogitandi nimirum, & volendi, hinc e Pſychologia duæ facultates progerminant, *Logica* & *Ethica.* Logica cogitandi officium moderatur: Ethica docet ſua cuique officia deferre.

Logica & ejus partes. §. 590. *Logica* triplex officium habet, nempe *recte cogitandi, bene ſe explicandi,* & *rite alios intelligendi* (*p*).

§. 591. *Ratio recte cogitandi* collimat & inquirit in veritatem formatione juſtarum idearum & revelat errorum fontes, reflectit & Judicat juxta certas regulas, ratiocinatur per varias formas; docet methodum demonſtrandi & analyticam & ſyntheticam, item normam expedite alios docendi, delectum faciendi ſtudiorum &c.

§. 592. *Ratio recte explicandi ſe* verſatur in ſermone, ſcriptura & ſignis. *Sermo* expolitur per Grammaticam, Syntaxim, Rhetoricam, verſificatoriam, Criticam, Philologiam. *Scriptura* ſeu typus per calligraphiam, orthographiam, cryptographiam &c. *Signa* conſiſtunt in literis, numeris, notis hieroglyphicis, Algebraicis, chemicis, heraldicis &c. item in geſtu, qui pantomimis eſt proprius.

§. 593.

(*m*) *Vide Clarkium, Stillingfleet, Cudworthum, Parkerum, Wolffium* &c.

(*n*) *S. Thomæ Aquinatis ſumma Theologicà, Dionyſii Petavii Dogmata Theologica, Boſſuet Expoſition de la foi de l'Egliſe* &c.

(*o*) *Vide Scipionis Maffei lucubrationes de Magia.*

(*p*) *Præ cæteris auro cedroque dignum opus eſt Lokii de intellectu humano. Item Arnaldi ars cogitandi, Malebranchius de inquiſitione veritatis, Weiſius de emendando intellectu Cochet la Clef des ſciences, Logica de la Rive, Crouſaz* &c.

§. 593. *Ratio rite alios intelligendi* complectitur facultatem interpretandi seu *Hermeneuticam* (*q*).

§. 594. *Ethica* seu moralis doctrina duplex est: Generalis, & particularis. *Generalis* boni malique naturam atque originem definit in universum, virtutis dignitatem & necessitatem &c. (*r*). *Particularis* officia particularia scrutatur, & leges, variis vitæ conditionibus salutares; hujus ambitu continentur triplicia jura: *Naturale*, *œconomicum*, & *politicum*; quorum duo postrema rursus respiciunt commercia, seu domi, seu foris, seu per maria, seu per terras etiam in remotos fines pertractanda (*s*). *Ethica & ejus partes.*

§. 595. Scientia de natura, seu *Physica* itidem duplex est: *Generalis*, & *particularis*. *Generalis* prosequitur naturam corporum in universum, ejusdemque affectiones generales, extensionem, impenetrabilitatem, motum, vacuum, inertiam &c.: *Particularis* scrutatur peculiaria corpora, ignem, aquam, aërem &c. eorumque proprietates. (*t*). *Physica & ejus partes.*

§. 596.

(*q*) *Vide Budæum, Clerici artem criticam, Meyeri Hermeneuticam, Lamy apparatum Biblicum* &c.

(*r*) *Officia Ciceronis, QQ. Tusculanas, Platonis & Plutarchi moralia, Leibnicii Theodicæam. Debonaire la regle des devoirs, que la nature inspire a tous les hommes.*

(*s*) *Vide Montesquieu Esprit des Loix, Grotium, Puffendorffium, Heineccium. Cumberland, Vitriarii Jus publicum, Florini Oeconomiam, Chomel dictionaire œconomique, Hochberg* Land-Leben, *Savary Dictionaire universel du Comerce. Histoire des Voyages.*

(*t*) *Physicam mathematicis principiis innixam methodice docuerunt Neutonus, Keillius, Wisthon, Desaguliers, Gravesandius, Muschembrækius, La Torre, Martini; veteres Scholastici & Aristoteles in ea vagos, abstractosque conceptus obtruserunt, Cartesiani quoque hypothesibus nimium indulgentes naturam obtorto collo suis figmentis accommodarunt.*

Cæterum, si themata arbitraria, & extra ordinem assumpta spectentur, Bibliothecæ instar physicæ & mathematicæ esse poterunt immortales commentarii, qui quotannis in historia regiæ Academiæ scientiarum Parisiensis, in Transactionibus Londinensibus, in Actis Bononiensibus, Berolinensibus, Lipsiensibus, Petropolitanis, Upsalensibus, Göttingauis &c. publicantur a celeberrimis Academicis, & tantam admirationem ac lucem quotidie humanis rebus affundunt.

Matheseos & Physices inseperabile fœdus.

§. 596. Quoniam vero placuit altissimo opifici universam naturam in certo numero, mensura, & pondere constituere, & omnia etiam particularium corporum phænomena implectere perpetuis motus, quantitatisque legibus; hinc necessario mathematicas disciplinas Physicæ cooptatas oportuit; hæ quippe docent fixas & invariabiles multiplicis quantitatis leges; quisquis sine his in arcana Physices penetralia subire autumat, actum agit, non secus ac illi Scholastici, qui physicas veritates in litigiis & dissensione reposuerunt.

Mathesis pura.

§. 597. *Mathesis* autem duplex est: *pura & mixta.* Mathesis *pura* duabus hisce partibus continetur: Arithmetica & Geometria. *Arithmetica* alia est numerica, vulgaris, quæ numeris absolvitur; alia universalis, quæ literis numerorum loco utitur, & dicitur *Algebra.* Algebra rursum vel est *elementaris*, vel *infinitesima;* & hæc rursum aut *differentialis*, aut *integralis.* Eadem prorsus ratione *Geometria* dividitur in *elementarem* Euclidicam, & *sublimiorem*, quæ curvarum theoriam sectatur (*u*).

Mathesis mixta, & ejus partes.

§. 598. *Mathesis mixta*, seu Physico-mathematica, quæ leges mathematicas corporibus applicat, præcipue dispescitur in sex classes: in *Mechanicam, Astronomiam mathematicam, Opticam, Acusticam, Aerometriam, & Artem conjecturandi* de mirabilibus, rarisque eventibus.

Mechanica.

§. 599. *Mechanica*, quæ est scientia motus & machinarum, bifariam dividitur: in *Staticam*, & *Dynamicam. Statica* considerat æquilibrata corpora, nitentia moveri: in fluidis corporibus dicitur *Hydrostatica. Dynamica* vero expendit vires corporum motorum; ad hanc pertinet *Ballistica, Tactica, Nautica, Hydraulica.*

Astronomia mathematica.

§. 600. *Astronomia mathematica*, quæ motum mundanorum corporum persequitur, continet *Cosmographiam*, seu Descriptionem Mundi generalem, cujus rursus species sunt: *Uranologia, Geographia, Hydrographia, Chronologia*, item & *Gnomonica.*

§. 601.

(*u*) *Amplissimam copiam Scriptorum mathematicorum, tum in mathesi pura, tum mixta clarentium, adfert Wolffius Tom. V. Matheseos Universæ.*

§. 601. *Optica*, quæ definit motus quantitatem in lumine, & quidem potiſſimum juxta triplices radios, vel directos, & ſic dicitur *optica*, ad quam refertur *Ars perſpectiva*: vel ex obice reflexos, & dicitur *Catoptrica:* vel demum per diverſum medium refractos, & vocatur *Dioptrica*. *Optica.*

§. 602. *Acuſtica* conſiderat motus quantitatem in ſono, illius vehementiam, repetitionem in variis artificiis phonocampticis. *Acuſtica.*

§. 603. *Aërometria* aëris gravitatem conſiderat, variamque preſſionem. *Aërometria.*

§. 604. *Ars conjecturandi* ſeu *combinatoria* reſpicit quantitatem motus, in miris & inuſitatis phænomenis occurrentem; poſſibile ſiquidem eſt, fallente quopiam operis accidente, ut inuſitatus quandoque effectus nos percellat, non quod luſus naturæ ſit, fortuito, & ſine cauſarum energia productus, ſed quod cauſarum occulta conciliatio non ſubito pateſcat. *Ars conjecturandi.*

§. 605. *Phyſica* naturalium corporum motum, atque conditionem ſpeculatur, atque eodem cum naturali hiſtoria procedit paſſu; omnia quippe illa corpora, quorum notitiam ſuggerit naturalis hiſtoria, ad certas motus regulas a Phyſica revocantur. In has præcipue claſſes Phyſica eſt digeſta: in *Zoologiam*, *Aſtronomiam phyſicam*, *Meteorologiam*, *Coſmologiam*, *Botanicam*, *Mineralogiam*, & *Chemicam*. *Phyſica & ejus partes.*

§. 606. *Zoologia*, quæ animalium propagationem, conſervationem, naturam, ſpecies &c. ſcrutatur, has rurſum partes habet: 1. *Anatomiam*, 2. *Phyſiologiam*, quæ in phyſicam animalium conſtitutionem intendit. 3. *Medicinam*, quæ in valetudinis cura verſatur, eſtque vel *Therapeutica*, cujus membra ſunt Pharmaceutica & *Chirurgia: Hygienna*, quæ morbos averruncat a corporibus, & quidem vel per *Athleticam* roborat, vel per *Coſmeticam* comit; *Pathologia* vel Semeiotica, quæ morborum cauſam, & ſymptomata indicat. 4. *Rem equeſtrem*. 5. *Rem piſcatoriam*. 6. *Aucupium* (*x*). *Zoologia.*

§. 607.

(*x*) *Vide Tabulas anatomicas Albini, Boerhavium, Hallerum, Sydenham, Dictionaire univerſelle de Medicine, Aldobrandi & Geſsneri hiſtoriam anima-*

Astronomia Physica. §. 607. *Astronomia physica* naturam motumque astrorum considerat. Hujus erroneus partus est *Astrologia judiciaria.* (*y*).

Mineralogia. §. 608. *Mineralogia*, quæ ex fossilium, metallorumque historia, ductu quodam altiore, in eorum compositionem, genesim, & naturam inquirit.

Cosmologia. §. 609. *Cosmologia* varias habet itidem partes: *Uranologiam* de cælis, *Aerologiam* de aëre, *Geologiam* de terra, *Hydrologiam* de aquis (*z*).

Meteorologia. §. 610. *Meteorologia*, quæ omnis generis meteora discutit (*a*).

Botanologia. §. 611. *Botanologia*, seu scientia de plantis, dividitur in *Agriculturam*, & horticulturam (*b*).

Chemia. §. 612. *Chemia* partes habet *Metallurgiam*, *Alchemiam*, & *magiam naturalem* (*c*)

§. 613. Quemadmodum objecta historiæ sunt res, in individuo existentes, ita imaginatio objectum ipsa suum sibi effingit ad imitationem entium naturalium, atque in hoc creatricem quampiam virtutem ostentat.

Tertia

animalium, Buffon histoire naturelle, van Swieten, Institutiones medicas, Winterum, Artedi Ichthyologiam, Reaumur. Swammerdam, Resler de insectis, des Landes Recueil de Physique, & d'histoire naturelle &c.

(*y*) *Cassini Derham Theologie Astronomique, Keillii Astronomia Physica, Wisthon, Hallej, Fontenelle pluralité des Mondes Halleji, Maupertuis, Baillii Cometographiam* &c.

(*z*) *Maupertuisii Cosmologiam, Histoire des Voyages. Burneti Theoriam telluris, Wisthon, Bourguet, Maupertuis, & de la Condamine figure de la terre, Scheuchzer, Pluche* &c.

(*a*) *Scipio Maffei de fulmine, Mairan de Aurora Borea, Franklini fulmen electricum* &c.

(*b*) *Tournefort, Ray, Caroli Linnæi historia plantarum, Morison histoire des plantes, Lemmery dictionaire des drogues* &c.

(*c*) *Chemia Boerhavii, Neuman, Pott, Ludolff, Boyle, Becherus, Kunkelius, Stahl, Hoffman, Theatrum Chemicum, Sendivogius, Bernardus Trevisanus* &c.

Tertia classis imaginationis.

§. 614. *Imaginatio* Poëticen, seu fingendi artem respicit, & dividitur percommode in *Poësim sacram*, & *profanam*. Utraque harum est triplex: *narrativa*, *drammatica*, & *parabolica*. *Poësis & ejus partes.*

§. 615. *Poësis narrativa* continet genus *epicum*, *epigrammaticum*, & *fabulosum*. Somnia Romanas etiam philosophicas, veluti *Cartesii* de Principiis, *Bougeant* de animabus brutorum, quas pro dæmunculis habet, *Xenophontis* Cyropædia, *Talliamed* de universali productione ex aquis, Satyræ *Martialis*, *Pope* &c. Genealogia Deorum *Bocatii* &c. *Poësis drammatica* complectitur scenas *tragicas*, *comicas*, *lyricas*, quas tanto cum applausu protulerunt *Voltaire*, *Metastasius* &c. *Poësis parabolica* sequitur omne genus allegoriarum. *Poësis narrativa.* *Poësis drammatica.* *Parabolica Poësis.*

§. 616. Referuntur præterea ad fingendi artem plures aliæ, quæ ex imaginationis fertilitate delicias humanæ societati pariunt, & ornamentum, veluti *Musica*, seu *theoretica*, seu *practica*; *instrumentalis*, aut *vocalis*: *Pictoria*, *Sculptoria*, *Chalcographia*, *Architectura*, *Ars monetaria*, quæ novis inventis humanas delicias mirifice amplificant; quemadmodum nuper arcanam methodum pingendi cum cæra, dictam *Encausticen*, veteribus usitatam, plurimis autem sæculis deperditam, denuo inventam fuisse accepimus: artificium versatur in præparatione ceræ, variis vivacissimisque coloribus imbutæ, quæ deinde, retenta ceræ natura, aquis nihilominus dilui, & induci penicillo queat. Ejuscemodi imagines plurimis sæculis ceræ beneficio conservantur. *Varia poëtica.*

§. 617. Jam libeat ex scientiis & artibus animum paulo altius attollere ad considerationem: quo consilio, & quo spiritu homines in iisdem sese exercuerint omni anteacto tempore? spiritus enim hujus genuina imago suppeditat lumina ad recte liberaliterque cogitandum, quod proprie nostri est instituti. Id certum est, peculiarium cognitionum numerum omnino hactenus increvisse; quomodo enim non inclaruissent magis objecta sensuum, & diutissime, & a plurimorum oculis ad nostram usque ætatem observata? hinc forte etiam illæ artes, quæ solis diuturnisque observationibus provehi debuerunt, *Spiritus veterum comparatur cum recentioribus.*

buerunt, digniorem hodie, ac olim, locum obtinent; At vero *ſpiritus* veterum, quo ſcopum artium, & latitudinem earum, utilitatemque eximie complexi ſunt, & admirabili cum facilitate atque ordine diſcentibus expoſuerunt, longiſſime ſuperat indolem recentiorum temporum anxiam & conſtrictam. Quis amabo! medicinæ arcana, & quid in ea, & quomodo quærendum ſit? ſagacius unquam inſpexit divo illo Medicorum ſene *Hippocrate?* quæ perfectior idea ſocietatis & diſciplinæ civilis procurandæ eſſe poſſit, quam quæ a *Solone*, *Lycurgo*, *Socrate*, *Platone* &c. olim eſt tradita & cuſtodita? qui Rhetoricam *Ariſtotelis* attente legerit, præſtantiora ibidem hauriet lumina, quam ſi omnia, quæ in *Quintiliano*, & neſcio quo celebri hodierno *Soario* continentur, indefeſſa induſtria eſſet aſſecutus. Profecto donec ſuus artibus conſtabit honos, ſemper Jurisperiti *Paulum* ſuum, & *Ulpianum* & *Papinianum:* Geometræ *Euclidem* & *Archimedem*: Architecti *Vitruvium:* Belliduces *Alexandrum* & *Julium Cæſarem:* Poetæ *Homerum*, *Lucianum* & *Horatium:* Sculptores *Phydiam*, & *Praxitelem* &c. duces ſuos venerabuntur, quos e primis claſſicorum auctorum ſubſelliis nullus unquam valuit dejicere felix progreſſus poſterorum.

Cur veteres præſtantius cogitaverint?

§. 618. Sed quid quæſo cauſæ ſit, indolis hujus, & *ſpiritus* veterum, tam erecti, tam clari & patentis, atque ad ipſarum artium naturam exacti? quid rurſus ſpiritum recentioris ævi tam conſtrictum, humilemque reddiderit? perperam quidam illud repetunt ex morbo & delirio ævi ſeneſcentis; conſtans quippe & perennis, ut cæterarum omnium rerum, ita & hominum natura eſt, ſi modo antiquis moribus vivatur; igitur prolapſionis hujus ſincerior eſſe cauſa videtur, quod recentiores homines, peculiarium quarundam, & novarum obſervationum ſuavitate allecti, continuo experimenta rerum ſingularium capiant, continuo immorentur puſillis rebus, & veluti in labyrintho concluſi, totam vitam conterant diſcurrentes ex hac in alteram elegantem ſemitam, quin oculos latius circumferant ad exeundum; id eſt: quin altiori mentis intuitu *finem*, *neceſſitatem*, *utilitatemque* artium pervideant; aut etiam meliorem eas tractandi methodum unquam ſint aſſecuti; quorum tamen omnium veteres fuerunt ſtudioſiſſimi. Tum, quod liberrime ad docendum accedant, atque admittantur quique etiam anguſtæ mentis homines, qui

qui in peculiaribus duntaxat obſervatiunculis curioſe verſati, artis totius vim, dignitatemque non intellexerunt, quorum deinde unus centum alios diſcipulos ſeducit, horum iterum unus centum alios & alios, donec ſublimior ille de artibus judicandi ſpiritus pene intercidat. Ac tandem, quod recentiores aut ob ignorationem linguæ, aut ob peregrinas in remotiſſimo ſæculo loquendi, cogitandique formulas neglexerint lectionem & imitationem auctorum claſſicorum. Certo in libris Anglorum, qui omnium nationum maxime vacant lectioni veterum, multo præſtantior ſuccus diffunditur, quam in libris aliorum, qui ex ſingularibus elegantiis, in theatro, & trivio natis, eos conſarcinarunt.

CAPUT VIII.

De notis quibusdam humanæ imbecillitatis, & ignorantiæ.

§. 619. Mirumne ſit, toties a vero aberrare homines, dum nativa lippitudine percuſſi non vident imbecillitatem ſuam, quinimo freti ſecuritate ſua, de rebus quibusque citra moram pronunciant? Hi ut quadantenus coerceantur, viſum eſt clare ob oculos ponere exempla falſorum judiciorum, paſſim occurrentia, quibus admoniti tyrones agnoſcant humanam imbecillitatem, & majori cautela lapſus declinent. Hæ autem ſunt præcipuæ notæ *Imbecillitas propria non agnoſcitur.*

§. 620. I^a^. Imbecillitatis nota eſt, quod mos ſit judicare, & definire liberrime quaſdam res, quarum natura nos prorſus latet, & latebit forte etiam perpetuo: ad occurſum variorum objectorum in ſenſus variæ excitantur in anima ideæ; imo dum dormientis hominis manus, vel pes in aquam imittitur, ſomniabit ille plerumque, manum ſuam, aut pedem in aqua eſſe, & evigilans illius etiam recordabitur; hoc commercium duarum ſubſtantiarum, toto genere diverſarum, corporis nimirum & mentis, ſubito quidam philoſophi explicaverunt per *influxum phyſicum*, alii per influxum *cauſarum occaſiona-* *Prima nota imbecillitatis in explicando commercio mentis & corporis.*

casionalium, alii per *harmoniam præstabilitam*, ut in *Metaphysica* docui; cum tamen modus invicem agendi duarum substantiarum, tantopere diversarum concipi omnino nequeat, nisi intima natura mentis & corporis fuerit detecta, cujus utique nulla nobis imminet spes.

Spirituum cum corporibus familiaritas. §. 621. Multi sunt, qui pertendunt, dæmonas seu bonos, seu malos esse substantias immateriales, quæ nonnunquam cum hominibus ineunt familiaritatem; Jam vero modum hujus commercii inter duas substantias, invicem se contingere non valentes, sic definiunt: quod spiritus seu dæmon corpus sibi ex aëre assumat, vi cujus deinde in sensus humanos influat; quasi vero aër materia non esset, aut facilius spiritui esset, aërem movere, quam afficere sensus; quod si vero dicant: divino imperio fieri, ut aër a spiritu commoveatur; cur breviori via non dicunt, & sensus divino imperio a spiritu affici? sic contingit, dum super ignotis aciem mentis exercemus.

Secunda Nota. §. 622. II. *Nota*, priore deterior, in eo consistit, quod causas se detexisse glorientur homines docti earum rerum, quæ nec in rerum natura unquam extiterunt. Ex quo clarum fit, non modo principia nobis deesse, quæ nos ad omnem veritatem manuducant, sed esse etiam præterea alia pseudo-principia, quæ optime cum rebus falsis, aut prorsus non existentibus conciliari se patiantur.

Antiperistasis. §. 623. Veteres Peripatetici caloris subterranei hyberno tempore in cryptis, & cellis vinariis, ac variantis sub æstatem frigoris causam non sine ingenii gloria definiverunt *antiperistasin*, seu contrariam circumobsessionem, quæ qualitatem intendit, præsente & urgente externo hoste; recentiores autem physici, altiori ab indagine rem repetentes, compererunt, antiperistasim esse figmentum, frigoris subterranei, calorisve vicissitudines non intervenire in cryptis, neque eas esse hyeme calidiores, neque frigidiores in æstate, totum variationis negocium a varia modificatione nostri corporis proficisci.

§. 624.

§. 624. Anno 1593. rumor per omnem Germaniam late obibat, infantem quendam septem annorum in Silesia dentes abjecisse, cui deinde unus molaris aureus succreverit. *Horstius* tum Medicinæ Professor Helmstadii in historia aurei hujus dentis acriter pertendit, dentem illum partim naturalem fuisse, partim ex miraculo, esseque eo peculiari fine a Deo infanti immissum, ut christianos, turcarum incursionibus misere tum prostratos, solaretur. Quis iste sit ridiculus nexus consolationis divinæ cum aureo dente, & turcarum depopulatione? Anno 1595. plures scriptores, inter quos & *Rullandus*, in aureum illum dentem commentaria ediderunt. Duos post annos *Ingolstetterus* Rullandi sententiam refutavit, & rursum Rullandus doctas vindicias eidem oggessit. Haud multo post eruditus quidam *Libavius* omnium priorum de hoc dente sententias redegit in unum volumen, & animadversionibus illustravit. Quanta in explicando illustrandoque hoc eventu sapientum dissensio! nihil in toto negocio, quam facti veritas desiderabatur; examen aurificis tandem detexit fraudem, & dentem non aureum fuisse, sed aurifolio dexterrime superinductum ostendit: tum præposterus inquirendi ordo, ignorantiæ fœtus apparuit; attulerunt causas, ut cuique videbatur, certas phænomeni, quod nusquam extitit, inceperuntque negocium per farragines librorum, & tum demum aurificis examen est subsecutum, quod primo loco fieri debuisset. *Eruditorum vana contentio.*

§. 625. Aliud ejuscemodi specimen exsculpitur ex farragine historiarum, referentium, repertas fuisse in tumbis veterum post multa sæcula *lampades perpetuas* ardentes, quæ tamen subito ad allapsum auræ extinctæ sint. Philosophi non pauci angustæ meditationis, & nimium creduli, illico se contulerunt ad definiendam materiam harum lampadum, causas, & producendi modum; atque reipsa gloriati sunt se ea reperisse, quidam in oleo elicito ex Asbesto, & in clausa phiala per solis radios accenso: quidam in præparatis salibus &c. volueruntque etiam imitari eas lampades, quæ nunquam in rerum natura exstiterunt, neque etiam se cum consumente ignis natura conciliari patiuntur; cum tamen recentiores detexerint, lumen illud in cryptis sepulchralibus inventum, fuisse phosphorum naturalem, e putri materia, longa fermentatione productum, ut testatur Cl. Princeps S. Severi in tractatu suo de *Phosphoris*. *Perpetuæ lampades.*

§. 626.

§. 626. Veteres, & plerique recentiores existimant, eventus quosdam felices, aut infelices non pendere ab hominum virtute & industria, eos contingere multo aliter, atque dispositiones & curæ adhibitæ postularent; horum eventuum effectricem dicunt esse deam *Fortunam*, ex cujus arbitrio omnium illorum eventuum sit evolutio. Cicero, quod ex illius oratione *pro Lege Manilia* discimus, hanc inter præcipuas imperatoris prærogativas numerat, ut *Fortunam* habeat faventem, quæ consilia illius, cæteroquin non sat collimantia, annutu suo in felicem terminum deducat; cum tamen *Fortuna* revera nihil sit, nisi Deitas imaginaria, excogitata ad palliandam humanam ignorantiam, quæ eventuum rationes sufficientes, quandoque sat arcanas, diversimode colligatas, & mentis acumen subterfugientes non advertens, eos directioni deæ Fortunæ, tanquam miracula, præter ordinem causarum producta adjudicat (*d*).

Antipathia & Sympathia.

§. 627. Quid sit *Antipathia*, quid *Sympathia*, celebria illa vulgo nomina? nil nisi aversio animi ab aliquo, aut ex rumore quodam sinistro, aut ex adversis quibusdam externis signis subito concepta; ast passim dicitur Antipathia, externa quædam potestas, imperio suo humanos animos ad aversionem adigens; hinc Martialis: *non amo te Sabidi! nec possum dicere quare? hoc solum possum dicere: non amo te.* Idem de Sympathia est dicendum.

Tertia Nota.

§. 628. III. *Nota* in eo consistit, quod passim illud firmum, ratumque teneamus, quod homines, eruditionis laude florentes, dixerint, aut statuerint, præsertim si illud mirum & insolitum esse videatur. Animarum ex uno corpore in aliud transmigratio (*e*), a *Pythagora*, & *Platone* olim tradita, omnium ore atque sententiis ferebatur, cujus tamen tota ratio ignoratur, imo etiam non paucas contra-

(*d*) *Merito a quibusdam coarguitur imprudentiæ cardinalis Mazarinus, qui pro summa sua in rempublicam potestate, cum tribunos, aut duces exercitus legeret, ex familiaribus illius sciscitari fortunam solebat, cum satius fuisset, illius capacitatem, & indolem explorasse; multo majori prudentia usus est cardinalis Ritheluis, dum* imprudens *&* infelix *dixit esse synonima. Jam olim Aristoteles ajebat:* ubi plus fortunæ est, ibi minus intellectus, *non quod fortunam agnosceret, sed quod hoc nomine significaret eventum non prævisum, aut prævisu difficillimum.*

(*e*) Μετεμψύχωσις.

contradictiones involvit. *Aristoteles* in omni corpore triplex inesse distinctum principium docuit: *materiam primam*, *formam*, & *privationem*, super quo arcano argumento Schola Peripatetica hodiedum cæcorum more tumultuatur. Consulamus historicorum veterum fidem de quibusdam heroibus *Hercule*, *Theseo* &c. de quibusdam fabulosis gentibus; quo magis miris narrationibus afficimur, eo apertius nostram de iis ignorantiam significamus.

§. 629. IV. Plurimi avitam popularium suorum sententiam sequuntur, insuper habentes, quidquid potiori jure decernere oporteat; hinc multæ hominum communitates, proprii emolumenti incuriæ, insistunt inolitæ consuetudini, ignorantiæ culpa, ne quidem ad illorum conditionem assurgentes, quos Poëta sarcasmo perstringit: *video meliora, proboque, deteriora sequor*. Qui provincias procurant, queruntur sæpenumero, invitis se bobus arare, dum populum inveteratæ consuetudinis tenacem nituntur ad meliorem frugem revocare. Austriacis nuper suaderi cœpit, velint plantationi mororum & bombyficio operam navare, esse cælum & clima huic operi sat accomodatum, nec rem esse factu difficilem, eo præsertim anni tempore, quo labores rurales non premunt: amplum lucrum fieri spacio sex hebdomadum ex re, provinciæ admodum necessaria; sed vix adhucdum populum, suis moribus vivere solitum, etiam emolumenta persuaserunt, ut Italos imitaretur. *Quarta nota.*

§. 630. In Asia, præcipue apud Sinenses & Circassios invaluit mos transplantandi variolas cum emolumento & decore juventutis. Illustris fœmina *Wartley Montaigu* salutare inventum Constantinopoli in Angliam traduxit. Post quinquaginta demum annos & Galli hunc morem receperunt, nihil prius consimile agere soliti. Quod acuto cuidam viro nuper occasionem præbuit vaticinandi: si 50. annis opus fuit, ad morem hunc per fretum Caletanum ex Anglia in Galliam transvehendum, effluent forte & sæcula, priusquam in montosam Germaniam penetret (*f*). *Transplantatio.*

§. 631.

(*f*) *Contra hunc Anglorum consuetudinem nuper Cl. Haen doctum commentarium edidit Vindobonæ; sed non defuerunt illico, qui ejus sententiam rursum refellerent.*

Quinta nota.

§. 631. V. Nota eſt: quod homines potiſſimum attineantur in externo apparatu, parum ſoliciti, intimam rei cauſam noviſſe; cum tamen ſæculi corrupti mores, aliud plerumque, quam quod corde gerunt, ſenſibus mentiantur. Quidam tacita vindicta in alterum ardens, ſimulat exquiſita officia, & ſuggerit optima conſilia, eo ſolum fine, ut alterius confidentiam nactus, eum acerbiori caſu præcipitet. Non pauci, qui in principum aulis vivunt, agunt Protheos, in omnem partem verſatiles, præſertim dum cordatos viros deſpici intuentur: non nemo ære alieno lautiſſime vivit, & elato ſupercilio deſpicit eos plebejos, qui ſymbolam ei contulerunt: alius ſuaviſſime influit in alterius aures, ut marſupium illius callidius emungat: Quoties inter Eccleſiaſticos viros factum fuiſſe accepimus, ut Satanas quidam ſe transformaret in angelum lucis, & ſimularet omne genus virtutis ac pietatis, ratus hanc unicam ſibi ſupereſſe viam ad dignitates, & publicæ exiſtimationis gradum pertingendi, cum eſſet ſepulchrum dealbatum, intus & in cute tabidum. Principes non pauci, ut animos vulgi a feriente calamitate avertant, ſolent fictis lætitiis atque tripudiis omnem rempublicam permiſcere. Hæc & ſimilia cum vir cordatus, antiquis moribus vivens intueretur, palam profeſſus eſt, ſe maxima morum ſæculi ignoratione teneri. Sed non eſt hoc ſatis, opportet præterea ſcientem ſæculi ſui corruptelas, prudenter & circumſpecte agere, ne coargui poſſit, multo aliter egiſſe, quam præſens rerum ſtatus exigebat.

Sexta nota.

§. 632. VI. Quorundam auctorum vivida imaginatio, elegante fluxu verborum conveſtita, pollet magna vi auditorum animos ſubeundi, eosdemque ſuavi faſcino pertrahendi in ſuam ſententiam, utut plerumque id non intelligant, cui aſſentiuntur (*g*). *Tertullianus* certo & *Seneca* in quibusdam operibus hanc ſine ratiocinio perſuadendi vim poſſederunt, & complures hodie libri gallici, quos vulgo *œuvres d'eſprit* nominare conſuevimus, veluti *Eſſays de Montagne*, *Voltaire* &c.

§. 633.

(*g*) *L'air du monde, & l'air cavalier ſoûtenus par quelqu' erudition, ſont un effet ſi prodigieux ſur l'eſprit, qu'on l'admire ſouvent, & qu'on ſe rend presque toujours à ce, qu'il decide, ſans oſer l'examiner, & quelque fois ſans l'entendre. Ce ne ſont nullement ſes raiſons, qui perſuadent; il n'en apporte presque jamais, qui ayent quelque ſolidité.* Malebranche Recherch. de la Verité Liv. 2. part. 3. Chap. 5.

§. 633. VII. Alia imbecillitatis humanæ nota in viris eruditis deprehenditur, dum nempe sententiam quampiam, aut placitum, communi calculo probatum rejiciunt, & nova sua figmenta substituunt, ea solum de causa, quod illud nequeant mente concipere; quasi vero imbecillitas fundamentum sufficiens sit, id, quod ignoratur, rejiciendi. Hoc vitium sedem suam fixit in eo, quod eruditi, nonnunquam vanitate elati, existiment, cognitiones omnium rerum jure quodam suo ad se pertinere, licereque sibi, novis, non minus implexis, ideis res definire. Hartsœkerus in horum classe collocari meretur (*h*), qui omnem mechanismi vim ad exercendas varias animalium actiones exterminavit, & effinxit animalibus inesse aliud harum actionum principium, nempe *animam plasticam* seu formatricem (*i*), propterea quod intelligere non valeret, quo pacto cancris amissi pedes per leges mechanicas denuo succrescerent. Hoc vero est prætoriam auctoritatem exercere in rerum cognitione, cum philosophis indagatio duntaxat concessa sit, positis inter opera superioris artificis, humanum ingenium longe superantis. *Septima nota.*

Nn 2 §. 634.

(*h*) *Bibliotheque Ancienne & moderne Tom.* 8. *part.* 1. *Art.* 4.

(*i*) *Hanc animam plasticam dixit Hartsœkerus omnibus animalibus, etiam homini, ac omnibus denique plantis inesse, eo fine, ut constanti solicitudine productioni & conservationi plantarum & animalium vacet: eas animas in universum esse intelligentes; & plantarum quidem animas plasticas occupari germinibus, contra telluris obstacula rectâ educendis, repandere mane teneriores flores, interdiu eos ad solem obvertere, rursumque sub noctem claudere, ne frigoris asperitate lædantur. In animalibus occupatur illa efformandis fœtibus, ut necessum non sit ad perpetuas evolutiones ex ovis, aut vermibus spermaticis confugere; Araneum, recens ex ovo egressum ad texendam telam pro captione muscarum manuducit: tineam, pannos rodentem instruit ad vestem sibi inde formandam: conchylia maris instruit, ut ex glutine exsudante testas & domicilia parent: hominum a tenera infantia moderatur omnes actiones naturales, nutritionis, circulationis &c. medetur vulneribus, cataplasmata siquidem injurias duntaxat rodentis aëris amoliuntur, ne anima plastica præpediatur officio suo defungi in vulneris sanatione, & sexcenta ejusmodi, quæ ab hac anima plastica constantissime in Hartsœkeri sententia producuntur; quæ tamen merito ab aliis exsufflatur, tanquam novis, & gravioribus difficultatibus implicita: undenam veniant hæ intelligentiæ plasticæ? quo devolvantur? cur præbeamus plantis intelligentiam? cur non magis & alias operationes spontaneas? quis Physicæ vel mediocriter peritus non videt in his clare naturæ & mechanismi leges?* &c.

Octava nota.

§. 634. VIII. Ignorantiæ nota eſt, maxima doctorum diſſenſio & lucta in rebus gravioris momenti. Nolim antiquos ſcriptores adducere in medium, interpolatos fortaſſe, aut male a poſteris intellectos; in recentioribus licet hoc patentiſſime intueri. Proficiſcatur quispiam a celeberrimo ſcientiarum emporio Pariſiis ad alteram Muſarum ſedem Londinum, mirabitur ſe verſari in ſumma rerum ac ſententiarum varietate, advertet Mundum ſe Pariſiis *plenum* reliquiſſe, & deprehendiſſe *vacuum* Londini: Pariſiis quippe recepta eſt doctrina *Carteſii*, omnia plena ſtatuentis, Londini doctrina *Newtoni*, vacuum inducentis: Pariſiis Mundus in variis vorticibus commovetur, Londini alia naturæ & motus lex delecta eſt: hi Terram dicunt eſſe ſphæram, alii ſpæroidem depreſſam, alii prolongatam: hi alium ignem, aliam aquam, aliam lucem habent, imo etiam alii homines ſunt, quam illi.

§. 635. Summi Scholaſtici, veluti Doctor angelicus *S. Thomas Aquinas*, Doctor ſeraphicus *S. Bonaventura*, doctor irrefragabilis *Haleſius*, doctor ſubtilis *Scotus*, doctor fundatiſſimus *Ægidius Romanus* &c. in potiori Philoſophiæ & Theologiæ parte contrariis ſe argumentis conficiunt, & chaos variantium ſententiarum inducunt.

Provinciarum luſtratio.

Alii populi in Europa repetunt omnem humanitatis cultum ab initio cum exteris gentibus commercio; hinc juventus nobilis tanta frequentia in remotas provincias excurrit, hinc tanta ſolicitudine aſſumuntur moderatores exteri, luculentis aliarum gentium moribus imbuti (*k*): Alii ex adverſo omnem cum exteris conſuetudinem popularibus ſuis interdicunt, veluti Epidamnii populi, ut eſt apud *Plutar-*

(*k*) *Neglectus mutuus gentium commeatus multam ignorantiam aluit: literatus quidam Sinenſis nuper in Hollandia, ut Voltaire commemorat, ſuperbius appellatus eſt ab erudito Europæo, quod amplam hiſtoriam hæbraicæ, græcæ, Romanæque gentis ignorarent Sinenſes; cui Sinenſis ille: non adeo indecoram eſſe ignorationem hæbraicæ illius anguſtæ gentis, item victoriarum cujusdam Alexandri Macedonis, aut Julii Caſaris, quam eſſe hoſpitem in vaſtiſſima Sinenſium hiſtoria, ignorari facta ab antiquiſſimis temporibus ibidem edita, nihil ſcire de celebritate illius Xixofu Concochigramki, de myſteriis magni Fi pſi hiki, quæ omnium aliarum gentium gloriam longo poſt ſe intervallo relinguunt &c. non enim prius Sinenſes proficiſcebantur ad exteros, neque exteris licebat pedem in Sinenſe imperium inferre; ſic quilibet, qui extera ignorat, res ſuas primo loco celebrat.*

Plutarchum (*l*), rati; antiquos suos mores illorum societate contaminari, atque argenti, deliciarum & passionum æstum ex illis populis in suum sinum recipi; ne tamen privarentur utilitate commercii, & artefactorum suorum mutuo mercatu, magistratum constituerunt, cujus intererat, merces utrinque deducere. Certo Paraguayanis incolis, qui haud ita pridem a suis præsidibus ex silvestri vita in civilem societatem convocati fuerunt, lege cautum est; soli sui ambitu & proventibus contineri, omneque vicinorum Hispanorum consortium declinare, nimirum ne eorum licentiis, ut præsides obtendunt, perverterentur.

§. 636. Ad has contradictiones, humano generi adeo familiares, sublimiori consilio respexerunt quidam sapientes legislatores, veluti *Lycurgus*, ut est apud *Plutarchum*, qui in legibus suis pleraque contraria consocians, furta cum amore Justitiæ, durissimam servitutem cum summa libertate, morum ferociam cum insigni moderamine &c. rempublicam Lacedæmoniorum præclare stabilivit. *Lycurgi prudentia.*

§. 637. IX. Est præposterus ordo, in veri indagatione adhiberi solitus. Dum in plurium consessu consilia conferuntur, ad veritatem e dubiis eruendam, adhibetur scrutinium, & pro majori votorum numero fertur sententia, cum multo satius foret, sobrietate judicantium, quam multitudine permoveri. Sæpius unius sententia multorum calculo præponderat, eorum præcipue, qui passionibus, & mentis languore detinentur; hinc est, quod causidici sæpius querulentur, se causa cecidisse, quæ nitebatur omni certitudine & veritate: contra vero, evicisse se alias præter opinionem & spem, quæ vix probabile suppetebant litiganti argumentum. *Nona nota.*

§. 638. X. Nota imbecillitatis est instabilitas humanæ indolis, & perpetua nutatio ex hoc in aliud. Qui ætatem omnem inter literas traduxerunt, si modo humaniter & candide agere velint, ultro fatentur, se principio amplexatos fuisse quasdam sententias, ceu sancitas veritates, quas tamen, paulo longius progressi, recte abjecerint, atque alias elegerint, itidem non longiori tempore placituras. *Decima nota.*

(*l*) *Plutarchus in Quæstionibus de rebus græcis.*

cituras. Gravissimi auctores ediderunt palam ejuscemodi revocationes, quorum omnium loco vel solum *S. Augustinum* sat est nominasse; hodiedum eruditi nihil frequentius inculcant, quam *ætate, & studio priora placita infirmari*. Verum an illi ipsi eruditi in confecta saltem ætate eo pervenient, ut omnium aliorum probari calculo mereantur? ne hoc quidem assero; nam frequens querimonia est, permultos ejuscemodi viros, perenni meditatione attritos, aut in Pyrrhonismum labi, quod de *Daniele Huetio*, *Petro Baylio* &c. acta literaria nuper prodiderunt: aut multiplici eruditione anxios olere pedantismum, & esse nimios in quarumcunque etiam inutilium quæstionum perscrutatione, cum tamen scientiæ & artes ad emolumentum humanæ societatis, atque ad officiorum cultum unice accommodari deberent.

Undecima nota. §. 639. XI. Nota ignorantiæ est amor disputationis, atque indomita triumphandi libido, ad cujus decretorium applausum plerumque lites componuntur. Corporis adminicula, vox sonora, sermo profluens, ratiuncularum confictio, atque calliditas injiciendi subito perplexas distinctiones palmam plerumque præsagiunt, etiam dum contra adversarium, rectissime sentientem, agitur, qui tamen nesciat ab illis fallaciis suppetias sibi mutuari. Pauci agnoscunt, eum majori cum gloria excedere ex arena, qui modeste, graviter & suspenso animo super difficili quæstione mentem suam aperuerit, quam qui susque deque omnia commiscens vanas captiunculas obtrudit cum elocutionis fastu. Putide certo, & illiberaliter hæc aguntur, & manifestant, ignorantiæ caliginem etiam ex Lycæorum strepitu diffundi. Videantur ea, quæ supra de *Logomachia* dicta fuerunt (§. 548.).

Duodecima nota. §. 640. XII. Ignorantiæ nota in eo occurrit, quod doctissimorum hominum conatus & lucubrationes acerbe a malevolis impetantur cum applausu plurimorum (*m*). Effrœnem ejuscemodi κακοηθείαν olim in *Homerum* exercuit *Zoilus*, dictus Ὁμηρομάστιξ: *Julia-*

(*m*) *Decerpunt sibi quippe ex illorum sermonibus aliquid ambiguum, cumque omnis res varium sustineat proponendi modum, deteriori sensu illud convestiunt, & funditus deturpant.*

Julianus Apoſtata in legem Chriſti evangelicam, ut *Cyrillus* & *Gregorius* teſtantur: In *Hugonem Grotium*, *Puffendorffium*, *Heineccium* nuperus quidam pædagogus, juri naturæ larvam detrahere intentus &c.

§. 641. Quidam facetus auctor apud *Vignieul Marvill* (*n*) præcipuarum ſcientiarum & artium Phyſicæ, Aſtronomiæ, Opticæ &c. præclaris inventis tam dextre illuſit ironicis laudibus, earumque ſectatores adeo lepidis coloribus depingit, ut eos in riſum & ſubſannationem traducat (*o*). *Erasmus Roterodamus* (*p*) cum indelebili odio arderet in doctrinam Scholaſticorum, ſelegit quasdam quæſtiones, ab eis tradi ſolitas, ut eas ſtomàchabundus in ludibrium præcipitet: quam inepta & futilis hæc ſit quæſtio? ait: *An Deus aſſumpſerit individuum humanum? an ſpeciem? an etiam irrationalem creaturam aſſumere potuiſſet?* tum multo impudentius pergit: *An hac propoſitio: Deus eſt ſcarabæus, aut cucurbita, tam poſſibilis ſit, quam hæc: Deus eſt homo*? (*q*)

§. 642. XIII. Ignorantiæ nota eſt torpor humani ingenii, & nativa caligatio, etiam in rebus ſumme utilibus & neceſſariis. Perpetuum ſtudium, vigiliæ, contentiones poſt tot ſæculorum intervalla vix quidpiam profecerunt in multis ſcientiis; profecto medicorum gente vix ulla eſt aut glorioſior, aut incitatior, & tamen hi ipſi

Nota decima tertia.

(*n*) *In Melange de la literature, & de l'hiſtoire.*

(*o*) *Veluti cum dicit: præclarum opticum ruri deambulaſſe, vidiſſeque eminus leporem, velociſſime ſubſequos canes fugitantem; tum ille adhibito protinus microſcopio vidit ad diſtantiam quinquaginta pedum tam denſas exhalationes e concitato lepore propelli, ac ſi fumans titio per aërem raptaretur. Poſſitne lepidum phænomenon cum Opticæ legibus conciliari?*

(*p*) *Ad Cap.* 1. *Epiſtol.* 1. *ad Timotheum.*

(*q*) *Liceat mihi hoc loco emunctæ naris criticum, Erasmum diſtringere paulisper, atque oſtendere, eum ipſum, dum alios cenſoria virgula ferit, præcipuum hunc criticum canonem ignoraſſe; nimirum: nullam fere eſſe in divinis humanisve rebus quæſtionem, quæ minutatim & per omnes ſpecies diſtributa non recidat in aliquid turpe & indecorum, etſi univerſe ac generatim ſpectata nihil indecori innuat. Certo phyſici ſoni propagationem, in tremulo aëris motu repoſitam eſſe eruditè laudabiliterque aſſeverant; ſi jam in ultimas ſpecies honorificum thema diſpeſcatur, quis citra reverentiæ offenſam, tremulum hunc motum aëris in crepitu ventris examuſſim & undequaque definiat?*

ipſi fatentur, jam inde a tempore *Hippocratis* nullam novam cauſam acutorum morborum eſſe detectam.

§. 643. Geographi poſt tot itinera, terra marique ſuſcepta, id effecerunt, ut maximam partem globi terraquei, qui cæteris mundanis corporibus comparatus portio exilis eſt, hodiedum ignoremus, niſi forte dicere libeat, terras illas incognitas ad Geographiæ perfectionem non pertinere; certo poſt fretum Magellanicum usque ad polum antarcticum ingens globi terraquei pars adhucdum incomperta eſt; terræne ibidem ſunt? an perpetua maria? ſi terræ incognitæ ibi ſunt, facile earum ambitus exæquabit vaſtitatem Europæ, Aſiæ & Africæ conjunctarum (*r*). Quid de terræ penetralibus innotuit? ſola extima ſuperficies, quæ rationem habet corticis, pomum involventis. Unius ſolius objecti cognitio & indagatio, veluti *plantarum*, *inſectorum* &c. totam hominis ætatem abſorbet, ſi itaque præſtans eruditio plurimarum cognitionum circulo, ſeu catena continetur, nunquid anguſtia noſtræ cognitionis metitur ignorantiæ noſtræ vaſtitatem?

Nota decima quarta.

§. 644. *Alia* humanæ imbecillitatis *nota*, & modeſte ſentiendi ratio in eo recurrit, quod præcipuis humanorum ingeniorum inventis caſus fortuitus, aut certo rudiſſimorum hominum interventus dederit originem: fortuna factum eſt, ut aquam in tubis hydraulicis ſuſpendi animadverteret olitor florentinus, atque illius phænomeni perveſtigationem induceret acutiſſimum *Galilæum;* ex quo tandem *aërometriæ* leges agnitæ atque ſtabilitæ fuerunt: caſus *Neutono*, grandia in ruſticatione meditanti, obtulit pomorum lapſum ex arboribus, in momento felici, eumque ad *univerſalis gravitationis*, qua univerſi compages efficitur, principium intelligendum manuduxit: pulvis pyrius *a Rogerio Baccone* caſu inventus eſt: puerorum luſus in officina patris teleſcopio fecit initium: quid inter antiquos oraculis atque reſponſis idolorum celebrius? at his occaſionem obtulit rudis populi, in Bœotiæ montibus habitantis ſuperſtitio, quam deinde ſacerdotes ad cudendas fraudes altius evexerunt: *ſcepticiſmus*, ferocium quorundam ingeniorum decus & præſidium, pedetentim natus

(*r*) *Vide hiſtoire naturelle de Buffon Tom. I.*

natus est ex eruditorum quorundam modestia, & agnita difficultate dicendi sententiam de plerisque rebus; alii, cum moderationis hujus emolumenta innotuerunt, eam ob inertiam & laboris tædium sunt imitati, atque impudenter etiam omnia pernegarunt: quid? quod primis temporibus instinctus brutorum facem prætulit ad plerarumque artium inventionem: apicularum aut castorum fabricatio ad *architectonicam:* talpa ad *rem rusticam*, terramque subigendam: bombyx ad *ducenda fila:* nautilus concha ad *nauticam:* formicæ ad *rempublicam:* apes ad *Monarchiam* formandam, permittentem cuivis particulari suam cellam possidere &c. omnia hæc naturalis belluarum instinctus aluit, priusquam a ratione artes illæ invenirentur. Quot hodiedum sunt præclara ingenia, quibus, ut grandia proferant, sola quieta rusticatione & pomorum lapsu foret opus?

§. 645. Ecce indubias *notas humanæ imbecillitatis & ignorantiæ*, quæ mihi, de iis cogitanti, primo conspectu occurrerunt; non insunt quidem eæ omnes singulis hominibus, sunt tamen per totum humanum genus late dispersæ; quoque plures in eodem homine convenerint, eo patentius imbecillitatis præbet argumentum. Qui malit aliorum malo sapere, sæpius hoc speculo admonitus caute agat, & notas has imbecillitatis omni contentione a se amoliatur. *Notarum observatio.*

CAPUT IX.

Qua ratione comparatum eum esse opporteat, qui recto tramite cupit ad veritatem eluctari?

§. 646. Quod peritis nautis solenne est, ut non tantum de Scylla, Charybde, variis vorticibus & scopulis edocti navigationes vastissimas ineant, verum etiam aptam suppellectilem sibi parent, ad terminum suum felicius pertingendi: id prorsus existimo veritatis indagatoribus esse agendum, ut nimirum detectis communibus errorum scopulis, animum sagacius intendant in certos quospiam canones, quibus ad recte cogitandum præcipue erigantur; hos canones ad sequentem numerum revocare licet. *Canones necessarii ad bene cogitandum.*

Canon primus. §. 647. *Primus canon* eſt: ne de re quapiam feratur ſententia, niſi prius compertum ſit, quid in illius clara & diſtincta idea contineatur: neve diſputationes moveantur, quin conventum ſit de vocum ſignificatione, atque valore. Qui in primum offendunt, omnibus prope eruditis ſtomachum, & bilem movent, qui cum longas vigilias & operam poſuerint, ut objecti cujusdam intelligentiam aſſequerentur, repente velut ad incitas redacti, ſuſtinere coguntur ſtupidos dictatores, qui caput attollunt, nec cognitione, nec judicio, neque ſeria meditatione condocefacti. Ad diſciplinam *Pythagoræ* infrunitos hos garriones detrudere opporteret, ubi quinquennali ſilentio ſubacti attenti, docilesque reddantur; nam ſine docilitate nullum eſſe poteſt aut literarum, aut veritatis commercium.

Altera pars. §. 648. Altera canonis pars voces reſpicit; cum enim illæ noſtris conceptibus ſubſtituantur in omni ratiocinio, niſi definita ſit & certa harum vocum ſignificatio, nulla erit ratio, noſtram cum aliorum ſententiis apte conferendi. Quoties duo vel plures diſputant de re aliqua, v. g. *an crepuſculum ad præcedentem, vel ad ſubſequentem diem pertineat?* dum horum quilibet aliam ſibi conſtituit ideam diei: primus Babyloniorum more definit *diem*, illud tempus, quod ab ortu ſolis adusque ſequentem ortum decurrit; alter cum Italis diem ab occaſu adusque alterum occaſum ſupputat; tertius cum cæteris Europæis eum auſpicatur a noctis dimidio. Quis jam eſſe poſſit hujus diſputationis exitus, dum ſinguli ignorant, quid alter nomine *diei* intellectum velit; nihil profecto recurret, quam diſputatio *de nomine*, in ſingulis ſuis adſertoribus ideam variante, & rem ipſam in chaos projiciente. Opportuiſſet ſane ante diſputationem determinare diem, atque ita præcidere jugulum fatuarum diſputationum.

Canon ſecundus. §. 649. *Secundus canon* præcipit exiſtimare: paucos admodum eſſe homines, qui in univerſum recte ſentiunt, adeoque nimium pronos aſſenſus eſſe cohibendos; certo qui pauliſper expenderit hominum imbecillitatem, & irrequietos animi motus, præjudicia, ex educationis & temperamenti labe inducta cum ſexcentis aliis errorum cauſis, ultro fatebitur, quemque ſuos pati manes, & nemini omnium licere adeo eſſe felici, ut gloriari poſſit, omnibus errorum & ignorantiæ offendiculis ſe eſſe ereptum a benefica natura; ſi uno alterove

alterove immunis eſt, aliis certo pluribus erit obnoxius: ſi in uno alterove ſapit, deſipiet in pluribus aliis, præſertim dum circa objecta, multipliciter compoſita, verſatur. Ponamus nobis ob oculos ſtatum civilem, aut militarem; plurima ſane ſunt, e quibus conſtituitur: legum coordinatio, & officiorum varii gradus, ſacra religionis, ſcientiarum & artium ſollicitudo, mercaturæ & œconomiæ negocium, ſecuritas habitandi &c. Ex adverſo, intueamur humanorum animorum capacitatem, deprehendemus eam vix unius alteriusve facultatis, funditus capiendæ, parem: jam vero dum reipublicæ procurandæ admovetur unius alteriusve negocii peritus, curabit utique ea ſolerter, quorum cognitione præditus eſt, cætera autem, itidem neceſſaria officia, diſſimulabit, atque ita rempublicam adducet in ſummum diſcrimen atque interitum, utpote cujus ſalus non poſſit niſi unitis omnium illarum facultatum ſubſidiis, atque exacto plurimorum officiorum æquilibrio conſervari. Videtis, quam præcipuis, & multiplicibus prærogativis ornatos eos eſſe oporteat, qui ſedere cupiunt ad ſocietatis cujuſdam gubernacula, quamque revera pauci moderatores naſcantur, cum portento ſimile ſit talentum, diverſiſſimis ſtudiis promovendis æque accommodatum.

§. 650. Nihilominus fingamus & hominem felici ſub Jove natum, ſimul & ſtudioſiſſimum, qui veritatem in plurimis cauſis aſſequatur, ſemper tamen ille duplex incommodum pariet, ſibi, & aliis; ſibi quidem, quod viribus ſuis præfiſus, ultra audebit, & res etiam extra ſphæram ſuam poſitas generali quadam auctoritate decernet; aliis autem, quod hominis celebritate inducti, ſine prævio examine omnem illius nutum ceu veritatis teſſeram amplectantur, atque ita errorum præcipitiis ſeſe objectent (*s*). Ex quo intelligitur, bene a quibusdam dici: eruditos, niſi ſe intra orbitam ſuam continere probe noverint, magis eſſe periculoſos, imo etiam magis noxios, tum ſibi, tum aliis, quam ignavos homines, nulla eruditione & fama florentes. ***Homines ſemper fallaces.***

Oo 2 §. 651.

(*s*) *Huc revocare opportet auream illam Ariſtotelis ſententiam Lib. 2. de Mundo & Cælo:* Enunciare de omnibus, & prætermittere nihil, ſignum videri poteſt magnæ ſtultitiæ.

Canon tertius.

§. 651. *Tertius canon:* ne ullius in verba facile juraverit, ſed ingenua philoſophandi libertate utatur. Eſt autem *philoſophandi libertas;* ductus rectæ rationis in inquirenda veritate earum rerum, quæ noſtro ingenio ſubſunt, quin ullius auctoritate regamur.

Libertas philoſophandi.

§. 652. Duplex autem eſt, & validiſſima illam exercendi ratio; *Prima:* quod Deus & natura intellectum nobis eum in finem beneficentiſſime contulerit, ut vires illius periclitemur, & nobilem hanc, cæterisque animantibus adeo eminentem facultatem uſu & exercitatione excolamus. Generale hoc donum eſt, univerſæ humanæ naturæ, omnibusque individuis æque conceſſum; nemo validius jus ad recte cogitandum obtinuit altero; quin imo qui divino hoc munere ſe ampliter a Deo fictum, inſtructumque agnoſcit, neque tamen ad illius uſum & exercitationem contendit, ille utique, juxta parœmiam, indignus dono eſt; & ſpeciem refert artificialium muſculorum, qui ad alterius ductum commoventur.

Cæcorum ſequacium dedecus.

§. 653. *Secunda* eſt: quod neglectus uſus hujus libertatis, dum interim humana ingenia in magiſtrorum, æque fallibilium voces juraverunt, tamdiu Mundum in ignorantia detinuerit. Videbantur quippe toti greges aſſeclarum, ſervum pecus nominandi, ex unius ducis pendere vocibus, atque in eum ſolum recte cogitandi gloriam conferre; quaſi vero & ipſi non forent ex rationalium creaturarum numero, aut deteriori e luto formati deberent æternis inertiæ vinculis attineri. Pythagoræ olim mancipia fatuum illud αὐτὸς ἔφα ſua libertate interdixit; accidit idem & aliis ſectariis, *Platonicis, Galenicis, Peripateticis;* quorum quidam, cum proprio Marte illuſtriora ſpecimina proferre potuiſſent, id univerſim conſecuti ſunt, quod hodie dicantur augere numerum ſectæ errantis.

§. 654. Quod ſi antiquis tanto dedecori eſt, proprium acumen neglexiſſe, quid de hodiernis judicandum foret, qui inſpecta veterum culpa, nihilominus eorum veſtigia perſequuntur, & alienos errores ſapiunt (*t*). In Hiſpania, ait *Richardus Simonius*

(*t*) *Ridiculus mos eſt Scholaſticorum, propoſitionibus ſuis paſſim ſubjungentium:* ita Conimbricenſes, Ariaga, Suarez, Delrio, Toletus, Perez, Maſtrius

nius (*u*), Professores Salmanticenses solenni se juramento obstringere, se per omnem vitam Aristotelis placita esse sectaturos (*x*), nempe Aristotelem putabant unum omnium rectissime sapere; quid si vero & ille humano more quandoque desipuit? quid si recentiori ætate non pauca illius errata in lucem extrahuntur? nunquid ipso eventu condocemur, libertatem cogitandi negligi in perniciem scientiarum, dum cæca auctoritas etiam summo homini Aristoteli impensa, juratis sequacibus inussit hæreditarium stigma erroris.

§. 655. Ex *libertate philosophandi* illud etiam emolumentum nascitur, quod mens multo amplior fiat, & ad eas se res extendat, ad quas cæteroqui non pervenisset; certo qui ad magistri sui mentem, & indolem adeo adstringuntur, ut toti ex ejus voce, & moribus pendere debeant, brevi desides fiunt, & aliena cogitare assueti, suam indolem negligunt, neque id certum tenent, quod sibi, sed quod aliis videtur, cum tamen deprehensæ veritatis arbiter sola esse possit intima cognitio causæ, auctores ad se allicere poterunt suspensum animum, sed nullatenus obfirmare. Sæpius alii viderunt causas rerum spurias, easque pro veris obtulerunt, nisi alii super iis liberrime reflexissent, nunquam errorum pedicas declinassent. *Emolumenta libertatis in philosophando.*

§. 656. Commonitos tamen omnes hoc loco velim, philosophandi libertatem esse longissime distinctam ab infrunita quorundam cogitandi licentia, qui *libertini*, & superba compellatione *spiritus fortes* *Spiritus fortes non exercent hanc libertatem.*

strius &c. *alii econtra citant* Salmanticenses, Vasquez, Diana, Busenbaum, Rodriguez, Gonet, Thomistas, contra Scholam totam Scotisticam &c. *Utraque pars pro se allegat opinantium gregem, neutra veritatem. Quid auctoritas, ubi ratione agendum est? Quilibet auctorem se reputare debet, cujus muneris sit, veriora depromere. Sive auctor sit, sive non auctor, nemo plus dicit, quam probet. Ut quid igitur sit inanis hæc allegatio, nisi forte testimonium operæ, male in tantam lectionem impensæ?*

(*u*) *Bibliothecæ Criticæ Tom. III. Cap.* 18.

(*x*) *Wolfius in Philosophia rationali Lib. VI. §.* 169. *ait:* ubi libertas philosophandi exulat, haud raro scientiarum cultura in crimen vertitur. Unde vexas creant auctoribus homines improbi sub prætextu veritatis vindicandæ, quos odio aliis de causis persequuntur. Nonne Socrates cicutam bibere coactus fuit, quod accusaretur, quasi impia doceret, ac juventutem seduceret, propterea quod Anytus odium adversus eum conceperat ex causa privata?

fortes dicuntur; illa enim intra ſuos limites ingenium modeſte exercet, neque rebus indagandis occupatur, ad quas ſenſuum noſtrorun experientia non pertingit, aut quas nobis Deus in fidei lumine dignatus eſt revelare, veritatique, tanquam felicitati humanarum mentium ſine omni contumacia obſequitur: hæc vero damnabili auſu ſententiam de omnibus fert, novos & inuſitatos ſenſus crepat, & amplectitur, atque divinas & humanas res impie ad phantaſiæ ſuæ arbitrium decernit; hinc ad alterum oppoſitum temeritatis ſcopulum miſeros homunciones allidit, & majores affert calamitates, quam alter oppoſitus libertatis neglectus.

Quartus Canon.

§. 657. *Quartus canon:* Maxima cum cautela verſetur in delectu primorum principiorum, quæ aſſumuntur tanquam baſes peculiarium veritatum. Hæc principia triplicis ſunt ordinis: vel ſunt *propoſitiones abſtractæ univerſales*, vel ſunt *ideæ claræ, & diſtinctæ*, vel denique ſunt *ſuppoſitiones, ſeu ſyſtemata.*

Univerſalia principia nulla.

§. 658. Principia abſtracta, univerſalia, e quibus aliæ veritates eruuntur (*y*) ſunt: *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe. Quodlibet eſt, vel non eſt. Totum eſt majus ſua parte. Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* &c. Non deſunt periti philoſophi, qui negent univerſalitatem horum principiorum (*z*); Nam hæc principia conflata ſunt ex plurium particularium obſervatione; mens quippe humana, expers primum omnis ideæ, a ſenſuum experimentis cognoſcere incipit (§. 5.). Quis vero auſit dicere, obſervationes ſe ſuas ad omnia univerſi entia extendiſſe? ſi autem obſervationes de omnibus facere nemini licuit, neque poterunt principia illa ex univerſis reſultare, adeoque nec eſſe univerſalia. Verumtamen tribuamus & illis ſuam univerſalitatem ob analogiæ leges (§. 480.); non tamen auſim dicere, veritatem omnium particularium rerum ex iis eſſe repetendam.

§. 659.

(*y*) *Hæc principia dicuntur etiam* præcognita; *quo pertinet illud Ariſtotelis, Lib. I. Analyticorum dicentis:* ſcientiam omnem, quæ ratiocinio comparatur, ex anticipata cognitione fieri.

(*z*) *Titius in Arte cogitandi cap. 3. §. 75.*

§. 659. *Universale principium* non agnoscitur esse verum, nisi in eo obscure eluceant omnia particularia, e quorum adunatione consurrexit. Quo quis cognoverit plures peculiares veritates, eo firmius universali, inde nato principio assentietur: igitur universale principium suam habet veritatem a particularibus, non vicissim. Sterilis omnino est cognitio universalium illorum principiorum sine prævia particularium cognitione, præsertim cum omnis veri intellectio incipiat a particularibus, ut in Metaphysica docui. Ex quo consequitur eo ideas esse faciliores, eo magis intellectui accommodatas, quo magis ad particularia accesserint; contra vero, eo magis ordini cognitionis adversari, quo magis fuerint abstractæ, & a particularibus remotæ; ideæ siquidem universalissimæ explicari debent per minus abstractas eousque, donec ad particularia deveniatur, & tum demum sua cuilibet veritas constabit. Ex quo manifesta fit illorum aberratio, qui illis universalibus principiis, ceu fundamento, omnium particularium veritatem inædificant, præcipue cum dicunt: *nihil se scituros, si generalibus illis principiis carerent* (§. 533.). *Principia omnia ex particularibus.*

§. 660. Idem sentiendum est de abstractis notionibus *generis, speciei*, &c. quas nonnulli inconsulto frequentant, ut objectorum particularium reddant rationem. Quod si quæratur: *quare leo crescat, edat, currat?* &c. respondebunt illi alacriter: *quia est animal*; & non advertunt, quod hæc responsio, in suum principium redacta, nihil aliud sonet, quam *leo crescit, edit, currit* &c. hæc quippe priora sunt, quam abstracta *animalis* notio, cum hæc ex illis congestis enascatur. *Notiones abstractæ.*

§. 661. Non inficior equidem, magnam esse abstractarum illarum notionum utilitatem, & necessitatem, nimirum ut cognitiones nostræ in certum ordinem, atque in certas classes redigantur; id solum pertendo, omnem earum vim deducendi ad verum provenire a particularibus veritatibus; adeoque rationi magis consentaneum est, particulares veritates cognitas dici *præcognita* & *principia*, universales autem notiones non esse sic compellandas. *Abstractæ ideæ vim habent a particularibus.*

§. 662. Ad alteram transeo primorum principiorum classem, nimirum quaspiam *claras & distinctas ideas*, quas nonnulli ad paran- *Ideæ claræ sunt paucæ.*

dam

dam aliorum particularium veritatem traduxerunt; Amabo! quot exiſtunt ejuſcemodi claræ & diſtinctæ ideæ, quæ aliorum particularium veritates in ſe contineant? certo pauciſſimæ. *Carteſius* unam duntaxat ejusmodi claram & evidentem propoſitionem reperit, nempe: *ego cogito, ergo ſum.* Atque in hac conſtituit principium & fundamentum veritatis omnium aliarum propoſitionum. Sed valde halucinatus eſt; hæc quippe idea clara & diſtincta nihil aliud eſt, quam conſcientia meæ exiſtentiæ & cogitationis, quæ meo animo intime & evidenter ineſt; ſed quid hæc evidentia me colluſtret ad alia objecta cognoſcenda? ſemper illa eſt evidentia rei particularis, quæ ad aliorum evidentiam non influit, niſi rei alterius particularis veritas alia via manifeſtetur. Si exiſtentiæ meæ claritas obtinetur ex reflexione animi in ſeipſum, obtinebitur & ignis exiſtentis claritas ex ſenſationis certitudine, ſiquidem non tantum reflexio, ſed etiam ſenſatio eſt veritatis fundamentum, ut alibi docui; utraque particulare ſuum objectum probat, neutra extra proprios cancellos digreſſa, alterius evidentiæ ſuffragatur.

Arbitraria ſyſtemata decipiunt. §. 663. Tertia claſſis primorum principiorum, omnium fallaciſſima, continet *ſuppoſitiones*, & *arbitraria ſyſtemata*, quæ ſibi nonnulli delegerunt ad evolvendam rerum particularium veritatem, ſuntque potiſſimum fœtus vividæ imaginationis, eum in finem a quibusdam conceptus, ut valeant reddere rationem phænomenorum, nihil porro ſoliciti, verane ſit illa ſua ſuppoſitio, an falſa? quin imo extollunt inſigniter illius ſuppoſitionis veritatem, ſi modo offerat normam explicandi phænomena (*a*), utut in ſeipſa plerumque falſa ſit,

(*a*) *Quanta ratio haberi debeat explicationis phænomenorum in principiis, colligitur, ex illo dialogo Meliſſi & Zoroaſtris, quem Baylius refert Dictionaire hiſtorique critique, Art. Manicheens, quorum poſterior unum principium univerſi admiſit, alter duo, nempe bonum & malum. Meliſſus itaque ad Zoroaſtrem:* antecedis me fateor, idearum claritate & pulchritudine, quas uni tuo principio, neceſſario, æterno, infinito, perfectiſſimo vindicas, ut phænomena a priori probes: at vero ego tibi excello in phænomenorum explicatione, perſpicue deducens a poſteriori bona & mala, a ſuo quæque principio, & quoniam dilucida phænomenorum explicatio caput eſſe debet in delectu principiorum, non indignaberis, mea tuis a me jure principiis præhaberi; cui quidem Zoroaſtres: belle ais, in concurſu duorum

ſit, ignorantiæ pallium, parvi laboris, & jucundum propriæ imaginationis diverticulum. Sic qui materiam primam adoptarunt, variantia naturæ phænomena obtorto collo ex ea educunt &c. Quid deinde mirum, ſi ex falſo ſuppoſito omnis explicatio erronea conſequatur?

§. 664. Cum *de mali origine* quæritur, varia ſyſtemata afferuntur: *Baylius* illud deducit ex principio bonitatis, ſanctitatis & omnipotentiæ divinæ: *Malebranchius* ex principio ordinis & ſapientiæ divinæ: *Leibnitius* ex principio ſufficientis rationis: *Theologi* paſſim ex principiis libertatis & Providentiæ divinæ generalis, item lapſu noſtrorum protoparentum: *Spinoza* ex cæco fati neceſſitantis imperio &c. Quæ principia paſſim a quolibet delecta fuerunt pro ratione paſſionis dominantis; indoles enim, ſuapte natura ſuavis & benefica, repetet illud ex bonitate divina; alter arrogantis ſupercilii, & eminentis imaginationis homo, præeliget divinam ſapientiam, omnia coordinantem; nonnemo *μισάνθρωπος*, triſti ac melancholico humore turgens, fati duritiem cunctis prærogativis anteponet; ideoque paſſiones ſingulorum legimus in illis ſyſtematis, non veritatem. *Mali origo.*

§. 665. Ad definiendas eventuum cauſas tot plerumque ſuppoſitiones aſſumuntur, quot ſunt ſtudia animorum in hominibus. Dum provincia quæpiam flagrat bello gravi & exitiali, dumque inteſtini etiam *Suppoſitiones variant.*

rum principiorum, ejusdem cæteroquin firmitatis, illud utique præeligi debet, quo phænomena planius explicantur; quod ſi autem unum principiorum fundatur in ideis claris & diſtinctis, & alterum habeat ideas obſcuras & inconvenientes, tum nihil expedit huic poſteriori aſſentiri ob phænomenorum explicationem; ſiquidem omnis illa explicatio proveniat a fallaci principio. Inſufficientia explicandi phænomena non ſemper arguit principii falſitatem, niſi forte ex ipſa natura aſſumpti principii deſcendat illa inſufficientia; ſecus eſt, ſi oriatur ex intellectus noſtri imbecillitate, & tum nihil obſtabit inſufficientia explicandi phænomena aſſumpto principio; quis enim unquam ſibi polliceatur, eo ſe perventurum, ut divinorum operum rationem reddat, aut influxum Dei, cuncta producentem, in luce ponat. Igitur totus valor principiorum a priori eſt arceſſendus. *Hæc acutiſſime Baylius, ut ſolet.*

etiam tumultus mutuis cædibus graſſantur, pro vario cujusque ſyſtemate, variæ etiam calamitatis cauſæ proferuntur: *Aſtrologus* eam repetet a turbulentis aſtrorum influxibus, qui humanis mentibus aſpirant furias & ſtrages: *hiſtoricus* deducet cauſam a definita periodo, cuncta tandem regna & imperia evertente, ut nova exurgant: *phyſicus* dicet, belli facem in humanis animis accendi per evaporationes terreſtres, aërisque affectiones, ſanguinem intempeſte cientes, neque morbum poſſe niſi ſanguinis effuſione domari: *juriſconſultus* obtendet legum offendicula, aut rigorem, neque ſat exactam fœderis, initi cum vicinis, cuſtodiam: *Theologus* in omnibus intuebitur Dei flagellum, hominum ſcelera ulciſcentis. Ecce! quam commode ex cujusque ſuppoſitione, & objecto belli cauſam evolvere liceat; ſed quis horum omnium dixit verum? ignoro. Tanta ſuppoſitionibus adſiſtit fides.

Origo ſuppoſitionum.

§. 666. Pruritus ſapiendi ex proprio cerebro, & illuſtrandi naturæ phænomena juſſit homines, comminiſci tot ſuppoſitiones, atque ſyſtemata, iisque deinde tam tenaciter adhæſerunt, ut, ſi modo naturæ vel in ſpeciem, & coacte conſentiant, ſeveris contentionibus, & pertinaci ſtudio ea tueantur; ſed ejusmodi indoles non modo inepta eſt ad recte cogitandum, ſed etiam ſcientiarum ordinem ſusque deque convertit (*b*); intendit quippe naturam ſuis conceptibus conformare, cum potius deberent conceptus ſuos conformare naturæ.

Syſtemata quandoque licita.

§. 667. In rebus tamen artificialibus & politicis licitus, & nonnunquam neceſſarius eſt uſus *ſyſtematum.* Qui rempublicam vult conſti-

(*b*) *Clar. Diderot in Præfatione luculentiſſimi operis Encyclopedie ait: l'eſprit d'hypotheſe & de conjecture pouvoit etre autrefois fort utile, & avoit même eté neceſſaire pour la renaiſſance de la Philoſophie; parce qu'alors il s'agiſſoit encore moins de bien penſer, que d'apprendre a penſer par ſoi même. Mais les tems ſont changes, & un ecrivain, qui feroit parmi nous l'eloge des ſyſtemes, viendroit troptard. Les avantages, que cet eſprit peut procurer maintenant, ſont en trop petit nombre pourbalanier les inconveniens, qui en reſultent; & ſi on pretende prouver l'utilite des ſyſtemes par un tres petit nombre de découvertes, qu'ils ſont occaſioneès autrefois, on pourroit de même conſeiller à nos Geometres de s'appliquer a la quadrature du cercle, parceque les efforts de pluſieurs mathematiciens pour la trouver, nous ont produit quelques theôremes.*

conſtituere, & condere machinam, ſolo legum pondere, & partium diſpoſitione moventem, providè conſiderare debet indolem gentis, clima, temperamentum, mores antiquos, cæteraſque circumſtantias, & ſapiens ſibi ſyſtema efformare, in quo dictæ circumſtantiæ, indoles gentis, artes, luxus, vitiorum frœna, ſeu leges, ærarii fundus, commoda, inſidiæ vicinorum &c. tam dextre contemperentur, ut vi ipſius coordinationis & æquilibrii felix & conſtans machinæ politicæ motus conſequatur.

§. 668. *Quintus canon* vetat nimium anhelare applauſum, & favores populares; vix enim quidam animos ad optimas artes adpellunt, illico ſummorum virorum fama ſic alliciuntur, ut viam ſolitam indagandi, & lente ex imis ad ſublimiora pertingendi reſpuentes, decerpant quæpiam ex præſtantiſſimis auctoribus, quæ deinde in unum corpus odioſe compingant, cujus ſe magnificos auctores crepent, rati, ſe omnium illorum ſummorum virorum faſtigium aſſecutos, ſi ex illorum decerptis alio collimantibus, dogma novum ædificent, de quo nemo illorum ne per ſomnium quidem cogitarit. ***Quintus canon.***

§. 669. Methodus hæc *plagiariorum* & *thraſonum* propria eſt, alienis plumis ſine proprio merito gloriantium; ſic chartas ac libros implent, oneri non ſubſidio futuros. Aliquis nuper partim ex Leibnicii, partim Neutoni ſyſtemate novum ſyſtema conflavit *de compoſitione continui.* Alius ex ſyſtemate *Ptolomæi* & *Copernici* tertium *Tychonicum* compoſuit &c. & hi non viderunt, quod in ejuſmodi conflatis ſyſtematibus eædem difficultates remaneant, ob quas priora ſyſtemata rejecerunt. ***Plagiarii.***

670. Hoc excellendi cacoethes, ut opportune opprimatur, juverit animum convertere non in ſuam, aut aliorum præſtantiam, ſed magis in ipſum objectum, cui opera impenditur, atque in illius difficultates, & cognoſcendi modum. Per ejuſcemodi maturam conſiderationem ſupprimitur nimia audacia decidendi, quæ præcipuas plerumque difficultates tranſilit, ut imaginariæ ſuæ præſtantiæ liberius blandiatur; eliberatur etiam per eam animus a nimia formidine attingendi difficilia themata, quæ vulgus reſpicit tanquam occupationem, eruditis duntaxat propriam, cum tamen res, ſerio ex- ***Remedia contra arrogantiam.***

pensa, omnibus indagatoribus æqua fronte se offerat, & promptius illis, qui eruditionis studio, quam qui ejusdem titulo gloriantur.

Sextus canon.

§. 671. *Sextus canon* demum jubet esse fortem & indefessum in indagando. Nonnunquam fallente spe nihil nos profecisse in veri cujusdam inventione deprehendimus, multamque operam lusisse; at hoc deterrere nequaquam debet, quo minus alio rursum tempore reassumamus laborem. Unus quandoque dies id nobis totum accumulat, quod plures præcedentes menses non attigerunt. Plerumque quibusdam veritatibus aut inventis, in lucem proferendis, sua est ætas constituta. Multarum rerum scientiam, a prioribus sæculis solicite quæsitam, subsequens tandem sæculum feliciter attigit. Id præcipue adcurandum est, ut scientiarum progressum e vestigio sequentes, obstacula, quæ olim fuerint, agnoscamus, & quo demum pacto hæc sublata sint: qua ratione processum sit e dubio ad probabilitatem, ex hac demum ad evidentiam.

Primæ cogitationes non semper optimæ.

§. 672. Quod sibi passim homines persuaserunt: *primas obvenientes de rebus cogitationes esse optimas*, id admitti in universum non potest: passim illi, qui primo impetu & ingressu ad aliquam facultatem subito libros scripserunt, fœtum ediderunt præmaturum, quem satius fuisset premere in moras longiores, & subsequis conatibus vivacius animare; hinc est, quod viros, in scientiarum pertractatione tandem consumatos, passim eorum pudeat, quæ juvenes olim, præcociter sapientes, typis ediderunt, eaque ceu delicta juventutis respiciant (*c*). Quod si quidpiam pernici impulsu adscriptum est, recondatur in scrinium, & ubi post longiores moras relectum arriserit, tum demum probetur, quamvis rarissime secunda lectio sine lituris contingat (*d*).

§. 673.

(*c*) *Hoc nævo plerumque laborant illi scriptores, qui primi moliuntur thematis cujusdam illustrationem, & indigestam molem undique raptim conferunt; at vero subsequi scriptores, dum tranquilliori otio constructam fabricam intuentur, promptius advertunt symetriæ nævos, & errores; unde inducuntur ad cogitandum maturius, atque ad criticam normam componuntur.*

(*d*) *Priori sæculo neo exorta Puritanorum hæresis, ceu furibunda pestis, in id toto pectore incubuit, ut Ecclesiasticos magistratus, & Episcopos funditus everterent. Hoc autem ut ex sententia*

§. 673. Antequam hoc decedam loco, id unum commendatum obnixe cupio veritatis studiosis, ut nihili pendant aliorum errantium insultus, neve in iis dissolvendis moram studiumque collocent; Plures enim revera sunt, qui male & inepte, quam qui bene cogitent; igitur ne tota quidem hominis ætas sufficiet his adversantium erroribus aut confodiendis, aut excidendis (*); Quin imo frequens ineptiarum discussio hanc cladem inferet menti cæteroquin sat providæ & sagaci, ut lente & citra sensum & ipsa claudicet. Sufficit sententias suas ex legitimis causis firmisque argumentationibus deprompsisse, quibus qui inconsulto & veluti per dementiam negare voluerint aures & animum, illi nec agnoscent errorem suum, quocunque oculos eorum collyrio frices. Hinc doctissimi quique disputationes, & doctorum litigia tantopere aversantur, nec respondendum esse putant, etsi sua dicta, aut scripta conviciis, & livore impetantur (e). *Adversariorum contemptus.*

 CAPUT

tentia succederet, non bellis tantum & tumultibus, sed conscriptis etiam libris negocium feliciter esse absolvendum Puritani existimaverunt, ut nimirum populorum animi, præsulum contemptu & odio occupati facilius ad eorum causam adjungerentur. Itaque literatos aliquot, & hos inter præcipuum Claudium Salmasium mercede conduxerunt, qui præcoci opera dissertationem effudit, in quam e variis libris sine delectu res congessit, inattentus, an hæc quadrarent, & cohærentia invicem essent; an vero potius discordarent secum excerpta e variis auctoribus, & se mutuo destruerent? Puritani igitur tanti se hominis præsidio victores fore arbitrati, statim primam illius dissertationem, prælo recens absolutam, per varias regiones dissiparunt; at vero, ubi nihil in ea extare, causæ suæ utile repererunt, tum eos spei suæ & impensæ pœnituit, atque ut eam denuo supprimerent, diligentissime curaverunt; sed frustra, jam enim devenerat in aliorum eruditorum manus, qui eam acriter confoderunt, & omnem illius memoriam eruditis lucubrationibus funestaverunt. Videatur Petavius in Præfatione ad Tom. 4. Dogmatum Theolog. *Sic nempe tumultuaria opera semper plus nocet scopo operis, quam prosit.* *Claudius Salmasius Puritanis tumultuariam operam impendit.*

(*) *Magnus Neutonus cum adverteret, tot adversarios insurgere in suam Opticam, recens a se in lucem emissam, noluit pulcherrimum inventum suum* de fluxionibus *publici juris facere, ne & hujus occasione privaretur solita sua animi tranquillitate. Sic enim ipse ait:* Et subortæ statim (per diversorum epistolas, objectionibus refertas) crebræ interpellationes me prorsus a consilio deterruerunt, & effecerunt, ut me arguerem imprudentiæ, quod umbram captando, eatenus perdideram quietem meam, rem prorsus substantialem. *Pemberton a Wiew of sis Isaac Neuton's Philosophus.*

(e) *Perdoctam dissertationem elucubravit clarissimus Clericus Volumine tertio* Artis Criticæ: *in qua quæstionem digerit:* an calumniis adversantium Theologorum sit respondendum?

CAPUT X.

De Bono Guſtu.

Omnes diſciplinæ reſpiciunt ſubſidia ſocietatis humanæ.

§. 674. Quisquis ad ſeveriorem cogitandi normam aſpirat, hunc eſſe præcipuum ſcopum noverit ſcientiarum omnium & artium, ut ſubſidia, ſuavitatem, utilitatemque conferant humanæ ſocietati. Quo propius hunc finem humana ſtudia contingunt, eo ſunt aliis digniora; quidquid autem ab hoc fine prorſus recedit, id non modo artis & ſcientiæ nomen non meretur, ſed etiam indignum eſt, cui operam contentionemve impendamus.

Multi veteres frivole diſciplinas & ſine guſtu coluerunt.

§. 675. Præcedentium ætatum memoria docemur, quosdam fuiſſe aliquando homines, qui ſcientiarum curam ſuſceperint, methodumque docuerint eas pertractandi: alios item ſtuduiſſe decori artium & morum, atque ita ſolicitos fuiſſe adaugendi felicitatem humanæ ſocietatis; verum id egerunt tam inepte, frivole, &, quod ajunt, invito Jove, ut ingratias obtruſerint ſectatoribus ſuis emolumenti loco, & poſteris riſum atque ſibilos extorqueant. Hi igitur bonum guſtum ignoraverunt (*f*).

Quid ſit bonus guſtus?

§. 676. Definitur autem bonus guſtus, quod ſit: *ſenſus decoris, commodi & dignitatis, e rerum ordine ac diſpoſitione prodeuntis, cum quadam animi voluptate conjunctus.* Hic ſenſus diſcernere ſolet objecta cum promptitudine, antequam ſuper iis animus reflectat; quemadmodum etiam guſtus in lingua & palato omnem reflexionem antecedit.

Bonus guſtus plerumque ſtudio aquiritur.

§. 677. Non autem eſt bonus hic guſtus hominibus a natura inditus, plerumque conatu & exercitatione obtinetur, aut etiam ad majorem perfectionem traducitur; quemadmodum etiam judicium

(*f*) *Communis fert parœmia:* de guſtibus non eſſe diſputandum; *id vero de guſtu ſenſibili intelligitur, in corporeis organis reſidente; organa quippe illa nequeunt pro voluntatis noſtræ imperio variari, aut diſponi; At bonus guſtus mentis, qui in veram fertur pulchritudinem, aut precium, aquiritur promovetur & emendatur.*

cium & ratiocinatio aquiritur cognitione principiorum, e quibus consequentiæ necessario fluunt, eorundemque principiorum usu. Non incongrue quidam (*g*) gustum dixit esse *judicium naturæ*, decorem rerum dignitatemque sentientis; judicium vero esse *gustum rationis*, consurgentem ex principiorum & consequentiarum lumine. Hic quosdam modos ac regulas pro illius consecutione adferemus, quas simul pro notis boni gustus habere licebit.

Bonus gustus habetur a naturali capacitate.

§. 678. *Prima ratio* aquirendi bonum gustum sita est in dono clementissimi Dei & naturæ, conferentis bonam indolem, bene contemperatam ad mature judicandum & deligendum ea, quæ suavitatem dignitatemque præseferunt, atque ad vilipendendum ea, quæ speciem quidem decoris mentiuntur, reipsa autem quisquiliæ sunt, & fastidiosa occupatio.

Universali bono gustu vix quisquam donatur.

§. 679. Accommodatur plerumque bonus gustus indoli & temperamento; indoles autem quælibet cum capacitatem valde angustam habeat, atque dispositionem, ad peculiaria pauca sese extendentem, hinc vix homo reperitur, universali bono gustu præditus. Quidam exquisite sentiunt objecta hujus vel illius artis: alii præclare vident, quid in hac vel illa scientia adpetendum sit, quid ceu nugatoria merx abjiciendum; nemo in omnibus gnaviter sapit. Summus mathematicus *Neutonus* in *Apocalypseos* expositione desipuisse perhibetur.

Bonus item gustus comparatur familiaritate eruditorum.

§. 680. *Alia ratione* quis poterit bonum gustum sibi comparare, si viris literatis usus fuerit familiariter, atque ad eorum æstimandi modum sedulo se conformaverit, iis præsertim viris, qui in peculiari quodam eruditionis genere longam operam posuerunt, qui varias orbis partes & gentes longo usu cognoverint, atque apud easdem multiplicem cogitandi operandique modum experti sint; hæc quippe omnia erectæ menti vastam provinciam offerunt, meliora jucundioraque deligendi. Ubertas atque varietas gustuum discrimen exacuit, super iis deliberanti; quod, qui non nisi hesterna, & domestica degustavit, plerumque ignorare consuevit (*h*).

§. 681.

(*g*) *Cochet la Clef des sciences Preface.*

(*h*) *Homerus sub Odysseæ initium grandem volens ideam herois sui Ulyssis sugge-*

Bonus gustus pluribus instrui gaudet. §. 681. *Tertia regula* bono gustui hæc constituitur, ut sensus nostros in variorum artefactorum, & consuetudinum humanarum perceptione, atque in horum omnium emolumentis sedulo & attente exerceamus: plura experiri, pluribusque instrui satagamus; quo plura percipiuntur cum reflexione, eo magis elucet, quid cuivis apte conveniat, & vividius idea pulchri revelatur. Homo juvenis, qui necdum multa viderit, nec quomodocunque expertus sit, non percipiet harmoniam & suavitatem musicæ sincerioris, sui oculi non deprehendent discrimen picturæ egregiæ ab altera vulgari, donec multa experientia, aut aliorum consiliis acuatur. Romani certo *Lucilium* Poëtam magnifecerunt, antequam apparerent *Horatii* veneres, & quo minus quidam populi artes & scientias salutaverunt, eo res amant insipidiores, & gustum habent deteriorem.

Brevitatem bonus gustus affectat. §. 682. *Quarta regula:* Bonus gustus plerumque res multas paucis complectitur, easque genuine & aperte depromit, non per ambages siccas & odiosas, idque conforme est incredibili activitati & volubilitati humanæ mentis, quæ eo jucundius demulcetur, quo copiosiora objecta unitim quadam cum petulantia delibat (*i*).

Quæ eadem perpetuo occurrunt, nauseantur. §. 683. Ex hoc necessario consequitur, eas res, quæ eodem semper modo sensus nostros & animum feriunt, internis nostris deliciis, & jucundis otiis adversarii, sint licet cæteroquin omni concinnitate, atque elegantia contextæ. Fertur *Petropoli in Moscovia* longissimus esse tractus pulcherrimarum arborum, duplici ordine excurrens; hæc diuturna

suggerere, ex versione Horatii Art. Poët. vers 141. sic ait:

Dic mihi Musa virum captæ post tempora Trojæ

Qui mores hominum multorum vidit, & Urbes.

Petrus I. Moscoviæ Imperator in variarum gentium lustratione, Fridericus Borussiæ Rex in eruditorum familiaritate, agendi lumina, & præstantem gustum hauserunt, quem deinde cum tanta sæculi admiratione prodiderunt.

(*i*) *Huc pertinent acumina Dictionum brevia, sed nervosa, epigrammata item, & quæ Gallis* bons mots *dicuntur. Commendantur nonnulli scriptores ab istiusmodi acuminibus, velut* Baylius, *dum refert Alciatum proprias suas laudes canentem: migrare se perpetuo ex hac in illam Academiam, ut solem imitaretur, motus beneficio pluribus collustrandis deservientem; belle regerit: sed nunquid eruditi cum Copernico pertendunt, beneficum solem fixum in suo centro manere, quin illustratione sua & discursu propriis emolumentis vacet?*

turna uniformitas inclusos viatores tanto tædio afficit, ut alpium horridam varietatem in comparatione ad illud pro deliciis haberent; sic nempe grave est *semper idem* (*k*). *Sola tamen novitas, aut varietas nequaquam est argumentum boni gustus, nisi simul dignitas & suavitas accedat; alioquin etiam illi, qui veritates, communi gentium usu receptas, variant in monstrosas opiniones, dicerentur bono gustu donari.

§. 684. *Quinta regula:* bonus gustus intima petit adyta scientiarum & artium, neque attineri se patitur in diverticulis vagis, inutilibus, & ad rem omnino non facientibus. Corruptela gustus est, glandes pro dapibus habere. Porro res ipsas digniores hac ratione persequi est opus, ut gratia adsit dignitati, & suaviori modo in iis animus versetur. *Bonus gustus aversatur inutiles occupationes.*

§. 685. Duo hominum genera distinguere hoc loco est opus: quidam, sublimi indole præditi, & veluti nati ad grandes ideas, unico mentis obtutu pervident vastissimas provincias rerum agendarum, subito formant ideas coordinandæ reipublicæ, bellorum administrandorum, commercii provehendi &c. alii, quibus non est tanta mentis extensio, in particularibus digne, laudabiliterque occupantur, veluti in hujus aut illius artis evectione, in armis pro militia affabre conficiendis, in ædificandis navibus &c.; horum occupatio jucundior esse solet, & experientiæ, captuique omnium magis accommodata; at priorum opera, utut magis arida imbecillioribus appareat, tanto tamen dignior est, quanto rarior est istiusmodi vastissima indoles, & quanto totius idea partium separatarum ideis supereminet. *Duo hominum genera.*

§. 686. *Sexta regula:* in aliis rebus, ad usum pertinentibus, ille gustus semper esse melior existimatur, cui homines pronius assuescunt cum quadam specie decoris: quia Turcæ facilius attrahuntur ab Italorum musica, quam vicissim Itali a crudis tympanis Turcarum, melior esse censetur gustus in musica Italorum; & falsum omnino est, quod quidam pertendunt: gustum eo esse meliorem, quo magis ad naturæ simpli- *Meliori gustui facilius assuescimus.*

(*k*) *Cum Stomacho audiuntur, qui eodem semper tono, utut doctissime, disserunt. Typographi norunt miris typorum periodis & ornamentis lectori gustum suggerere. Vestium forma gratissima est, quæ novissima* &c.

ſimplicitatem acceſſerit; alioquin ſilveſtrem, & ſimplici naturæ ductui obſequentem vivendi modum *Hottentotorum* dicemus bono guſtu ſuperare perpolitos *Gallorum* mores. Ars plerumque naturæ duritiem expolit; ideoque etiam plerumque naturæ per artem excultæ melior guſtus accedit, niſi forte in eo caſu, quo ſimplici naturæ eadem dignitas & ſuavitas ineſſet, quæ naturæ ineſt, per artem expolitæ, aut niſi ſupervacaneo ornatu ſimplex naturæ decor opprimeretur.

Uni rei intenti guſtum pro aliis facile non habent.

§. 687. Illis plerumque viris guſtus ſucciditur ad aliarum rerum æſtimationem, qui omnem animi propenſionem, ac vim, in unum tantum aliquod objectum laxaverunt; anima quippe in eo ſolo ardenter defixa, nullum delectationis aut ſaporis ſenſum in aliis reperit. Acutiſſimus *Malebranchius*, quamvis quadam pronitate naturæ comparatus eſſet ad Poëſim excolendam, tamen nullum guſtum, nullam amoenitatem in lectiſſimis verſibus ſenſit, quia nempe in mentis objecta perpetuo intentus, ratiocinio, & hypotheſibus Philoſophicis totus vacavit.

Ignoratio omni guſtu deſtituitur.

§. 688. In ſcientiis & artibus maximum obſtaculum percipiendi bonum guſtum eſt ſumma omnium earum rerum ignoratio, quæ tanquam teſſera optimi guſtus adferuntur. Dum proponuntur hominibus, rerum geometricarum imperitis, lectiſſima theoremata, oſcitantur, dormiunt, frigent; ut proinde inutile, & fatuum ſit, res præclari guſtus ſine omni prævio fundamento hominibus inculcaſſe.

Poſt felicia ſæcula guſtus intercidit.

§. 689. In artefactis variis guſtus apud quaſdam nationes exoleſcere ſolet poſt felicia ſæcula, in quibus hæc aut illa ars altum attigit perfectionis gradum; tum quippe artifices imitari perpetuo erubeſcentes, novas tentant agendi vias, & elongant ſe a præclariſſima anteceſſorum ſuorum ſemita; horum novatio, quodam artis decore amicta, placet primum, brevi tamen diplicet; excogitatur alia & alia novatio, & major fit elongatio a pulchro, atque ita ſenſim perditur bonus guſtus, & perſeverat duntaxat apud eos, qui viciſſitudinibus erepti, primæ perfectionis pretium retinuerunt.

Bonus guſtus in peculiaribus ex regulis generalibus.

§. 690. Hæc generalia ſunt, quæ ad boni guſtus ideam pertinent; peculiaria non perſequar, tum quod infinita ſint, tum quod idea pulchri in re qualibet, ex generalibus hiſce regulis, facili negocio poſſit obtineri.

LIBER

LIBER II.

De Ratione recte loquendi.

§. 691. Superatis, quæ de mentis directione, & formandis ratiociniis occurrunt, difficultatibus, alteram amodo est animus ordiri provinciam, quibus indiciis, quove sermone mentem aperire oporteat, manifestantem; quemadmodum enim societas, & animorum nexus maximum præ cæteris solatium hominibus parit, ita prorsus præcipua solicitudine adcurandum est, ut modi & instrumenta, ideas invicem conferendi, clara sint, perspicua & germana. Duplicem modum, ideas mentis seu sermone, seu scripto referandi, in disputationem præsenti libro adducemus. *Sermonis cura haberi debet, quia est instrumentum societatis.*

PARS I.

De Sermone recte instituendo.

§. 692. Sermone nihil extitit humano generi magis necessarium: sermone a teneris unguiculis informamur ad sacra & civilia officia: sermone conducimur in adyta scientiarum & artium: hunc qui non percipiunt, hospites illi sunt & peregrini in omni vitæ, rerumque gerendarum disciplina; hinc est, quod in hominibus a nativitate surdis, qui & necessario semper muti sunt, *Sermonis præstantia.*

totum fere humanæ ſocietatis vinculum eſſe ſuccisum videamus (*a*). Sed nec orationis cultus eſt ipſo ſermone minus neceſſarius: quoties experti ſumus, eandem rem aliter atque aliter narratam, ob ſolum ſermonis vitium alias etiam ideas, atque affectus excitaſſe? tanti nimirum refert, orationis normam ſinceritatemque tenuiſſe. Pauciſſimis de ea agetur. Sit.

CAPUT I.

De Linguarum origine, & varietate.

Prima lingua a Deo hominibus inſpirata.

§. 693. Primam linguam ſub Mundi exortum a Deo fuiſſe *Adamo* inſpiratam, ex ſacræ ſcripturæ revelatione docemur; Creator quippe Deus cum primum hominem effinxit, eas eidem omnes perfectiones large infudit, quibus ad inſtituendam, regendamque familiam egeret; has autem inter utique ſermo recenſetur; adeoque præcipuum hoc humanæ ſocietatis ſubſidium non ex induſtria hominis, ſed ex beneficentia plasmatoris profluxit. Videtur autem inſpirata illa lingua tantummodo ad ideas, ſimplici illi convictui neceſſarias, fuiſſe reſtricta, ut & illis campus relingueretur exercendi indolem, & ideas, rerum uſu atque experientia ſuccreſcentes, novis ſignificationibus accommodandi.

Linguarum varietatem turris Babel induxit.

§. 694. Poſt devaſtationem diluvii cum terræ facies novis denuo incolis redanimata eſſet, hi inaudito poſt homines natos conſilio exciti, turrim ædificare moliuntur, cælo ſupparem futuram, his potiſſimum de cauſis: ut famam vaniſſimi nominis, tanto molimine conſecratam, poſteris tranſcriberent: utque ardui ædificii curis implexi, a novis coloniis, Dei juſſu in varias regiones deducendis, animos avocarent. Quam quidem temeritatis, & inobedientiæ culpam Deus repentina linguarum variatione per ſingulas familias ſic caſtiga-

(*a*) *In actis Academiæ Reg. ſcientiarum Pariſiis An.* 1703. *refertur, hominem quempiam a nativitate ſurdum, poſtquam* 23 *annos exegiſſet, repente auditus beneficio medicorum ope fuiſſe donatum, ac etiam loqui tandem cæpiſſe. Nihil ille ſe eorum omnium officiorum intellexiſſe confeſſus eſt, quæ ſurdus ſeu in templo, ſeu in foro conſpexerat.*

castigavit, ut hi tædio peregrini idiomatis affecti, familiaritatem cum aliis ruperint, atque translatis sedibus ultro in remotas terras abscesserint.

§. 695. Hanc esse veram linguæ primigeniæ originem, & dein de causam multiplicatorum per varias gentes idiomatum divina eloquia testantur. Profani autem vetustissimi scriptores, quibus nulla divinæ revelationis manuductio adstitit, longe diversa ab origine, nempe a mutuis conventionibus linguas arcessunt (*b*); quod quidem hoc loco exponere bene visum est, ut patescat, qua ratione judicaverint sapientes, solis naturæ subsidiis posse linguas enasci.

Gentiles scriptores aliam ponunt linguarum originem.

§. 696. Fingamus, duos aliquando aut plures infantes, extra hominum consortium, antequam quidpiam loquelæ perciperent, infuisse in silvam abactos, ibidemque inter feras enutritos; quo pacto infantibus illis, horrido in contubernio succrescentibus tandem secum convenisset de vocalibus signis, quibus mentis suæ sensa invicem communicarent? Forte hodiedum intra terrarum ambages existit natio, quæ linguæ suæ œconomiam ejuscemodi initiis debeat, præsertim illis in plagis, ubi paucissimi incolæ erant, & hi ipsi ferali quodam discrimine aut protriti inopinato, aut expulsi, unum alterumve infantem reliquerunt, post novam prorsus, & inusitatam educationem novæ rursum familiæ capita futuros.

Lingua a feris infantibus incepta.

Qq 3 §. 697.

(*b*) *Diodorus siculus Lib. I. Bibl. postquam asseruit e quorundam Philosophorum sententia, animalia cuncta & homines ex humido terræ corpore, superveniente solis calore esse productos, hæc de hominibus subjungit:* καὶ πολεμουμένους μὲν ὑπὸ τῶν θηρίων ἀλλήλοις βοηθεῖν ὑπὸ τοῦ συμφέροντος διδασκομένους, ἄθροι ζομένους δὲ διὰ τὸν φόβον, ἐπιγινώσκειν ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν τοὺς ἀλλήλων τύπους. Τῆς φωνῆς δὲ ἀσήμου καὶ συγκεχυμένης οὔσης, ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον διαρθροῦν τὰς λέξεις, καὶ πρὸς ἀλλήλους τιθέντας σύμβολα περὶ ἑκάστου τῶν ὑποκειμένων, γνώριμον σφίσιν αὐτοῖς ποιῆσαι τὴν περὶ πάντων ἑρμηνείαν. Τοιούτων δὲ συστημάτων, γινομένων, καθ' ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, οὐχ ὁμόφωνον πάντας ἔχειν τὴν διάλεκτον, ἑκάστων ὡς ἔτυχε συνταξάντων τὰς λέξεις. Cum a feris infestarentur, mutuo sibi opitulari usu edocti, & metu ad societatem adacti, paulatim cognatas inter se formas agnoverunt. Voce autem adhuc confusa, & nihil significante, pedetentim verba articulate pronunciando, & signis unamquamque rem subjectam notando, elocutionem tandem rerum omnium sibi notam fecerunt. Sed cum per totum orbem hujusmodi cœtus coirent, & quique, ut sors dabat, verba connecterent, non eadem omnes loquela utebantur. Ideoque variæ, omnisque generis linguarum formæ exstiterunt.

Quæ prima eorum fuerint loquendi signa?

§. 697. Quamdiu homines illi duo, vel plures soli secum, & separati ab invicem vitam egerunt, nulli utique commercii signo proferendo vacaverunt, & idearum suarum numerum solius necessitatis calculo metiebantur. Ubi vero tandem alter alteri innotuit, oris similitudine, &, nescio, qua amica consensione invicem devincti, subito sibi socii adhæserunt, adeoque necessum erat, mutuæ conspirationis atque commercii signa externa adinvenire. In promptu erat vox, & membrorum agitatio, quorum succursu mentem suam alter alteri aperuit, veluti si quis reperti pabuli participem volebat alterum facere, clamorem inconditum, & quodpiam gesticulationis genus edidit, quo alter commonitus accurrit. Rursum dum periculum institit, aut strages, iterum consimile vociferationis, & gestus signum emisit, ut alterius absentis imploraret suppetias.

Signis, externis vocibus aut gestibus facile assuescimus.

§. 698. Quibus signis sæpius repetitis non tantum rerum memoriam exsuscitaverunt, sed etiam delectum iniverunt, peculiaria præcipuis animi affectibus, gaudio, pavori, iræ, amori &c. destinandi signa, ut nempe illis recurrentibus certas ideas in animo stabilirent, præsertim dum per plures generationes filii ea a parentibus docerentur; nam quod & nos ipsi experimur, signa & ideæ sibi mutuo magnopere commodant: usus frequens signorum operationes animæ perficit, & vicissim ideæ sæpius elicitæ, signorum promptitudinem, & familiaritatem inducunt.

Rudia signa rudes ideas notant.

§. 699. Quod si signa, seu voce, seu gestu prolata, fuerunt vaga & rudia, indigesta quoque fuit idearum, inde natarum, conditio, & certo a primis illis inexpertis montalibus quid aliud exspectes, quam pauca admodum, & hæc insuper cruda significandi indicia, e quibus angusta fluere debuit idearum suppellex, & pauperrima ratio convivendi; nam neque gestus, neque vox in feris hominibus moderamini paruit: casu plerumque accidit, ut nova pronunciatio, aut arbitrarius actus egenis mentibus novam cognitionem revelaret; ut proinde prolixi temporis negocium fuerit, linguam & actiones ad leges, & uberiorem normam adsuescere, atque multiplices imperandi, optandi &c. affectiones per varias constitutas formulas enunciare.

§. 700.

§. 700. Nemo tamen ex hodierna loquendi præstantia velit definire in illis primis hominibus intelligendi modum; hiulcam quippe suam vociferationem, quam nos ne interdistinguere quidem possemus, sat bene intellexerunt. Referunt illi, qui ultimas orbis oras perlustrarunt, *Hottentotos* clamitare ut gallos gallinaceos; Europæi, eos audientes, vix possibile existimant, hac cantus uniformitate varias posse ideas significari: at illi pro omni vitæ commercio his signis utuntur. Sic nempe provida natura & consuetudo omnes gentes suo modo contemperat: excultæ delectantur harmonicis atque coordinatis vocibus: feræ dissonis & inhumanis significationibus suam societatem alunt. *Imperfecta loquendi ratio sat bene intellecta fuit.*

§. 701. Solet id autem plerumque evenire apud incultos populos, ut quo magis inepta ad significandum seu vox sit, seu actio; eo sit etiam passim validior atque ferocior; perperam quippe vires decoro substituunt; hinc hodiedum barbaræ gentes, dum loquuntur, intempeste clamitant, & gestibus tumultuantur; cum econtra gentes ad humanitatem enutritæ euphoniam impense attendant, & gestum non nisi ad symetriæ normam eliciant. *Inculti homines loquentes tumultuantur.*

§. 702. Neque mirum videri debet, hoc signorum ornatu caruisse primos mortales; Rhetorices, peculiaris facultatis hoc erat argumentum, quæ subsequorum mortalium curas studiumque eo tandem convertit per prolixas præceptiones, ut vocis & actionum scita moderatione non modo ideas significarent, sed & persuaderent; quod *Quintilianus* ostendit (*c*). *Cicero* certo in libro *de Oratore* mirabilem vocis virtutem magnifice extollit, quæ tribus tonis, gravi, acuto & medio omnem varietatem, omnem dulcedinem & harmoniam efformat. *Rhetoricæ hoc studium erat reservatum.*

§. 703. Altius adhuc quidam vocis & actionum nitorem evehentes, artem *Musicam* & *Poëticam* condiderunt, animum suavissime oblectantes, atque ita factum est, ut ad venustatem, voluptatemque id traduceretur, quod primitus soli necessitati deserviit. *Inventio Musicæ & Poëseos.*

§. 704.

(*c*) *Lib. XI. Institutionum, cap.* 3.

Ratio loquendi & per gestum & per vocem.

§. 704. Cæterum genuinis his mentem aperiendi signis postera ætas sic usa est, ut quandoque solis vocibus loqueretur, nonunquam sola actione, sæpius utroque simul, cum res inusitatæ, & magni ponderis exponendæ fuerunt, si ultimam antiquitatem consulimus sola gestuum significatio frequenter recurrit. Celebratur vetus edictum *Heracliti* apud Plutarchum: *regem cujus oraculum est Delphis, neque loqui, neque tacere, sed signis se manifestare* (*d*).

Prophetæ gestibus loquuntur.

§. 705. Præsertim vero Prophetæ, divinitus collustrati, cum divina imperia populis exposuerunt, gestus sine vocibus protulerunt. Sic *Jeremias cap.* 19. jussu Dei vas terreum in omnium conspectu confregit, ceu signum futuræ Judæorum desolationis. *Cap.* 28. vincula & jugum collo suo indidit, ut significaret depressionem, ad quam reges alienigenæ sub Nabuchodonosore erant redigendi. *Ezechiel Propheta cap.* 5. pilos capitis sui & barbæ rasit, eosque in statera appendit, ut luctum & turpitudinem, Judæis obventuram prænunciaret. *Cap:* 38. duos baculos pro Juda & Israële conjunxit. *In novo testamento* (*e*) attribuitur Paulo Apostolo, sermonem auspicaturo, vox *κατασείω* quæ significat *silentium manu indicere*, nempe gestum emphaticum proferre, ut animi præsentium silentio præparentur ad grande aliquid audiendum. Et sexcenta hujusmodi.

Locutio per saltum.

§. 706. Usitatior autem præ cæteris loquendi ratio per gestum, erat saltus, non ille quidem vulgaris, quo hodie in choreis homines scite petulciunt, sed alius multo gravior, & luculentior, qui festa quapiam agitatione totum corpus exercuit, & gaudia prodidit animi gestientis. Sic in sacris literis legitur Rex *David* ante arcam Domini saltasse (*f*); & *Salii*, veteres Romanorum sacerdotes populum sacris tripudiis ad festa exsuscitarunt.

Et hodie mos est per gestum loqui.

§. 707. Sed neque nostris hisce temporibus mos ille prorsus expiravit substituendi gesticulationem sermoni. Quoties, cum præsentium auctoritas coram loqui non sustinet, videmus clam, & retro oris

(*d*) Ο῝ς' ἄναξ, ὗ τὸ μαντεῖον ἐςι τὸ ἐν Δελφοῖς, ὔτε λέγει ὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει. *Plut. de Pythiæ oracul pag.* 404.

(*e*) *Act.* 21. *vers. ultimo.*

(*f*) 3. *Regum* 12.

oris contorſiones, & geſticulationes fieri, quibus alter, citra adſtantium ſenſum, officii, aut aſtus commoneatur? Surdis etiam actione loquimur. Comici quoque illi, quos *Pantomimos* vocant, tam clare, lepide & concinne hiſtorias ſine vocibus in ſcena pingunt, ut nihil omnino opus ſit verba audiiſſe. Jam juvat linguarum numerum examinare.

§. 708. Veteres plerumque ex Judæorum monimentis linguarum numerum reſtringunt ad LXX; dicitur quippe in *Geneſeos libro:* a nepotibus *Noë*, qui 70 familias condiderunt, *Japhet* 14, *Cham* 30, & *Sem* 26, ab eis, inquam, nepotibus *diviſas eſſe terras juxta linguas ſuas* (*g*). Hinc etiam totidem ſeptuaginta angelos, gentium illarum præfectos paſſim recenſent; Chriſtiani autem, qui ex græcis fontibus ſacram ſcripturam paſſim interpretantur, 72 decernunt originarias linguas, pariter juxta numerum Noëmi nepotum; græca quippe verſio *Eliſam* inter *Japheti*, & *Cainanem* inter *Semi* filios referunt, qui nusquam in hebræo codice comparent. *Quis numerus ſit linguarum?*

§. 709. Mihi, quod pace eorum dixerim, neutra illarum ſententiarum probatur; neque enim ſat perſpicio, quomodo ex 70, vel 72 Noëmi nepotibus, aut etiam ex allegatis ſcripturæ textibus tot numero linguæ conſequantur; nam tempore confuſionis Babelicæ, per ſpacium ducentorum annorum & ultra, proſapia *Noëmi* utique jam plures nepotes numeravit, quam hos 70, vel 72 familias. In ſcriptura ſacra texitur ſeries *Japheti*, & *Chami* ad tertiam duntaxat, *Semi* autem ad progenerationem ſextam; ſi autem præter memoratos nepotes aliæ plures generationes tum extiterunt, quæ ratio ſit, linguarum numerum his duntaxat 70 nepotibus conformare? *Ex S. ſcriptura linguarum numerus nequit definiri.*

§. 710. Certo ſcripturæ textus, paulo ante allatus, multo expeditius ſic intelligitur, ut dicatur a Noëmi nepotibus terras late patentes diviſas eſſe, & gentes variis linguis utentes eſſe ab eis conſtitutas; quæ interpretatio bene in altero ſcripturæ loco fundatur: *Quomodo textus ſcripturæ intelligendus?*

Eſtheris

(*g*) *Geneſ. 9. Cap. v. 18.*

Estheris quippe cap. 8. v. 9. dicuntur jussu *Assueri* centum vinginti septem provinciis scriptæ fuisse literæ, secundum scripturam & linguam cujusque provinciæ; quis exinde 127 linguas asseveret? cum plano sensui sufficiat, 127 populis linguas suas varias, quasdam conformes, quasdam diversas attribuisse.

Linguarum numerus nequit definiri. §. 711. Itaque in eam liberius sententiam concedo, quæ primarum linguarum numerum nullo posse pacto definiri, quin imo maximam earum partem, quæ hodie obtinent, ex originariis linguis, seu temere confusis, aut consulto truncatis, alienatisque esse enatam pertendit. Exempla id crebro testantur: superiorum temporum memoria vidit *anglicam* linguam ex germanica potissimum & gallica consurgere: vetustiori adhuc ætate *lingua latina* & *celtica* coalescens, gallicam, & *latina* eadem atque *Etrusca* italicam alternis e corruptelis parturivit; quamvis verba auxiliaria *sum* & *habeo*, quæ per omnem linguarum illarum *gallicæ*, *italicæ*, *hispanicæque* latitudinem vagantur, valide innuant, teutonicum idioma linguis illis architectricem operam adjunxisse; namque sub initium medii ævi, ruente Romano imperio, septentrionales populi, *Longobardi*, *Cimbri*, *Visigothi* &c. spoliorum causa in provincias illas commigrantes, contubernium suum & linguam indigenis attulerunt, quæ deinde in novam succrescentem influxit.

Multæ adhucdum sunt linguæ incognitæ. §. 712. Denique quis ausit linguarum numerum definire, dum non exigua orbis terraquei pars inter incognita recensetur? certo nisi *Christophorus Columbus* Anno 1492. difficillimis navigationibus detexisset *Americam*, lateret fors nos hodiedum omnis illa Mundi pars, tot incolis, & idiomatum multitudine distincta. Sed & alias plagas poli Antarctici adhucdum ignoramus; si mera continens ibidem est, poterit illa ambitu suo tres Mundi partes, Europam, Asiam & Africam exæquare. Quis definiet in illis vastissimis plagis, in illis frequentissimis incolis, a nostro commercio hactenus seclusis, idiomatum varietatem?

CAPUT

CAPUT II.

De Vocibus in universum, earumque significatione.

§. 713. Voces consuevimus appellare sonos articulatos, ex libero arbitrio constitutos, qui quidem non nudum sonum, sed ideas in mente residentes explicent, & mutuum inter homines commercium, cogitationibus atque actionibus comprehensum, tueantur (*h*). *Quid sint voces?*

§. 714. Significant vero voces duntaxat eas ideas, quæ loquentis in animo insunt, & errant omnino illi, qui suis se vocibus ideas, in aliorum animis existentes, aptissime significare arbitrantur, quomodo enim rei ignotæ, quales sunt utique intimæ ideæ aliorum hominum, certum signum proferetur? quidquid de aliorum hominum ideis cognoscimus, id inde venit, quod iisdem, quibus & nos, vocibus, ceu signis utantur; ast usus communis eorundem signorum nequaquam conficit, res etiam significatas esse prorsus in variis mentibus easdem: voces certo semper eædem sunt, atque eadem harmonia semper obsonant auribus, idearum autem fabrica delicatiori artificio mentis peragitur, & plerumque nutat; sæpius idea objecto non congruit, sed est erronea, & novis inquisitionibus emendatur: sæpius confusa & obscura idea studio inclarescit: sæpius etiam nimium angusta est & manca idea, quæ partem objecti reticet, partem manifestat, quo vitio plerumque compositæ ideæ laborant. Omnes hæ tamen ideæ iisdem semper vocibus exprimuntur, neque licet eas, penes se positas, conferre invicem, an eorum omnium æqua sit conditio, quæ eidem externo signo subjiciuntur? *Alienas ideas nostris vocibus significare non possumus.*

Rr 2 §. 715.

(*h*) *Non est animus disputare hoc loco de ea vocum natura, quæ auditus sensum duntaxat afficit, & sine ullo significandi officio per aërem oberrat; hæ voces competunt etiam campanis, brutis, dum gaudii, doloris, pavoris &c. signa emittunt, sine hominis ullius cura & studiis inventæ, citra difficultatem intellectæ.*

Exemplum Variationis idearum, quæ eodem signo exprimuntur.

§. 715. Rei dignitas me adducit, ut uberiori exemplo, quod modo dictum est, collustrem: quidam voce *auri* significant *substantiam metallicam, rutilantem atque ardentem*, talem quippe ideam auri solus visus in mentem ignavi hominis ingessit. Alius paulo acutior significat eadem voce *auri* ideam *substantiæ metallicæ, maxime fulgentis, simul & gravissimæ.* Tertius prioribus ignavior significat ideam *substantiæ metallicæ, admodum pretiosæ, cui mundus nimium quantum afficitur, & in quo felicitatis terrenæ summam homines reponunt.* Alius denique ideam notat *corporis metallici, lucidissimi, gravissimi, maxime ductilis, & reliqua metalla puritate antecellentis, quod in aqua regali solvitur, & antimonio depuratur.* &c. Videtis, quam idem signum, a diversis adhibitum, & communi decreto rei duntaxat uni significandæ destinatum, ideas exprimat, tota a seipsis effigie alienas.

Unde tanta difformitas idearum?

§. 716. Hæc idearum tota difformitas exinde mihi nasci videtur, quod homines addiscant voces seu signa ab aliis hominibus pro ratione occasionis instantis; & quemadmodum illa præsens occasio unam solum perfectionem aut modum rei, quæ voce significatur, menti objicit, ita plerumque fit, ut nihil porro soliciti vocem illam, ceu signum constituamus ideæ, rem cum illa tantum perfectione aut modo exhibentis, nisi deinceps contingat, ut vel propria indagatione, vel aliorum institutione pleniorem illius rei, cujus vocem didicimus, hauriamus notitiam; atque hoc postremum nisi fiat, proferentur perpetuo voces, ceu signa illarum idearum, quæ nullam, aut certo non nisi umbratilem referant cum objectis similitudinem, atque communionem; & non tam dicetur homo rerum, quam vocum notitia locupletari. Cl. *Wolfius* queritur sæculi nostri pruritum, quo juvenes a tenera infantia ad linguarum studium incitantur, ut trium, quatuor aut plurium variarum linguarum vocibus eandem rem promere norint, quam ne in sua sola patria lingua prolatam probe intelligunt; tam parvi quippe refert, ex *Wolfii* sententia, voces sine rei ipsius cognitione, seu idea didicisse (*i*).

§. 717.

(*i*) *Quod Wolfius sæculi esse culpam dicit, id ego quidem laudi eidem vertere ausim, ac ornamento; cum enim non diu abhinc æmulatio inter cultas gentes*

§ 717. Præterea provide discavendum est tyronibus, utne rem cum voce, seu signo rei permisceant, aut pro eodem haberi patiantur; varium utriusque munus, & definitio, distinctionem ob oculos ponit. Qui vocem quampiam definire voluerit, id adferre debet, quod vox illa ex communi hominum consensione significat; veluti: *Sphæra est corpus genitum ex rotatione semicirculi circa suum axem: dies est illud tempus, quo sol in nostro hæmisphærio versatur;* qui vero rem definire cupit, illa voce a quopiam significatam, ei opus est ad mentem illius respicere, qui eam vocem, animi sui sensa expositurus usurpavit; sic evenire poterit, ut quidam tempus hybernum, plenum caligine, & multa nebularum congestione horridum non nominet diem, etsi forte sol tum in nostro hemisphærio versetur. Inde natum est, quod sub aliqua voce alter hoc intellectum velit, alter illud: inde exoriuntur lites, quæ in omni arte & scientia interminabiles tricas, & ludicras dissensiones excitaverunt. *Aliud est res, aliud est signum rei.*

§. 718. Moverunt autem quidam nuper gravem disputationem: *anne voces primario res, an vero ideas significent?* & cujusnam gratia primum sint institutæ? quod quidem dissidium facili posse brachio componi existimo, si in finem & scopum illorum intueamur, qui collatis sententiis vocum valorem, atque delectum primitus constituerunt; nempe adhibuerunt illi voces, seu signa, ut alter de alterius mente fieret certior, atque ut mutuum societatis vinculum, & cogitationum commercium exerceretur; nisi commercium ursisset, contentus fuisset quilibet, rerum sibi notitiam parasse pro privato emolumento, & insuper habuisset, vicaria huic cognitioni signa substituere, quæ ideas mentis præcipitarent in novum chaos articulatæ locutionis. Ideoque voces primario esse videntur signa idearum; quia autem ex rebus & sensationibus suas sibi ideas mens conficit, hinc signa seu voces secundario referuntur ad res. Cæterum neque res, nequæ ideæ suapte natura certis vocibus devinciuntur; *An voces primario significent res, an ideas?*

gentes incaluerit, ut non nisi in patria lingua scientiarum institutum excolant, atque amplificent, parabitur juventuti ad omnes illas præclaras inventiones primus gradus cognitione linguarum exterarum, præsertim cum una lingua alterius voces clarius non raro explicare reperiatur; at vero id omnino fieri debet, ut dum aliæ linguæ memoriæ mandantur, patriæ linguæ, & notionibus præcipua cura impendatur.

tur; res enim quælibet poteſt variis vocibus ſignificari, & ideæ etiam, quæ eadem voce ſignificantur, maximam inter ſe referunt diverſitatem, quod paulo ante oſtendi.

Totuplicia ſunt ſigna, quotuplicia ſunt ideæ.

§. 719. Cum itaque præcipuum munus vocum ſit, ideas auribus pandere, debebunt utique tot, ac totuplicia eſſe ſigna, ſeu voces, quotuplices in mente fuerint ideæ; erunt voces, quæ *ſimplicem ideam* ſignificant, ut *motus*, *lux* (§. 10.): aliæ depromunt *ideas complexas*, *farraginem proprietatum*, *& modorum mixtorum continentes* (§. 16.). Perſpicuum eſt in omni vitæ officiorumque communione, quanto ſint compendio & commoditati voces idearum complexarum; certo qui cæteroquin notam Mahumetanorum, aut Judæorum religionem ſignificare alteri velit, deberet immenſam legum ac ceremoniarum multitudinem permoleſte enumerare, e quibus in audientis animo tandem religionum illarum idea conſurgeret, niſi una vox prolata *Mahumedaniſmus* aut *Judaiſmus* compendium faceret totius circumſcriptionis, & loquentem audientemque eliberaret repetitionis faſtidio. Idipſum præſtant innumeræ aliæ voces idearum complexarum.

Vocum mira præſtantia.

§. 720. Aliæ voces ſignificant ſubſtantias (§. 15.), aliæ modos (§. 16.): alia ſunt nomina rerum abſtractarum, quæ nusquam niſi in mente reperiuntur, veluti *genus*, *ſpecies* &c. (§. 6.): aliæ rerum concretarum (§. 14.). Nova mihi hoc rurſum loco obverſatur vocum præſtantiam utilitatemque extollendi ſeges; voces quippe cum materiam ſenſusque afficiant, ad res ſuperioris ordinis elevantur, & ſignificant etiam ea, quæ a ſola mente effinguntur, atque materiæ compagem effugiunt; quod illuſtre munus communi gentium ſuffragio obtinuerunt.

Voces ſeu termini generales.

§. 721. Voces & termini generales generum, ſpecierum veluti: *animalis*, *leonis*, *equi* &c. non ſunt aliud, niſi ſigna, quibus variæ claſſes ſignificantur diſtributarum idearum; & cum ſubſtantia ad quandam pertinere ſpeciem dicitur, intelligi debet, complecti eam in ſe illas proprietates, quas complexa ſua idea refert, ſpecifica voce ſignificata.

§. 722.

§. 722. Aliæ ſunt voces *adæquatæ:* aliæ *inadæquatæ. Adæquatæ* ſignificant ideas adæquatas: *inadæquatæ* inadæquatas (§. 20.) (*k*). Aliæ voces ſignificant *actiones*, & *paſſiones* pro varia modorum, temporum & perſonarum ratione. Aliæ ſunt voces *relativæ*, quæ res memoratas breviſſime complectuntur, & in memoriam revocant. Aliæ voces *conjunctivæ*, *disjunctivæ*, *reſtrictivæ* &c. quæ ſuo loco & tempore orationi adſperſæ, multam elegantiam conferunt. De quibus Grammatici. Acceſſerunt autem hæ elegantiæ, & artificioſæ ambages linguis paulo tardius, nempe poſt repetitas expolientium curas; primæva earum ſimplicitas neceſſitati ſolum, non luxui paruit. *Voces adæquatæ, & inadæquatæ.*

§. 723. Aliæ voces ſunt *claræ:* aliæ *obſcuræ*, & incertæ ſignificationis; ad claras referuntur *univocæ*, quæ nempe eandem rem perpetuo ſignificant, ut *homo*, *equus* &c.; ad obſcuras autem referuntur *æquivocæ*, & *analogæ*. *Æquivocæ* ſignificant pro utentium arbitrio res, toto cælo diverſas; ſic leo ſignificat & *animal*, & *ſtellam: Ægyptius* ſignificat hominem in Ægypto natum, item etiam *magum*, ſeu hominem, malis artibus vacantem; propterea quod Ægyptii artibus, quibus maxime abundabant, ad præſtigias uterentur; hinc pagani, olim invidia & livore in Chriſtianos perciti, eos *Ægyptios* nominarunt, eorumque prodigia, divinitus edita, pro maleficiis habuerunt. Hoc nomine compellatus eſt *Oſius* Epiſcopus Cordubenſis (*l*). Vox græca δύναμις aliis *virtutem*, aliis *potentiam* ſonat; Diophanti *quantitatem*, exortam e numero, in ſe ducto &c. *Voces claræ, obſcuræ, æquivocæ, analogæ.*

§. 724.

(*k*) *Voces ratione ſui* adæquatæ *ſunt, quæ omnes literas, ſeu ſonoras partes enunciant:* inadæquatæ, *quæ quibusdam ſui partibus truncantur, ſeu abſorbentur; velut apud Germanos* geſehen *pro* geſehn. *Frequentes ejuſcemodi voces ſunt Gallis, Italis &c. Reverentia vetuit, auguſtæ dignitati latinæ linguæ ejuſcemodi corruptelas inferre, niſi forte in quibusdam licentiis, & eliſionibus poëticis, veluti: quantum eſt in rebus inane.*

(*l*) *Refert Zoſimus ſcriptor ineuntis ſæculi V. paganus: Conſtantinum M. cum tot ſuis criminibus & cædibus, ipſius etiam uxoris Fauſtæ, & filii Criſpi jam non ſupereſſe apud ſuos ſacrificulos luſtrationem audiret, ab Oſio, in aulam clam ingreſſo, edoctum eſſe, in Chriſtiana religione haberi luſtrationem pro Conſtantini, & alterius cujusque maximis ſceleribus; itaque hac de cauſa, & luſtrationis amore Conſtantinus ad Chriſtiana ſacra acceſſit.*

§. 724. Analogæ voces significant res, quibus quædam ineſt ſenſus communio, & ſimul diverſitas quædam; veluti vox *principium:* analoga eſt ad diem, librum, & fluvium; ut ad diem refertur, notat *diluculum:* in libro *inſcriptionem*: in fluvio *ſcaturiginem.*

Et hodie licet voces fabricare.

§. 725. Jam vero quemadmodum primis temporibus mutuus hominum conſenſus voces procudit, rerum ſignacula perenniter futuras, ita & hodie licet novas ejuſcemodi fabricare voces, ſi forte res novæ in lucem proferantur; & ridiculi mihi ſemper viſi ſunt illi homines, qui ad conſervandam aut latinæ, aut patriæ linguæ puritatem renuunt novam uſurpare vocem, neceſſitati ſervientem. Rejiciunt hi vocem barbaram *tabaccus*, rejiciunt terrificas voces *tormentum*, *ſclopetum*, *mortarium*, & quas architecti recentiores militares adinvenerunt, veluti *ravelina* &c. quia nempe in probatis, & aureæ ætatis ſcriptoribus non invenitur, maluntque vagas ſubſtituere circumlocutiones, quas nemo ſine confuſione intelligit. Quod certo argumentum eſt cerebri ſtupidi, & delirantis, ut ſigna vicaria, ſeu voces rerum in illis vetuſtis temporibus quærant, ubi res ipſa, ſeu ſignificatum nondum erat. Opporteret profecto in horum gratiam nihil præclari a quoquam inventum fuiſſe unquam. *Cicero* ipſe, ſi hodie exiſteret, novas has voces inhæſitanter amplecteretur, & civitate latina donaret, cum videret novis rebus humanam ſupellectilem fuiſſe adauctam.

Quo magis artes excultæ, eo plures habent novas voces.

§. 726. In illis artibus & opificiis, quæ recentiori ævo aut de novo inſtituta, aut ſaltem ad eminentiorem gradum ſunt provecta, frequens recurrit uſus vocum novarum technicarum; veluti in arte *capillaria*, in arte *equeſtri*, in arte *textoria*, *ſaltatoria* &c. Illa gens aut natio, quæ novis inventis artium illarum ſtatum perpolivit, etiam inventis novis voces novas, ſeu ſigna indidit, quas tandem aliæ etiam gentes in ſuam linguam tranſtulerunt; hinc eſt, quod in germanica tot voces gallicæ adhibeantur a variis artificibus, veluti *friſi*ren in arte capillaria, *radoupi*ren in arte equeſtri, *balanci*ren in arte ſaltatoria, *ragout* in coquinaria &c. Pro multitudine novarum vocum technicarum, in artibus occurrentium, paſſim deprehendimus, majorem perfectionem illis artibus recentiorum ſtudio acceſſiſſe, præſertim in illa gente, quæ voces ſuas rebus indidit, & neceſſi-

neceſſitate quadam exteras gentes obſtrinxit, ſuæ linguæ latices delibandi.

§. 727. Nonnulli auctores novarum vocum ſalubriter reſpexerunt ad analogiam, illiusque ductui ſunt obſecuti; ſic vitra convexa dioptrica, non diu abhinc inventa, vocarunt *lentes*, propterea, quod figuram referant lenticularem: radios electricos dixerunt *torrentes electricos*, quia nempe videntur torrentis ad inſtar ex electricis corporibus erumpere &c. qua ratione rerum novarum obſcuritas quodammodo illuſtratur, analogia vocum præferente lumen; atque utinam huic ſemitæ auctores aliarum plurium neo conſtitutarum vocum inſtitiſſent (*m*). ***Analogia in novis vocibus.***

§. 728. Unum mihi adhucdum ſupereſſe video, ut oſtendam, cognitione & examine vocum poſſe intelligi, quasnam de rebus ideas conceperint antiquæ, & remotiſſimæ gentes, aut unde rebus, extra omne ſenſuum commercium poſitis, deprompſerint notiones? Etenim cum ex uſurpata omnium gentium conſuetudine, vox eadem non niſi rebus, in idem fere recidentibus, attribuatur, cumque ſigni, & rei ſignificatæ rationem congruere neceſſum ſit, palam eſt, eas res, quibus veteres linguarum auctores idem ſignum ſeu vocem impenderunt, quandam inter ſe habuiſſe naturæ communionem. Jam vero in comperto eſt, ſpiritus, quos omni carere materia dicimus, idem obtinuiſſe cum ſpiritu, ſeu ſpiraculo nomen, & paſſiones animi, veluti *motum*, *inclinationem*, *propenſionem*, *agitationem*, *tranquillitatem*, *claritatem*, *debilitatem* &c. ſic fuiſſe compellatas, quod experientia didicerint, motum, inclinationem, tranquillitatem rebus corporeis convenire conſimilibus in circumſtantiis; igitur arguere licet, primos illos latinos *ſpiritum* pro *ſubtili materia*, & ad inſtar ſpiraculi habuiſſe, aut certo ſenſiſſe, in naturam illius immaterialem mutationes advenire ad inſtar rerum corporearum. Plures ejuſcemodi ideæ rerum incorporearum colliguntur ex vocum affinitate: ſic Θεὸς ***Voces inditæ deducunt nos in cognitionem idearum primarum.***

(*m*) *Mihi probari non poteſt illud Chemicorum inſtitutum, quo rebus, ſuo jam nomine donatis, alias voces indiderunt, veluti plumbo nomen* Saturni &c. *nulla cauſa rationabilis hanc permutationem tuetur, niſi illud forte rationabile ſit, ut myſteriis & ænigmatis illorum ſcripta caligent.*

Θεὸς derivatur a Θεῖν *movere*, primi quippe idololatræ adorarunt aſtra moventia, ceu deitates; hinc vox *Deus* notio *deitatis*. Apud Hebræos, & Perſas vox *lepra* ſignificatur voce *impreſſio*; exiſtimabant quippe, lepram eſſe percuſſionem flagelli divini. Græci voce *papilio* vocarunt *animas* (*n*), volentes illarum immortalitatem indicare; quemadmodum enim papilio, cruſta chryſalidis eliberatus, vivo corpore excedit, & in auras avolat, ita prorſus putarunt mortis occaſione transmutari animas, transferrique in cœlum. Videtis, quam variæ opiniones, gentibus peculiaribus uſitatæ, etiam in earum voces proſerpſerint, ut voces indicarint earum ideas, veluti *ſpiritus* rem materialem ſubtiliſſimam. Præclare *Lokius Lib. III. de Intell. cap. 1. §. 5. nullus dubito, ſi omnium vocum ortus nobis a ſua origine pateret, inveniremus in omnium gentium linguis nomina, quibus res deſignantur, quæ non cadunt ſub ſenſus, ab ideis ſenſibilibus originem habuiſſe; atque hinc haud difficile eſt conjectura aſſequi, quales iſta notiones fuerint, atque undenam deſumptæ, quibus mentes eorum imbutæ erant, qui primi his loquebantur linguis, & quo pacto natura, cum rebus nomina imponerentur, hominibus cognitionis ipſorum originem, & principia, nec inopinis ſuggeſſerit.*

CAPUT III.

Deteguntur vocum diverſa vitia: & cautelæ contra abuſum proferuntur.

Vocum vitia deteguntur. §. 729. Vocum præſtantiam ad aperiendam mentem intelleximus, & ſummam ad vitæ commercium neceſſitatem; nunc opportet in emolumento pericula detegere, & ſcopulos, ab iis objectos, criticis luminibus revelare. Multis profecto careret res literaria perturbationibus, ſi veteres huic negocio ſtudioſius invigilaſſent.

§. 730.

(*n*) *Interpres Nicandri vetus* φαλάινας *vocari ait* ψυχὰς: φαλάινα *autem inquit* Ῥοδίων ἐςὶν ὄνομα· ὅτω γὰρ αὐτοὶ τὰς περὶ τὰς λύχνες πετόμενα θηρία καλῦσι. *Rhodium eſt vocabulum; ita autem appellant animalia, quæ lucernas circumvolitant.*

§. 730. Hæc autem inhærens vocibus imperfectio videtur coorta fuiſſe e duplici principio, *primo:* quod homines indiderint ſignificationes vocibus pro ſuo arbitratu, quas deinde idearum loco habuerunt; cum autem ipſæ ideæ pro varia mentium aut inſtabilitate, aut amplitudine variæ ſint, & inconſtantes, quis poſſit in vocum ſtabili ſono germana idearum ſigna ſibi policeri? *ſecundo:* quia mens liberiori facultate prædita, multis modis idem objectum ſibi ſiſtit, aut *ampliatum*, aut *imminutum*, aut *vagum*, aut *ad alia comparatum* (§. 715.); quod inertis, & materialis vocis conditionem tranſcendit. *Duplex cauſa imperfectionis vocum.*

§. 731. Quotidiana ſane experientia & ipſi docemur, diſſimilem admodum eſſe animi vocumque facultatem, & differentem utriusque agendi licentiam; quoties amabo! dum mens ſevere meditando argutias invenit, easque ordine & ample venuſteque digeſſit, quoties, inquam, querimur hærere ſermonem, & voces collectitias abire in pauperiem indigeſtam, aut ad prorſus alias notiones dilabi? hinc naſcitur illa vulgaris querimonia: *nequit ſuam mentem explicare.* Certo, ſi quis eo pervenit, ut, quidquid libuerit, apta & fluente accurataque oratione depromere poſſit, ille ceu heros ſuſpicitur, & revera prærogativam tenet, in paucis relucentem. Sed has vocum imperfectiones ſingillatim accedamus. *Voces ſæpe deſunt explicationi pulchrarum notionum.*

§. 732. Prima vocum imperfectio eſt *ambiguitas*, & vaga in objectum collimatio; hæc imperfectio præcipue locum reperit in vocibus ſignificantibus ideas compoſitas, e multiplici accidentium & modorum ſerie coagmentatas. *Fallere quempiam*, exhibet complexum plurium idearum, veluti: *calliditatem mentis*, *inimicam voluntatem in alterum*, *ac deterrimam intentionem*, *violationem divinæ & humanæ legis*, *atque imminentes diras pœnarum.* Nihil horum omnium apparet in eo, qui gemmæ loco reſtituit alteri vitrum, neque etiam actioni fallentis ſuapte natura obſtringuntur ideæ illæ particulares, quæ tamen per intellectum in unum collatæ *fallere* vocantur. Quis divinare queat, qualem, unamne, aut plures, aut etiam omnes illas ideas hac voce utens comprehendat? Igitur obſcuritatem involvit illa vox, neque eandem ideam excitabit in audiente, quam in loquentis animo ſignat. *Ambiguitas vocum imperfectio.*

§. 733. Eadem labe plurimæ aliæ voces laborant. Primus austriacæ vocis Hönzen (o), inventor eas ideas huic voci devinxit, quæ vix refplenduerunt in audientium animis, nisi forte poſt longum popularium uſum; quamvis neque communem uſum ſufficere putem ad certam ſignificationem vocibus conſtituendam: plerumque vulgo voces *dignitas*, *humilitas*, *pietas* &c. alias ideas offerunt, atque ex recte ſentientium judicio opporteret: vulgus, ex rudi ſui amore exigens virtutes ad abjectam ſuam conditionem, reponit plerumque humilitatem in contemptibili modo vitæ, eamque nullo poſſe pacto conciliari autumat cum magnatum fortunis; quod tamen reſpuunt ſinceriores judices, qui dicunt humilitatem, ſeu modeſtiam, cæteraſque virtutes eſſe animi ornamenta, omni ordini accommodata, quandoque & pro opportunitate afforis lucentia &c.

Uſus communis non ſufficit ad determinandas vocibus ideas.

Quomodo voces ſignificationem ſuam mutent?

§. 734. Ex eo, quod voces, quæ ideas compoſitas ſignificant ſeu complexum plurium rerum, quibuſdam vel demptis, vel immutatis aliud innuere ſoleant in loquente, aliud in audiente; ex eo, inquam, illud natum mihi eſſe videtur, quod multæ voces poſt longiorem temporum ſeriem delapſæ ſint ad alias, planeque oppoſitas res ſignificandas. Certo vox *magus* vetuſtiſſimis hominibus ſignificabat hominem, occultarum artium ſubſidio mira patrantem; e quibus ideis colligatis cum poſteri omiſerint bonas artes, aut ſubſtituerint iiſdem fraudes diabolicas, factum eſt, ut hodie *magus* ſignificet hominem, ad exercendas præſtigias malo dæmoni devotum.

Voces analogæ unde ortæ eſſe videantur?

§. 735. Simili ratione prodiverunt voces, analogiam aut metaphoram referentes, veluti *vincere*, *triturare*, *floreſcere* &c. *vincere* primitus ſignificaſſe videtur, profligare collatis armis turmas hoſtium: *triturare* flagellorum ictibus ſpicas impetere atque frumentum ex iiſdem eximere: *floreſcere*, primo vere florem & ſigna futurorum germinum proferre &c. quæ ideæ partim truncatæ, partim ad alias applicatæ hodie etiam dicuntur de eo, qui contentione ſtudiorum alios præcedit; item de eo, qui flagra excipit, nec non de illo, qui florida eſt ætate. Videtis quam ſimplici ductu reperiantur

(o) *Significat hæc vox auſtriacis, fabulando, ſub ſpecie ſinceritatis & aliquem traducere & deriſui habere conæſtimationis.*

tur linguarum incrementa, dum recte inſpicitur idearum & vocum commercium.

§. 736. Ad ambiguitatem, ex varia idearum amplitudine prodeuntem, revocantur etiam voces *anomalæ*, deviantes ab uſitata ſignificandi ratione, ob extenſionem ad varia officia, quemadmodum verba nonnulla grammaticalia per activam ſimul & paſſivam ſignificationem vagantur, & attento opus eſt, ut eam, quam uſurpare velis, probe enuncies, aut ab alio prolatam, perſpicue intelligas. *Voces anomalæ.*

§. 737. Præcipua autem cautela adhiberi debet vocibus *æquivocis*, quæ ambiguitatem fovent ſignificando res diſpares, & a ſe invicem plane abhorrentes, idque ab ipſa ſui origine, & libertate inſtituentium, non ob ideas longo uſu dilapſas, aut hominum imbecillitate permutatas. Ejuſcemodi voces ſicut *leo* ſignificat hominem, animal quadrupes, & ſtellam. *Cancer* animal cruſtaceum ſignificat, ſeu gammarum, & morbum exedentem. Item *ſol* apud Chemiſtas ponitur pro auro, *lupus* pro antimonio &c. *Voces æquivocæ.*

§. 738. Ab *æquivocorum* varietate, & dubio faſtu errores, & incredibiles fabulæ ſerpſerunt in hiſtoriam remotiorum temporum; habito enim fundamento æquivocationis facile erat, humanam indolem, cæteroquin in portenta proclivem, diſponere, ut in obſcuris ſomniaret. Vox *lupa*, uxori paſtoris *Fauſtuli*, & feræ ſilveſtri propria, Romanos poſteros, divinæ originis cupidos, induxit ad ſanciendam fabulam educationis *Romuli* & *Remi* a lupa ſilveſtri: æquivocatio indidit humeris *Atlantis* regis jure poëtarum ſtelliferum cælum, quod alias altiſſimus mons *Atlas* ſuo vertice contingere putabatur: ab æquivocorum duplici fronte inducti ſunt in errores ſortilegiis vacantes, & divini, ut hominem ſub ſigno cæleſti *libræ* natum, mercatorem prænunciarent: alium natum ſub ſigno *cancri*, futurum hominem ſiniſtra fortuna, & retrovertente &c. *Ab æquivocis fabulæ ſunt ortæ.*

§. 739. Quædam ſunt voces, quæ vulgo nihil æquivocum in ſe habere exiſtimantur, reipſa autem maxime *æquivocæ* ſunt, veluti *vivere;* animalia vivere dicuntur, vivere & plantæ, & ſpiritus vivere; cum tamen res ſit toto cælo diverſa hominum vita a vita ſpirituum *Æquivocatio quandoque latet.*

ſpirituum & plantarum, quibus poſtremis potius nulla omnino eſt vita, nullus ab intrinſeco motus, ſed motus duntaxat a preſſione & mechaniſmo proveniens.

Vocum æquivocarum fallacia.

§. 740. Vagatur hæc *æquivocorum* fallacia per omnes late diſciplinarum, virtutum vitiorumque ordines. Inter *anatomicos* non convenit, an ſubſtantia cerebri glanduloſa ſit, an vaſculoſa? quæ controverſia ortum ex glandulæ æquivocatione ducit, ſignificat quippe aliis vas ſecernens humores: aliis vaſculum certæ configurationis. Vox *criticus*, *politicus* &c. diſcrimini plerumque & invidiæ expoſita eſt; quibusdam ſonat *critici* compellatio lividum cenſorem, & triſtem humanarum actionum Ariſtarchum: aliis vox eſt honorifica, & prærogativa ingenii, non ex vulgi tumultu, ſed juxta ſaniores veritatis leges decernentis. *Politicum* alii dicunt ſubtilium artium verſutum fabricatorem, qui publico male imponat, aut prorſus cives peſſumdet: alii *politicum* dicunt hominem, a terſiſſimis moribus, atque commendatum a ſtudiis, ad reipublicæ incolumitatem exactis; quæ omnia adeo adverſis inter ſe ideis depugnant, ut audiens ejuſcemodi vocem, ſuſpenſo animo, quid ea intellectum opporteat, præſtoletur. Certo *Epicurus* voce *voluptatis* ſignificare voluit ſummam animi corporisque tranquillitatem, & perpetuam ab omni dolore exceptionem, atque nullatenus haberi illud opportere pro voluptate, cui pœnitentia, & ultio immineat (*p*); qua in ſignificatione licebit & hodie honeſtiſſimo cuique homini eſſe Epicureo; At hodie intelligimus voluptatis nomine effrænem libidinis perſecutionem, quod ſenſum efficit a priori maxime abhorrentem.

Voces æquivocæ ſenſui officiunt.

§. 741. Porro de vocibus *æquivocis* obſervaſſe juverit, ab iis plerumque tenebras induci in orationem, & hiatum; etſi enim orationi præter æquivocas voces non deſint claræ, hæ tamen ipſæ, ubi illis ambiguis aſſociantur, pariunt ſenſum confligtantem, imo etiam nullum; ſic hæ propoſitiones: *leo circulo inſiſtens*, *ad ſolem accedit, & recedit.* Item: *Pluma per plateas loquendo ponderat.* Perplexum utique reddunt animum audientis, eo quod ideas harum vocum non liceat apte inter ſe conſociare. Quod ſi vero dicatur *leo* ſtellam ſigni-

(*p*) *Laërtius in Epicuro Lib. X. Segm.* 34.

ſignificare; & *Pluma* eſſe nomen proprium hominis, & *ponderare* idem, quod deliberare, tum ſtatim clara conſurgit totius orationis idea. Per ejuſcemodi ambages oracula ſybillarum, & ſanctorum etiam Prophetarum prolata fuerunt, quorum ambiguitatem, & obſcuritatem longa tandem temporum evolutio depulit. *Prophetæ æquivocationes uſurparunt.*

§. 742. Veteres Chriſtiani, quod ex hiſtoria eccleſiaſtica diſcimus, de induſtria indiderunt ſacris ſuis myſteriis alia nomina tempore perſecutionum, nempe ut ſub involucro aliarum vocum ſecurius occultarent paganis eadem ſua myſteria, margaritas porcis objicere metuentes. Hanc ſuam celandi induſtriam vocabant *Diſciplinam Arcani*. Doctiſſimus *Emanuel Schelſtrate* librum de ea conſcripſit, in quo plures affert ejuſcemodi voces, audienti alium ſenſum offerentes, atque inter cætera adducit epiſtolam Papæ *Innocentii I*, & *Melchiadis*, in qua ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum vocatur *buccella fermenti*, eo nimirum conſilio, ut ſi forte epiſtola deperdita, aut etiam ipſum Sacramentum delaberetur in paganorum manus, illi in eo nihil ſancti, nihil myſterii ſubolerent, atque ita præterirent Sacramenti contumeliam, & fidelium ſuper eo examen urgere. *Diſciplina arcani veterum Chriſtianorum.*

§. 743. Hæc quidem de ambiguitate vocum ejuſdem idiomatis allata ſunt; at graviora occurrunt vitia, ſi variorum idiomatum voces conferantur invicem; Nam quodlibet cælum, qualibet educatio, temperamentum, & forma regiminis peculiares, ſibique proprios inſpirat mentibus cogitandi modos (§. 117.) & his communiter notionibus innutriuntur homines a tenera ætate; voces vero cum vicariæ ſint noſtrarum idearum, atque id tantummodo ſignificant, quod idea complectitur, conſequitur manifeſto, nec linguas ſibi correſpondere, quemadmodum variarum gentium indoles, & cogitandi ratio non prorſus congruit. Profecto ſi ex alia lingua in aliam quidpiam reddendum ſit, ſentiet etiam peritiſſimus utriusque linguæ, ſe in quibusdam notionibus reddendis ad aquas hærere; reddet quidem conſimile quidpiam, omnem autem nutum phraſis non valebit manifeſtare, prohibitus alterius idiomatis egeſtate; hinc eſt, quod præcipuorum ſcriptorum monimenta plene intellecturus non debeat *Ambiguitas major eſt in linguis variis.* *Linguæ ſibi omnino non reſpondent.*

ſiſtere

ſiſtere in translationum mæandris, ſed magis originarios fontes delibare (*q*).

Idiotiſmi non poſſunt in alia lingua exprimi,

§. 744. Proprietates idiomatum, quas *idiotismos* nuncupare mos eſt, vel in una voce ſingillatim offeruntur, vel in plurium contextu. Nemo intimum ſenſum expreſſerit germanicæ vocis Wörtlen, etſi dicat: *ſermone contendere.* Ein ſchifriger Menſch, ſich tändlen ꝛc. hæ voces vix reperiunt alienas ſui roboris, ſi earum tota ſignificandi ratio inſpiciatur. Id ipſum evenit gallicis vocibus *Eſprit fort*, *friſer* &c. Vox græca Θέος jam verum Deum ſignificabat, jam Deum falſum, aut conditionem heroum, humana paulo majorem (*r*).

Idiotiſmi ſententiarum.

§. 745. Idiotiſmi ſententiarum in omni lingua permulti ſunt: latinam phraſim *delectum facere militum* & *nomen ſuum inter milites profiteri* non ſat exprimimus in germanico werben, vel ſich unterhalten laſſen; quippe latina phraſis modum ſimul docet, quo olim milites conſcribebantur apud Romanos, aut nomen militiæ dabant; cujus moris hodie extincti nulla eſt in germanicis vocibus inſinuatio. Libet translationes ſententiarum adjungere e variis linguis, argumenta variantis indolis linguarum (*s*).

§. 746.

(*q*) *L'Abbe Fleury. Du choix, & de la conduite des Etudes.* Les hommes ont bien plus de penſées, qu'ils n'ont inventé de ſons diferens pour les exprimer; ainſi il n'ya point de langue, ou l'on ne demeure court à quelque endroit. Ce n'eſt donc pas traduire parfaitement, que de tourner ſimplement les mots, s'ils ont une conſtruction Barbare, dans la langue, où on les rend. Il eſt vrai, que cette maniere de traduire, eſt la plûs ſûre pour la fidelité, & qu'elle donne au lecteur le plaiſir de voir dans la traduction le genie de langue originale. Telle eſt la fameuſe verſion des teptante. Elle repréſente l'original, mot pour mot, & rend toujours les mêmes mots hebreux, par les mêmes mots grecs, on ne peut traduire avec plus d'exactitude, & de religion. Le reſpect du texte ſacrè fuiſoit craindre d'en alterer le ſens par le moindre changement. Mais ordinairement pour bien traduire, il faut rendre la même penſé, & autaut, qu'il ſe peut. la même figure, & la même force d'expreſſions, ſelon le naturel d'un autre langue, & quand l'ecolier s'en ecarte, il faut lui faire ſentir le defaut de ſa traduction.

(*r*) *Vide Hieroclem in aurea carmina Pythagoræ:* πρῶτον ἐν ἄνθρωπον δεῖ γενέσθαι, καὶ τότε Θεόν. Primum itaque hominem fieri opportet, tum vero Deum.

(*s*) *Apud Q. Curtium Lib. VII. cap. 8. inducitur Barbarus Scytha Alexan-*

§. 746. Ex his, & aliis uberioribus infra allatis locis certum exploratumque redditur, *linguas sibi invicem non respondere*; neque voces ex aliena lingua posse vocibus semper substitui ejusdem notionis, quandoque etiam totam orationem eludere operam justæ interpreta-

Linguæ invicem non respondent.

Alexandrum, torrentis instar alios populos obruentem appellans: Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere; sin autem homo es id, quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quæ tui oblivisceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis uti poteris .... Jurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem jurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & Deos invocant: nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos. Nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. &c. *Quod celebratus Germanorum interpres Gottscheden sic in patriam linguam transfert:* Bist du endlich eine Gottheit, wie du vorgiebest, so must du den Menschen Wohlthaten erweisen, nicht aber ihnen das Ihrige nehmen. Bist du aber ein Mensch, o so denke doch ohn Unterlaß daran! Es ist thöricht, an Dinge zu denken, darüber du dein selbst vergissest. Die du nicht feindlich überziehest, die wirst du als Freunde brauchen können ... Du darfst dir auch nicht einbilden, daß die Scythen ihre Bündnisse durch Eide bestättigen: sie beobachten dieselben, und daß ist eben so viel, als hätten sie selbige beschworen. Das ist eine Griechische Behutsamkeit, die ihr Versprechen schriftlich aufzeichnen, und die Götter darzu anrufen. Wir suchen unsere Gottesfurcht in der Redlichkeit selbst zu erweisen. Wer sich vor Menschen nicht scheuet, der wird auch gewiß die Götter betrügen, und du hast in Wahrheit keinen Freund von ungewisser Treue vonnöthen 2c. *Quærimus in interpretis prolixis vocibus notiones latinas, & Romanam dignitatem.*

Sit & alterum paradigma græcum ex Luciani Dialogis, Dial. 4. Jovis & Ganymedis: Ζεῦς. εἰπέ μοι, Διὸς δὲ οὐκ ἤκουσας ὄνομα, οὐδὲ βωμὸν εἶδες ἐν τῷ Γαργάρῳ τοῦ ὕοντος, καὶ βροντῶντος, καὶ ἀστραπὰς ποιοῦντος; Γαν. σὺ, ὦ βέλτιστε φὴς εἶναι, ὃς πρώην κατέχεας ἡμῖν τὴν πολλὴν χάλαζαν, ὁ οἰκεῖν ὑπεράνω λεγόμενος, ὁ ποιῶν τὸν ψόφον, ᾧ τὸν κριὸν ὁ πατὴρ ἔθυσεν; εἶτα τί ἀδικήσαντά με ἀνήρπασας; ὦ βασιλεῦ τῶν Θεῶν; τὰ δὲ πρόβατα ἴσως οἱ λύκοι διηρπάσαντο ἤδη ἐρήμοις ἐπιπεσόντες. Ζεῦς. ἔτι γὰρ μέλει σοι τῶν προβάτων, ἀθανάτῳ γεγενημένῳ, καὶ ἐνταῦθα συνεσομένῳ μεθ' ἡμῶν. Γαν. τί λέγεις; οὐ γὰρ κατάξεις με ἤδη ἐς τὴν Ἴδην τήμερον; Ζεῦς. οὐδαμῶς. ἐπεὶ μάτην ἀετὸς ἂν εἴην ἀντὶ Θεοῦ γεγενημένος. Γαν. οὐκοῦν ἐπιζητήσει με ὁ πατὴρ, καὶ ἀγανακτήσει μὴ εὑρίσκων, καὶ πληγὰς ὕστερον λήψομαι, καταλιπὼν τὸ ποίμνιον. Ζεῦς. ποῦ γὰρ ἐκεῖνος ὄψεταί σε; Γαν. μηδαμῶς. ποθῶ γὰρ ἤδη αὐτόν. εἰ δ' ἀπάξεις με, ὑπισχνοῦμαί σοι καὶ ἄλλον παρ' αὐτοῦ κριὸν τεθύσεσθαι λύτρα ὑπὲρ ἐμοῦ. ἔχομεν δὲ τὸν τριετῆ, τὸν μέγαν, ὃς ἡγεῖται πρὸς τὴν νομήν.

Ex versione Hemsterhusii. Jupiter: dic mihi Jovisne non audisti nomen, neque aram vidisti in Gargaro pluentis, tonantis, & fulgura mittentis? Gan. Eum o optime te esse ais, qui nuper defudisti in nos multam grandinem, qui habitare superne diceris, qui

pretationis; deinde & illud consequi, quod, quo quis patriam phrasim expresserit sincerius, eo difficilius ab exteris intelligetur, & etiam magis arduum habebit negocium versionis in aliam linguam, novis suis denuo modulis gaudentem. Cum autem linguarum puritas & præstantia consistat in his proprietatibus, & peculiaribus, formis,

qui excitas sonitum, cui arietem pater mactavit? & cujus admissi reum me abripuisti, Rex Deorum? oves quidem lupi fors jam discerpserunt, in desertas impetu facto. Jup. etiamne tibi cura est ovium, qui immortalis factus hic nobiscum futurus es? Gan. Quid ais? tu non devehes me jam in Idam hodie? Jup. neutiquam: alioqui frustra formam aquilæ pro Deo subiissem. Gan. At requiret me pater, & indignabitur non invento, plagasque postmodum accipiam, qui gregem reliquerim. Jup. Ubi autem ille te videbit? Gan. nequaquam (hic manere velim) desidero enim jam Patrem, quod si deduxeris me, polliceor tibi, & alium ab eo hircum iri immolatum, pretium scilicet mei recepti: habemus autem trimum istum grandem, qui dux est gregi ad pastionem. *Quisquis intellexerit græcæ phrasis elegantiam, & acumen loquendi pro re nata, sentiet latinæ versioni abesse nervum græcæ dictionis.*

Terentius in Adelphis Act. V. Scen. 4.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione advitam fuit.

Quin res, ætas, usus semper aliquid adportet novi.

Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,

Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Gallice ex versione Annæ Fabræ: Jamais personne n'a si bien reglè, & supputè tout ce qui regard la conduite de sa vie, que les affaires, l'age, l'experience ne lui aient appris quelque chose de nouveau, & ne lui aient faire connoître, qu'il ne savoit rien de ce, qu'il croioit le mieux savoir. de maniere, que dans la pratique, on se voit souvent obligè de rejetter le parti, qu'on avoit regardè d'abord comme le plûs avantageux. *Præterquam, quod hoc prolixitate, sensum græcæ brevitatis affectante, oratio fit multo languidior, etiam græcæ veneres in Gallorum pompa disparent, præsertim illi, qui linguæ utriusque gnarus, orationem cum ultera contulerit.*

Genesis Cap. 8. *vers.* 21.

ויאמר יהוה אל-לבו לא אסף
לקלל עוד את האדמה. בעבור
הארם כי יצר לב חארם רע
מנעריו ולא אסף עוד להכות את-
כל חי כאשר עשיתי

Et dixit Deus ad cor suum: non addam ad maledicendum adhuc terræ propter hominem, quia cogitatio cordis hominis mala a pueritia sua, & non addam adhuc ad percutiendum omne vivens quemadmodum feci. Vulgata ait: nequaquam ultra maledicam terræ propter homines; sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci.

formis, maximopere enitendum eſt inſtructoribus, ne tyrones patiantur linguarum idiotiſmos confundere, & alienis idiotiſmis corrumpere linguas, quod eheu! nimis frequenter fieri hodiedum experimur (*t*).

§. 747. Alio modo obſcuritas invehitur in orationem nimia vocum transpoſitione; veluti: *noſter hoſtem duplici nimis vicit ardentem prælio exercitus*, cum multo clarius diceretur: *exercitus noſter hoſtem, nimis ardentem, duplici prælio vicit.* Suſtinent tamen linguæ aliæ præ aliis majorem vocum transpoſitionem, imo & ornatum ex ea ſibi adſciſcunt; latina lingua ſæpius inter adjectivum & ſubſtantivum interjicit vocem, alio facientem, quod Germanis & Gallis eripit claritatis ſenſum. Normam, ac inſtitutum cujusvis linguæ tueri ac ſequi eſt opus, de quo grammatici præcipiunt. *Obſcuritas a transpoſitione vocum.*

§. 748. Non levis etiam idearum alienatio accedit orationi a luxu compoſitionis vocum, & adſcititio ornatu, quem Rhetores profitentur; hi enim cum ſciant, humanam mentem mirifice commoveri a vivida imaginatione, & emphaticis appulſibus, nauſeare autem languidas dictiones & eas habere pro ſomni advehiculis; illi, inquam, omnem artis operam in eo ponunt; ut valido apparatu verborum & ſententiarum, tanquam forti ariete convellant humanos animos, eosque in ſuam ſententiam flectant; confugiunt itaque ad voces tropicas, figuratas, multoque artificio congeſtas, ut ſic ſaltem argumenti robur diſſimulent adſcititio luxu. Cicero ait (*u*): *modus transferendi verbi late patet, quem neceſſitas genuit inopia coacta, & anguſtiis, poſt autem delectatio, jucunditasque celebravit; nam ut veſtis frigoris depellendi cauſa reperta primo, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, ſic verbi translatio inſtituta eſt inopiæ cauſa* &c. *Rhetoricus ſtilus obeſt ſinceris ideis.*

§. 749. Jam vero in hoc translationum æſtu, & licentia dictionis, nunquid neceſſum eſt alias ideas rebus affingi, & auditorum animos raptari ad impropria, atque ab inſtituto aliena? Rhetorica quippe non tam vera dicit, quam veroſimilia. Omnes Bibliothecæ, *Rhetorica apta animis permovendis.*

(*t*) *Vide epiſtolas obſcurorum virorum.* (*u*) *Lib. III. de Oratore cap.* 28.

thecæ, & Rhetorum comprimis officinæ turgent his speciminibus (§. 36.); Poëtæ quoque versibus adstricti hoc figurarum fragore delectare, & animos percellere consueverunt. *Horatius* canit: *tremendo Jupiter ipse ruens tumultu* (x), ut nempe validam fulminis notionem ingerat, cum tamen aliud sit *fulmen cadere*, aliud *Jovem ipsum ruere*.

Eloquentia humanis animis dominatur.

§. 750. Omnia hæc, quamvis aures & animum erigant, violenta tamen sunt, atque a sinceritate idearum aliena; commendantur nihilominus, & laudantur in eo, qui munus obtinuerit humanos animos permovendi, aut ambiguæ labilique causæ robur conferendi ab arte, & Rhetoricæ præceptis. Certo, qui veritatem in medium adferre voluerit, nativa sua luce, & candore nitentem, assumet aliud dicendi genus, longeque distinctum ab hoc intemperantis stili dominatu; ut proinde verum sit: *Rhetoricum stilum candori, atque simplicitati idearum plurimum obesse* (y).

Verba significantia notiones indeterminatas.

§. 751. Quædam voces ambiguitatem & obscuritatem inducunt propterea, quod ipsæ notiones illarum vagæ sint, & indeterminatæ, veluti vox illa Peripateticorum ἐντελέχεια, pro cujus intellectione fertur *Hermolaus Barbarus* dæmonis responsum consuluisse; jam si ipsæ notiones tantis tenebris involvuntur, quam sperabimus a vicariis signis claritatem? dicere licebit, quod disputantes super iis requirant e tenebris solem.

Qua ratione liceat declinare vocum perplexitatem?

§. 752. Plerasque vocum imperfectiones, ceu errorum pedicas declinare liceret, si nobis tot voces suppeterent, quot modis quælibet res considerari, aut ideæ suæ normam variare potest; quoniam autem frustra est vel optare tam immensam vocum multitudinem; hinc una sola ratio superest, confusionem eliminandi, ut ante discursum conveniatur de vocis sensu, & latitudine, atque ita tollatur occasio vagis notionibus oberrandi. Opportet & crebro versare duos illos canones, ab *Epicuro* constitutos, ut refert *Laërtius*

Primus:

(x) *Lib. I. Odarum. 16.*

(y) *Hinc sacri oratores in eo unice desudare debent, ut animos permoveant ad fidem, & morum sanctimoniam, argumentis, non tam ab eloquentiæ regulis, quam a verbo Dei, & Ecclesiæ doctrina depromptis.*

Primus: *Dum loqueris, dilige voces communes, & perspicuas, ne aut ignoretur, quod velis, aut interpretando tempus frustra teras* (z).

Secundus: *Dum audis, id enitere, ut vim subjectam vocibus teneas, ne te vel præ obscuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant.*

CAPUT IV.

De Linguarum genio, & variante fortuna.

§. 753. Regionum clima: quod pro vario nutrimentorum succo, pro vario item succursu aëris & aquarum, homines varie contemperat, etiam sermonem adspirat, temperamenti legibus conformem; est quippe loquela animi imago, quæ totam simul temperamenti effigiem involvit, & experimur in familiari hominum consortio, eos in id unice ferri, ad quod naturæ suæ, & corporis dispositione alliciuntur. *Clima & nutrimentum influit ad sermonem.*

§. 754. Quos homines sors natalium ad septemtrionales plagas abjecit, iis immitte clima duriorem præscribit vivendi rationem, eosque sub horrente cælo, obsequentes crudis victus vestitusque solatiis, tam valida corporis compage constringit, ut plerumque voces gravisonas cum impetu fibrarum eructent; testantur id Germanorum septemtrionalium voces krachen, hupfen, Keil, Pferd, Pfingsten ꝛc. quarum pronunciatio necquidquam ab aliis meridionalibus populis tentatur. Boëmorum, Moscovitarum, Polonorum major est vocis austeritas. *Duram loquelam habent septentrionales.*

§. 755. Quin imo septemtrionales illi, veluti Saxones, etiam alienas voces enunciant eadem cum duritie, maluntque exterarum linguarum lenitati, quam suis moribus deesse; sic latinas voces *revera, bibimus, nihil* ad palati sui elaterium componentes, pronunciant *refera, pipimus, nichil* &c. *Etiam vocum alienarum.*

Tt 3 §. 756.

(z) *In vita Epicuri Lib. X. Segm.* 13.

§. 756. Aliæ gentes aliis fermonis & pronunciationis vitiis laborant. Ephraimitæ patrum fuorum inolita confuetudine imbuti *Scb* pronunciare nequiverunt, & loco *Schiboleth* (*a*) dixerunt *Siboleth*. Aliæ gentes afpirationibus delectantur, veluti Gafcones pro *farine*, *fille* pronunciant *barine*, *bille* &c. Itali omnes fere afpirationes abjiciunt, dicentes *abere* pro *babere* &c. Hæc oris, atque accentuum conformatio mirabili amoris vinculo fingulas gentes devincit.

Climata variam indolem attribuunt.

§. 757. Sed præter flexum vocis, quibusque gentibus peculiarem, miramur etiam, quod climata proprias animi affectiones, & conformem agendi indolem attribuant fuis indigenis, præfertim dum educatio confonat invitationi regionis. Quædam nationes feroces funt, & truculentæ: quædam ad gravitatem, feu potius ad languorem & inertiam componuntur: alii turgent fervida, & excitata imaginatione: alii nimium affectati funt, & muliebres. *Hifpani* gravi fupercilio affueti, verba deligunt decore cadentia, & præferentia majeftatem: *Itali* amant voces dulciores, & affectum cientes &c. Hi characteres adeo populis inveteraverunt, ut etiam abierint in paræmias, veluti: *Cretenfes femper mendaces, malæ beftiæ, ventres pigri* (*b*).

Orientales amant metaphoras.

§. 758. Orientales populi, quibus fervidum clima vehementem motum nutrit fpirituum animalium, & imaginationis robur exacuit, illi, inquam, in deliciis habent *metaphoras*, *parabolas*, & *allegorias*; mox enim ut de aliqua re cogitare, ac loqui cœperunt, illico incitata imaginatio offert farraginem plurimarum rerum vicinarum, ac quodammodo connexarum, quo fit, ut animus priorum impatiens, novas fubito imagines amplectatur, & longingua non raro confociet. Ex hoc complexu rerum & affinitate, metaphoris plena incedit oratio.

Idque propter indolis fimilitudinem.

§. 759. Et revera, ut in omnibus aliis rebus, ita & præcipue in loquendi genere homines fibi quique perfimiles funt; Orientales illi, perpetuo æftu convulfi, refpuunt planas, ac fimplices, tanquam fibi diffimiles rerum expreffiones, atque earum loco frequentant vivas,

(*a*) שבלת

(*b*) Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

vivas, ferientesque similitudines, atque ita suo spirituum vigori plenius satisfactum esse autumant. Multa ejuscemodi specimina occurrunt in sacris scriptoribus, veluti: *Dentes tui sicut greges, egredientes e balneo. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit Damascum* &c.

§. 760. Septemtrionales e converso, quibus multo tardior est igniculorum, atque imaginationis incitatio, lenius multo, remissiusque agunt, & describunt objecta peculiaria simplici ac nativo colore; quasi vero ipsa climatis conditio proprium sibi vindicaret, indigenas alere, sinceritatem ingenio præhabentes. *Septemtrionales populi simplicius loquuntur.*

§. 761. Verumtamen, quæ mox dicta sunt, non eo sensu intelligi debent, perinde atque idem concentus vocum & sermonis per totum clima quodpiam diffunderetur, variat ille sæpius apud eosdem populares pro varia munerum, atque ordinum ratione, & quemadmodum fere politicum corpus Provinciæ varia civium conditione dispescitur, ita privati homines interrumpunt communem formulam loquendi. Cui quotidiana cum rusticis consuetudo est, propediem igniculos spirituum prosternet, & assumet rudem dialectum, atque ita, quod ajunt, penes claudum habitans, claudicare discet; ubi alius ad elegantiorem societatem translatus, nobiliorem brevi sermonem imitabitur. *In eodem climate varia est loquendi ratio.*

§. 762. Namque arcanus inter omnia organa nostrorum sensuum nexus intercedit, atque conspiratio: vellicatum auditus organum certi soni allapsu disponit linguam ad motum, aurium perceptioni congruentem; hinc est, quod cantum musicum audientes, subito eum imitemur consimili harmonia; quin imo bruta quædam animalia, veluti psittaci, lingua soluti, cum eandem sibi sæpius vocem pronunciari sentiunt, eam tandem & illi proferunt; sed, quod ex conditionis illorum legibus fluit, & difficilius id agunt quam homines, & parcius. *Organorum vocis cum cæteris membris conspiratio.*

§. 763. Præterea, quod rebus utensilibus, & vestimentis præsertim accidit, ut ob novitatis studium, & indomitam humanæ mentis volubilitatem perpetuo varientur succedentibus annis, easdem *Vestes & linguæ perpetuo mutantur.*

vertumni

vertumni viciſſitudines & linguæ ferunt (*). Quidam præſentia nauſeantes, amant conſectari habitum, voces, & loquendi formulas ſuorum avorum & proavorum; alii cum quadam ingenii gloria conantur arceſſere ſermonem ſuum ab ætate longiſſime anteacta, ita, ut ſi res ita ferret, hominibus ſuæ patriæ colloqui liceret, qui ante 1000 annos extiterunt: alii novas voces inventant, & ſermonis modulos aliunde mutuantur &c. mirumne ſit, linguam hodiernam, hiſce viciſſitudinibus partam, difformem eſſe ſibi ipſi, bis aut trecentis annis ſeniori?

Vernaculo ſermone non utantur ſcriptores.

§. 764. Qua de cauſa exiſtimo, male conſultum iri celebrium auctorum nomini, & perpetuitati, dum inducuntur præclaros ingenii partus deſcribere vernaculo ſermone; præterea namque, quod hac ratione ſibi commeatum ad aliarum gentium eruditos intercludant, & conſtringant commercium literarum, etiam conſciſcunt ſibi gravem injuriam, quod nempe poſt tres, quatuorve generationes vix legentur, aut intelligentur, quemadmodum & nos, priorum ætatum auctores abjicimus, ob tædium immutati idiomatis, noſtrum ſæculum præamantes.

Scriptores uti debent mortua lingua.

§. 765. Fateor equidem, viventibus accidere & facilius & jucundius, dum libri in patria lingua conſcribuntur; clarius quippe in ea mentem quilibet ſuam explicat, obtinet applauſus populares, & gentis ſuæ idioma illuſtrat; At remotis gentibus, & futuris ſæculis nihil commodabit; ut ille non immerito, qui tranſcribere cupit æternitati ſenſa mentis ſuæ, debeat uti mortua aliqua lingua, veluti latina, aut græca, quæ vulgi, & humanæ volubilitatis libidini erepta, ſemper ſibi eadem, variationes non extimeſcit, ſed ultimam antiquitatem feliciter conſociat cum ſera poſteritate. Profecto, ſicut hodie legimus auctores latinos, qui ante 1000 annos floruerunt, ita prorſus & noſtra latina monimenta poſteris eadem familiaritate deſervient.

§. 766.

(*) *Μεταπίπτει πάντα χρήματα, καὶ μηδὲν μένει*, *omnes res intercidunt, & nihil permanet.*

§. 766. In linguis namque mortuis eos suspicimus, & sequimur praeceptores, qui linguae puritatem, ac elegantiam complexi sunt, veluti *auctores classici*, & libri divinorum eloquiorum; ast in popularibus linguis eos duces intuemur, qui magna eruditione pollentes, suo, & saeculi more loquuntur, atque alios etiam irretiunt opinione suae praestantiae, quamvis in corruptelas sermonis descicant. Ipsa haebraica, & graeca lingua, quibus ab auctoritate sacrorum monimentorum tanta sunt praesidia, in ore vulgi nutantis per tot saecula positae crepuerunt, & hodierna graeca a veteri, uti & haebraica vetus a centonibus rabbinorum abludit tota facie. *Auctores classici commendantur.*

§. 767. Salustio vivente amputatas sententias, & verba, ante expectatum cadentia, pro cultu fuisse *Seneca* testatur. Alii non tam saeculi genium, quam clarum scriptorem Salustium imitari cupientes, amplius adauxerunt defectum sermonis. Idem *Seneca* Aruntium hujus delicti incusat, scribens: *quae apud Salustium rara fuere, apud hunc crebra sunt, & pene continua, nec sine causa; ille enim in haec incidebat, at hic illa quaerebat.* *Tempore Salustii magis corrumpitur Latinitas.*

§. 768. Praecipue vero influit in variationes linguarum politicus status, seu gubernium; hoc enim cum valeat adeo excolere, & immutare indolem gentis, seu provectione novarum scientiarum, & artium, seu institutis commerciis, & exinde profluente opum ubertate, seu victoriis, & subjugatione exterorum populorum, ut hodiedum cernamus in pluribus populis, *Anglis*, *Moscis*, *Gallis* &c. longe excellentius cogitandi institutum coli, & normam vivendi, ac quam patres eorum tenuerint, plane necessarium est, post mutatos mores, & excitatam indolem alicujus gentis, etiam illius linguam variari, quae mentis est internuncius, & interpres affectuum; quomodo enim licebit praestantiores ideas, nova artium & officiorum consilia, sine novis, & antehac incognitis loquendi formulis communicare? Aliae gentes e converso, veluti Graeci hodierni, & Ægyptii, ob jugum despotici imperii e florentissimo statu ad summam vitae ruditatem, atque inertiam depressae fuerunt. *Gubernium ad linguae mutationem influit.*

§. 769. *Genus dicendi*, ait Seneca, *imitatur publicos mores*; *si disciplina civitatis laboravit, & se in delicias dedit, argumentum est luxuriae* *Sermo imitatur publicos mores.*

luxuriæ publicæ orationis lascivia: si modo non in uno, aut in altero sint, sed approbata, & recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color; si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum, ac sobrium est. Cujus quidem morum & linguæ similitudinis luculentum nobis exemplum præbet Romana historia.

Veteres inculti Romani linguam incultam habuerunt.

§. 770. Primis jacti imperii Romani temporibus, cum civium animi abjectis curis culinæ voluptuariæ, splendidarum vestium, ædificiorumque, solum utile secuti, duram vitam egerunt, & belli, & domi, repebat quoque eorum sermo, necessitatibus duntaxat sufficiens in rudi egestate. Videantur *Leges XII. Tabularum*, quas *Fulvius Ursinus* collegit, quam hispida latinitate sint exaratæ (*c*). *Quintilianus* (*d*) ait: Saliorum versus, a Numa Pompilio compositos, vix a sacerdotibus subsequis esse intellectos. *Polybius* (*e*) testatur, articulos fœderis, inter Romanos, & Carthaginenses sancitos, paulo post expulsionem regum, vix intelligi potuisse ab eruditis sui temporis, id est post 350 annos.

§. 771. Postquam vero bellis, per universum orbem prospere fluentibus, Romanæ res increverunt opibus, & magnificentia, tum repudiata sensim austeritate, atque simplicitate morum, ad voluptates sese divulgarunt Romani, genio, & cupiditatibus indulgentes, atque ita etiam sermonis cultus ad molliora deflexit; quod a Scipionum temporibus usque ad Augusti imperium perduravit; nihilominus

(*c*) *Visitur hodiedum in Capitolio Romæ columna rostrata, Drusillo Consuli erecta, post profligatos bello navali Carthaginenses, 150 annis ante Ciceronem, hanc ferens inscriptionem:*

Exemit. Leciones. Macistratos. Castreis. Exfoceunt. Pugnandit Cepet. Inque navebos. Marid. Consol. Primos ornavet Navebôs Classes Pœnicas &c. *id est:*

Exemit. Legiones. Magistratus. Castris. Effugiunt. Pugnando Cepit. Inque navibus. mari. Consul. Primus. ornavit. navibus. classes Punicas &c. *Vide Jacobum Laurum in libro, cui titulus:* Antiquæ urbis splendor. *Tempore Caroli Magni, id est, nono Christi sæculo, usitatum erat Germanis tale* Pater noster, *quod hodierna tempora tanquam peregrinum idioma excipiunt. Vide opera Opizii.*

(*d*) *Institutionum Lib. I. cap. 6.*

(*e*) *Lib. III. Histor.*

nus & in hoc luxu constitit Romanæ linguæ rara quædam ac nativa simplicitas, quam ad id perfectionis & elegantiæ conscendisse novimus, præcisa horrida, & proletaria inopia, ut scriptores illius temporis norma habeantur absolutissimi sermonis latini.

§. 772. Tandem confectis undequaque bellis, gloriosum otium Romani transtulerunt ad omne genus delectationis & luxuriæ; nihil eis tum magis curæ fuit, quam mulcere aures suavissimis dictiunculis, jocis, ornatis allusionibus, verbisque, blande cadentibus, neque tam uti vocibus ad intelligendum, quam iisdem abuti ad petulciendum. Accessit innumera advenarum, & servorum multitudo, superans civium Romanorum numerum, qui ex omnibus gentibus barbarismos invexerunt adeo, ut jam Tertullianus sub Septimio Severo, ante barbarorum irruptionem Romanis exprobraret, quod avitam patrum suorum linguam abrenunciassent *(f)*.

Linguæ immutantur ab incursionibus gentium.

§. 773. Mutantur & linguæ ob migrationes & incursiones exterarum gentium. Longobardi, Cimbri in Italiam irruentes, una linguam eis suam affricuerunt, ut sermo, e latino & barbaro commistus, hodiernam italicam efformaret. *Hispania* olim, jam a Romanis, jam Gothis, jam Mauris victa, & habitata, sermonem his omnibus, & præcipue Romanis conformavit, servato etiam hodiedum accentu Maurorum, verba in gutture collidentium. Gallica lingua coaluit ex Romana, & antiqua Gallica &c.; illa autem montosa Hispaniæ pars, quæ olim his convulsionibus præservata fuit, & Cantabria dicitur, vetusta lingua Cantabrica hodiedum utitur; quemadmodum & Wallii seu Cambrobritanni Angliæ populi, ab ingressis Saxonibus in arduos montes depulsi, hodiedum veterum linguam Britannicam conservant.

Etiam a religione linguæ mutantur.

§. 774. Denique & delecta religio magna pollet vi ad perdendam linguarum integritatem. Per universum occidentem, ubi latinæ Ecclesiæ sacra repanduntur, etiam latina lingua fixit domicilium; nullus est vicus, nullus angulus, in quo illa quorundam saltem eruditorum patrocinio non foveatur; inde est, quod etiam populares

(*f*) *Videatur Bodinus.*

Germani, opinionem eruditionis aucupantes, plures latinas voces adſciſcant, jure familiaritatis, ſicque patriam linguam mendicatis philacteriis deturpent. Moſchovitæ, & Walachi, græcæ religioni addicti, plures græcos terminos in ſuam linguam adoptarunt.

An linguarum perfectio ſcientiis proſit.

§. 775. Intueamur jam porro, multumne proſit humano generi linguas excoluiſſe? ſunt, qui aſſeverant, ætatem grandium ingeniorum in aliqua natione tum exoriri, cum lingua ſecurioribus regulis adſtricta, numero valere incipit, & facultate, plurima ingenioſe ſignificandi: dependere a ſignis his ſignificantibus pleraſque imaginationis, & memoriæ functiones: animam noſtram rebus & conceptibus ſubſtituere ſigna, atque horum ope ignorantibus conferri vaſtiſſimas cognitiones: narrare Cl. Condaminium de populo quodam Americæ, habente tam perturbatas & prolixas voces rerum ac numerorum, ut numerus tertius eis jam ſit pronunciatu difficillimus, hacque de cauſa gentem illam ideas numerorum vix ultra 4 aut 5 protendere, defectu ſignorum (*g*).

Aliæ linguæ diſponunt ad alias ſcientias.

§. 776. Cl. *Maupertuis* (*h*) indubitanter adſtruit, linguarum perfectionem non modo conferre ad artium & ſcientiarum incrementa, ſed pertendit etiam, ex alia linguæ inſtitutione & œconomia profluere aliam ſcientiarum ſortem; ſiquidem juxta loquendi formulas enaſcuntur ideæ; & gentes illæ exoticæ, paucis vocibus inſtructæ, ne cogitant quidem de illis quæſtionibus, quæ e noſtra vocum multitudine quotidie emergunt. Certo ſi celeberrimus Germanorum Poëta *Haller*, a mille annis, ſæpius interpoſitis ſæculis revixiſſet, ſemper alius extitiſſet a ſemetipſo, ſecundum variantem Germanicæ linguæ perfectionem.

Studium linguarum ſapientibus uſitatum.

§. 777. Qui variarum, & exoticarum gentium ore loquuntur, aptiores ſunt rebus, aut capiendis, aut explicandis, ob aptitudinem varias, & quibusque gentibus proprias ideas ſignificandi. Hoc incitamento inducti fuiſſe videntur veteres ſapientes, *Pythagoras*, *Plato*, *Eudoxus*, *Euripides* &c. ut e patria ſua in remotas oras, Ægyptum, Indiam,

(*g*) *Condillac ſur l'origine de connoiſſances humaines.*

(*h*) *Reflexions philoſophiques ſur l'origine des Langues,*

Indiam, Chaldæam &c. abirent, nempe ut eorum linguas, mysteriis lucentes, addiscerent, atque ita tandem gentium spoliis locupletati, patriam suam ditarent.

§. 778. Emunctæ naris critici ex stylo ætatem scriptorum norunt definire (*i*), quod sane ad rem criticam, atque ad detrahendam suppositiis scriptoribus larvam plurimum facit (§. 205.).

Ex stylo ætas scriptorum definitur.

§. 779. Eadem fere est ratio linguarum, & Characterum geometricorum ad rerum cognitiones; hi namque characteres quo altius evehuntur, eo revelant illustriores conceptus intellectui, sublimius provecto. Ingentes progressus *Neutoni* superstruebantur, & dirigebantur quodammodo a formulis calculi, ante eum inventi. Quod si ille vixisset ante illum delectum calculorum, fuisset equidem insigne ornamentum sui sæculi, at nunquam peperisset nobis posteris, orbique universo, tantam sui admirationem. Galli, & Angli, priusquam linguam suam tam mirifice excoluerunt, non abundarunt tam vastis, tamque locupletibus ingeniis.

Linguæ sunt veluti characteres Geometrici.

§. 780. Consideranti mihi linguarum & perfectionem, & puritatem, paradoxum objicitur, nempe: alteram alteri obsistere, neque amicis posse legibus convenire; propterea quod perfectio linguarum consistat in expressione plurimarum, abstrusarum, & gentibus variis propriarum idearum; hæ autem ideæ, gentibus quibusque peculiares, propria sua habent signa, quæ necessario adoptare debebit, quisquis illius gentis notiones voluerit indicare; at vero puritas linguæ, suæ supellectili intenta, repudiat omnem externorum signorum apparatum; quod certo perficiendi conatum aperte infringit.

Linguarum perfectio, & puritas non conveniunt.

§. 781. Hinc illæ linguæ feliciores mihi esse videntur, quæ matrices non sunt, sed quæ ex plurium linguarum delectu conflatæ, gaudent recen-

Linguæ recentiores sunt feliciores.

(*i*) *Præcipui Germanorum Sapientes, Leibnitius, Heineccius, Puffendorffius opera sua latino idiomate consignarunt, forte Germanica lingua, tum non sat exculta, illustriorum notionum signis defuit. Galli, Angli, & Itali, præclaros suos partus exculto sermone patrio edunt, atque ita aliis gentibus stimulos & necessitatem offerunt suæ linguæ.*

recentiori origine; hæ enim citra anxietatem voces quasque exteras civitate donant, ſi modo earum ope liceat cognitionum terminos protendere, veluti *Anglica*, aut *Gallica* lingua; aſt *Germanicam* durior fortuna hodiedum comitatur; Germani quippe quodam aut pertinaciæ, aut arrogantiæ malo, puritati duntaxat linguæ ſuæ vacant, & in tanta novarum rerum farragine, vetuſta ſigna retinent, quod cauſam ſuppeditat tot prolixarum circumlocutionum, nunquam recta ſcopum ferientium. Revera his qui immorantur, aperte innuunt, ſuam ſe linguæ puritatem, cuicunque rerum cognitioni perperam anteponere.

CAPUT V.

De apta verborum, & ſtili confectatione in vario themate.

Clarus ſermo audientes facit attentos.

§. 782. Quidquid docere, aut in medium proferre ſit animus, curandum comprimis eſt, utne verba deſint cogitanti, & proferendi modus ſit juſtus & elegans; hic quidem proferendi modus, ſi facilis fuerit, ſi rectus, ſi naturalis, ultro atque cum voluptate influet doctrina in audientium mentes; quemadmodum e converſo, dum loquens hæret, & inter anguſtias ne vix quidem voces protrudit, ipſimet cum eo angimur audientes, & moleſtiam perſentimus.

Stilus eſt multiplex juxta numerum rerum, quæ dicuntur.

§. 783. Eſt autem hic proferendi modus communiter trifariam diviſus: in *ſublimem*, *humilem*, & *mediocrem*, juxta claſſes ipſarum rerum, ſermone contentarum. Quælibet res ſua pro conditione ſtilum, exercitationemque poſtulat, nihilque eſt magis ridiculum, quam res humiles, & in trivio natas, gravi & magnifica oratione confectari: ac viciſſim, nihil magis fatuum, quam res inuſitatas, majeſtate aut miraculo plenas, pronunciare proletario ſermone, & ſine omni motu tanquam reſponſa laſſatorum mancipiorum; ſic quippe

quippe pessumit sermonis officium, pronunciandi res revera, ac uti in se sunt (*k*).

§. 784. Cæterum cum stilus sit animi imago, sequitur, eum a volentibus nolentibus usurpari in omni passim locutione, qui iisdem connaturalis est. Homo ferventis animi, etiam jacenti & obvio themati implectet vigorem, ac stimulos, sui similitudinem referentes. Homo languidus nec in gravissimo argumento valebit excutere lentorem. Indefessa exercitatio nonnunquam animum paulisper erigit; atque ideo optandum est, ut illi omnes, qui illustrem spartam nacti sunt dicendi, aut docendi, aut prius discant apposite ad rem loqui, aut jurent se prorsus nunquam esse locuturos, ne infelicitatem suam in argumentum eruditum traducant. *Stilus est animi imago, qui semper assistit.*

§. 785. *Stilus sublimis* versatur in amplissimo sermone, omni figurarum, sententiarumque genere referto, qui aptus sit pro argumenti gravitate etiam auditoribus inspirare sublimes ideas. Postulat hic stilus animum nobilem, grandia spirantem, magnifice elatum, & pro re nata indignabundum, quem heroicum animum, cum quodam animi stupore persentiscimus frequenter e vultu emicare, etiam sine ullo sermone. Homerus in *Odyssæa* ipsum silentium Ajacis apud Inferos incredibili fuisse efficacia commemorat. Longinus *de sublimi* librum conscripsit, quem versare consultum fuerit, stilum vehementem, & mole sua augustum discere cupienti. Rhetoribus hic stilus plerumque familiaris est in gravibus argumentis. *Stilus sublimis quid sit, & ejus officium.*

§. 786.

(*k*) *In sermone opportet imitari id, quod olim Vitruvius, Augusti temporibus clarissimus Architectus in ædificiis egit: in ipso templi ædificio solebat ille adumbrare Deitatem, cujus honoribus illud esset dedicandum. Doricum ordinem, præ cæteris simplicem, & solidum adhibuit in templis Minervæ, Martis, Herculis; neque enim putabat, teneritudinem competere Deæ Sapientiæ, aut Deo bellatori, monstrorumque domitori. Corynthio ordine, elegante, & florido ornavit ædes Veneris, Floræ, Proserpinæ. Templis Junonis, Dianæ sacrabat Jonicum ordinem, ceu medium, inter simplicitatem Doricam, & luxum Corynthium, sic quippe putabat caracterem Deorum illorum in ipsis ædibus elucere. Romanus & Toscanus ordo recentius invecti sunt ab architectis italis.* *Vitruvius laudatur.*

Res sublimis diversa est a stilo sublimi.

§. 786. Id porro bene advertendum est, rem sublimem esse a sublimi stilo maximopere diversam. *Res sublimis* adfert, quidpiam inusitatum, & grande, quod animum quadam cum admiratione percellit; at vero *sublimis stilus* consurgit ex verbis & sententiis, miro cum artificio contextis. *Res sublimis* uno quandoque aut paucis verbis exhibetur: *stilus sublimis* autem ornate uberrimeque diffunditur (*l*). *Alexander* Magnus Parmenioni dicenti: si Alexander forem, certo oblatas a Dario pacis conditiones acceptarem, nempe dimidiam Asiæ partem, & filiam in uxorem; sine verborum pompa sublime respondit: & ego acceptarem, si Parmenio forem. Magnum profecto Alexandrum esse opportuit, qui hæc responderet.

Planum & humile dicendi genus.

§. 787. *Humile*, & *planum* dicendi genus aversatur figurarum, troporumque fastum, & horum loco vocibus propriis, communi usu receptis, atque etiam ad rerum ipsarum, & actionum naturam accommodatis ideas suas persequitur. Hoc dicendi genus, utut planum & obvium videatur, reipsa tamen multo est illo arrogante & sublimi difficilius; quemadmodum & pictores facilius humanum corpus regali purpura indutum, quam exacto ad anatomiæ leges artificio nudum depingunt. In *sublimi* siquidem *stilo* figuræ tumultuantes,

Longini, Despreaux & Huetii concertatio.

(*l*) Longinus *in libro de* sublimi, *& post eum multo ardentius Cl.* Despreaux *tuetur, sublime quidpiam & excelsum ingenii atque facundiæ in illa Moysis narratione* Genes. 1. dixitque Deus fiat lux; & facta est lux. *contineri; Huetius vero nihil sublime in eo reperire se dicebat, in quo sola nativa hæbrææ linguæ indoles ac simplicitas eluceat: non esse simplices has loquendi formulas latinæ linguæ usitatas; ideoque dum ex hebræa in eam transferuntur, insolitum quidpiam, ac grande videri; quod in originali hebræo textu non apparet. Hac de causa Huetium Despreaux acerbe censuit, quod nempe, episcopus, & sacrarum rerum curator cum esset, tamen sublimitati expressionis Mosaicæ in tanti negocii historia detraheret: fuisse multos, qui ex Longini, pagani hominis, adstipulatione evincere conati sunt: libros illos veteris Testamenti, tanta majestate conspicuos, vere a spiritu sancto dictatos fuisse; quasi vero sublime dicendi genus argumentum foret divinorum voluminum, quæ Christus, Apostoli, & Paulus præcipue non in sublimibus humanæ sapientiæ verbis se mundo repandisse testantur. Ad quæ* Huetius: *male hanc litem a* Despreaux *ad religionis negocium revocari: injuria eum, qui contra senserit, impietatis coargui; si enim rationi & genio linguæ adversatur, sublimitatem dictionis in eo versu agnoscere; ridiculum erit, illam sublimitatem obtentu religionis velle vindicare. Res ipsa magna est, quæ a Moyse profertur, non oratio sublimis.*

tuantes, translationes, & sententiæ, etiam sat a longinquo assumptæ, aures audientium occupant, & animum sola vocum elegantia demulcent: at vero in *plano* & *familiari* genere, quod respuit eloquentiæ luxuriam, sermonis sinceritati, & facilitati liberius attendimus: an sat *clarus* sit, *subtilis*, *adstrictus*, & etiam, ubi ratio exigit, *commode profluens?* an sine anxietate *accuratus*, reique, de qua agitur, ad amussim *conformis?* Quod ut rite fiat, cumulata, & exquisita linguæ notitia est necessaria. Hinc minime mirandum, plures sublimi illo, & picto alienis elegantiis, dicendi genere valere, quam hoc usitato, & commodo. Certo *Ciceronis* epistolæ magis commendantur a puritate latini sermonis, & nativa venustate, quam ipsæ orationes, consulari pompa incedentes.

§. 788. Stilus *mediocris* est, qui jam in plana, & adstricta oratione, jam in profusa tractatione, & referta sententiis versatur pro varietate thematis occurrentis. Postulat hoc dicendi genus limatum judicium, res suo valore, & habitu donandi; cum imperiti assentatoris, aut deceptoris sit, res quaslibet pro animi sui impulsu inepte adornare, & Herculis cothurnos permiscere cum Myrmidonum grege. Præteritis itaque variis illis dicendi generibus, & oratorio comprimis, & poëtico, de quibus alii fuse præcipiunt, illius duntaxat stili, quo viri eruditi in variarum disciplinarum institutione uti commodius debeant, leges & virtutes, quam licet paucissimis commemorabo. *Stilus mediocris.* *Leges stili eruditi.*

§. 789. Ac *primo* quidem, qui docendi munere funguntur, in qua demum cunque facultate, id sollicite adcurare debent, ut sermo facilis sit, & apertissime id, quod dicendum est, enunciet, utque voces cæteræ, & circumlocutiones, quæ intellectui moram injiciunt, ac tenebras, rescindantur. Ardua enim, & obscura non influunt in animos. Ipsa natura sermonis beneficium direxit ad intelligendum prompte, & dilucide; alioquin cur non per oculos, & gestus vage loqueremur? Ponant sibi hoc ob oculos illi, qui verbis sesquipedalibus, multisque ambagibus doctrinam suam arroganter implectunt, imo etiam tum singulari eruditione se autumant esse conspicuos, cum institutiones suas, ceu sublimia ænigmata, quæ a nemine præsentium intelligantur, protulerunt. *Lex prima stili didascalici.*

Lex secunda. §. 790. *Secundo* curandum eſt, ut ſermoni inſit vis quædam, ac robur, dextre argumentum & capiendi, & verſandi. Ex hac dexteritate, e primis ſtatim vocibus elucente, eruditio dicentis, & qua firmitate totum thema perſpiciat, agnoſcitur; id autem ut fiat, opportet docenti accedere perfectam cognitionem & argumenti, & linguæ: alterutrum ſine altero ſatis non eſt; & ridendi ſunt omnino illi eruditi, qui fucum facturi uſu exterarum linguarum, quas balbutiunt, contempta ſua, quam bene callent, illis ad docendum utuntur.

Lex tertia. §. 791. *Tertio* opportet adſtrictum eſſe, & brevem ſtilum docentis, ut nihil ſuperflui inſerat, neque etiam copia, & juſta facundia deſtituatur. Succincte loquitur, qui inutiles ſermonis mæandros refugit, non tamen elegantiam argumenti periodis demit.

Lex quarta. §. 792. *Quarto* tandem neceſſum eſt, ſermonem audientium indoli, ac capacitati attemperari. Diverſa auditorum aut conditio, aut eruditio moderari debet ſtilum docentis. Acuti, doctique viri ferent magiſtri locutionem brevioribus, ſeverioribusque terminis adſtringi, quem tyrones imperiti non percipient, niſi rudi ingenio ipſa ſermonis ubertas facilitatem, & claritatem adſpiret.

Quadruplex modus loquendi magiſtrorum. §. 793. Jam vero omnes quique magiſtri ab hominum & artium memoria, has enumeratas ſtili virtutes ſectari conabantur, id tamen ipſum ſinguli agere volentes, in quatuor potiſſimum ſermonis modos inciderunt. 1mo. Quidam præcipue e vetuſtioribus uſi ſunt dialogis ad docendum, ſuaviſſime juxta ac modeſtiſſime inſtitutis, veluti *Socrates*, *Plato*. 2do. Alii cum *Scholaſticis* doctrinam ſuam diſpoſuerunt per varios articulos, paragraphos &c. in quibus quædam præmitterent, tum concluderent, concluſiones argumentationibus ſyllogiſticis confirmarent, ac demum objectiones, ordine allatas, diſſolverent, ac confutarent; atque ſine his veteranis formularum ambagibus nihil agunt. 3tio. Alii methodo mathematica, a *Wolffio* nuper invecta, utuntur, in qua e præmiſſis definitionibus, axiomatis, poſtulatis &c. conſequentias & corollaria inferunt, atque perpetuis relegationibus, veluti eodem filo, vaſta etiam volumina compingunt; volebat quippe *Wolffius* laudabiliter hac aſſumpta methodo docere homines

homines in omni facultate geometrice cogitare, atque ex notis ad ignotorum cognitionem ordine procedere; verum utut illud sollicite egerit, nequiit tamen literato mundo persuadere, in omnibus suis vastissimis libris non reperiri nisi geometricas, & necessarias veritates, aut in tanta rerum incertitudine & imbecillitate humanæ mentis, libros suos haberi debere pro fontibus perpetuarum demonstrationum. 4to. Alii demum docentes utuntur sermone familiari, terso, continuo, atque ad communem humanæ societatis modum, cum gratia & perspicuitate exacto, in quo nihilominus occulta catena cohæreant omnia, neque demonstrationes, si vera argumenta deficiant, unquam esse dicantur. Hoc stilo usus est *Cicero* in *Quæstionibus Academicis, Tusculanis*, cæterisque suis operibus philosophicis, & recentiori ævo inter Theologos *Melchior Canus, Petavius* &c. inter Medicos *Boerhave, van Swieten* &c. claruerunt, diciturque stilus, seu *methodus academica*.

§. 794. Libet quadruplicis hujus modi specimina *de animorum immortalitate, & spiritualitate* indicare: *Plato* hanc per dialogos docet in *Phædone*. *Goudin* scholastice eam tuetur *de anima rationali Quæst. IV. Art. 1. Thümiggius* eam mathematica methodo adstruit *Psychol. rational.* cap. 1. §. 174. *Cicero* methodo academica eandem asserit *Tuscul. Quæst. Lib. I.* §. 27. & *Eduardus Corsinus Metaph. Part. II. cap. 2.* ubi ea, ne paginas impleam, reperire licebit, & opportuniorem ex illis docendi, scribendique methodum deligere. *Specimina stili.*

§. 795. Plures gentes, veluti *Angli, Galli, Germani, Itali* &c. succrescente severiorum literarum gustu, dum hodie scientias quasque *Philosophicas, Theologicas, Mathematicas, Juridicas, Medicas,* quæ prius inter scholarum latibula solum stringebantur, patrio sermone ad omnis ordinis & ætatis usum pertractant, hoc fere stilo academico utuntur; quod certo abunde testatum facit, quam sive ad erudite loquendum, sive ad docendum, cultissimarum gentium judicio, nihil sit hoc sermone academico accommodatius. *Academice omnes gentes loquuntur.*

CAPUT VI.

De Lingua univerfali.

Linguarum moleftia. §. 796. Maxima moleftia variarum linguarum, quibus publicum cum exteris gentibus commercium, & præfertim literarium agitur (*m*), induxit præftantes quospiam viros, ut ad præcidendam tot idiomatum neceffitatem animos conferrent, & novam aliquam linguam, qua deinde omnes gentes uterentur, proferrent in lucem. Neque voti hujus vana effe fpes videbatur; cum in pluribus artibus *Chemia*, *Algebra*, *Mufica* &c. certi, fingulis proprii, characteres jam revera inventi fint (§. 825.), quos quarumcunque gentium & idiomatum homines æque intelligant: cumque etiam exoticos Sinenfium characteres, hieroglyphicorum more, non tam fonum vocis articulatum, quam idearum intelligentiam refpicientes, multi exterorum idiomatum homines didicerint; cur humano ingenio id non liceat in novo vocum fono inveniendo, pro plurimarum gentium ufu, cujus fe capacem in characterum inventione jam longo abhinc tempore prodidit?

Lingua inutilis. §. 797. Hæc igitur lingua quin novis conatibus excogitari poffit, nemo dubitaverit; illa tamen ipfa fi proferretur, nihil continebit aliis linguis, latina, gallica, germanica &c. amplius, nifi forte quod unum alterumve aptius, & clarius enunciet; atque propterea neque operæ pretium erit, ut eam alii populi, abjecta fua propria, amplectantur; fiquidem & hanc exoticam eadem, & majori cum difficultate addifcere opporteret, quam affines, & ufitatas vicinarum gentium linguas; & aliunde, quis gentes, quibus patriis ritibus nihil eft fanctius, nihil religiofius, eo inducet, ut ufui novæ fanaticæ linguæ patrium fuum idioma velint devovere? affumatur itaque aliqua lingua, vel *latina* vel *gallica* &c. & non erit opus aliam novam excogitare.

§. 798.

(*m*) *Leibnitius in otio Hanoverano: fi una lingua effet in mundo, accederet in effectu generi humano tertia pars vitæ, quippe quæ linguis impenditur.*

§. 798. Verum de tali lingua hic ſermo non eſt; ſed potius de altera aliqua ſublimiore, & philoſophica, quæ non tantum res quaslibet, & ideas ſubtiliſſimas clare, perſpicue, commode explicet, ſed etiam cujus omnes voces, & ſoni ex ipſa rerum, quas ſignificant, natura deprompti ſint, utque ex ſono vocum quisque inducatur ad perfectius intelligendam rei, de qua agitur, naturam & conditiones. Nihil aliud mihi ejuſcemodi lingua quam purum & inane votum eſſe videtur; quis enim in ſonorum egeſtate tot varias, arcanasque rerum naturas, & ideas reperiat? *Quæ lingua Univerſalis Philoſophica.*

§. 799. Perſequatur igitur eam linguam univerſalem, quisquis & otio, & ingenio abundat, mihi ibidem neque ſeritur, neque metitur. Quidquid in hoc negocio utile, ac proficuum ſperare licet, id forte ſolum ad characteres quospiam univerſales, etiam rerum, quas ſignificant, naturam explicantes extenditur. *Wilkins* nuper in arduo hoc deſiderio vires ſuas periclitatus eſt, ſed re infecta deceſſit (*n*). Hujus operam magnus *Leibnitius* novis ingenii viribus iterum aſſumpſit, atque etiam perfectiorem reddidit (*o*), cum videret, *Wilkinium* non ſat ample de vaſtiſſimo hoc argumento cogitaſſe. Eum in finem meditatus eſt *Leibnitius Alphabetum humanarum cogitationum*, quod tamen morte præventus ad finem non perduxit. *Vix ſperare eam licet.*

§. 800. *Franciſcus Lodwik* in *Tranſact. Philoſ.* alia ratione protulit alphabetum univerſale, quo continentur omnes omnium gentium ſoni, atque literæ ſimplices, ut ita promptum foret, omne genus linguarum expedite pronunciare, & quidquid voce prolatum ſit, extemplo ſcribere. Sed neque hic omnium eruditorum calculum meritus eſt. Alibi aliud inventum producitur univerſales characteres parandi (*p*); deliguntur ab eo auctore numeri Arabici, quorum varia combinatio infinitis ſufficere poſſit ſignificationi-

(*n*) *Tranſaction. Philoſoph. num.* 35.
(*o*) *Vide Ludovici hiſtoriam Philoſ. Leib. I.* 171.
(*p*) *Journal. literaire A.* 1720.

cationibus. Verum ne hic quidem conatus ad umbilicum perductus eſt.

§. 801. Et hæc quidem præcipua ſunt, quæ de admirabili voto aut ſcripturæ, aut linguæ univerſalis hactenus in diem prolata ſunt. Fortaſſe poſteri ſpei noſtræ capient fructus uberiores.

PARS

PARS II.

§. 802. Signis vocalibus, ad explicationem idearum primorum hominum arbitrio delectis, id unum emolumenti fastigium accrescere poterat, ut, quem mentis sensum vivæ voces præsentibns aperiebant, eum alterius generis signa exanima, seu characteres, aut insculpti, aut impressi, aut quodemum cunque modo exarati, ad longissime absentes, atque in seram posteritatem deferrent. Insigne hoc beneficium scriptura inventa tandem contulit mortalibus, estque ceu vicaria vocum ratio ad aperiendam mentem, de qua paucissimis hoc loco.

Scriptura est perfectio, & vices gerens locutionis.

CAPUT I.

De Scripturæ præstantia, & multiplici ejusdem varietate.

§. 803. Scripturæ exortus, ut cæterarum omnium rerum est conditio, paulo rudior erat; namque opportebat humanum ingenium in arduo hoc opere suos veluti per gradus ad fastigium eluctari. Primus conatus in eo stitit, ut res, quæ acciderant, secundum seriem in parietibus, aut quibusque tabulis delineatæ, ad posteros transmitterentur; veluti hodie sunt imagines & picturæ historicæ. Multiplex primo huic tentamini incommodum insedit, *primo:* quod prolixæ operæ fuerit ejuscemodi narratio; *tum* quod neque collocutiones, neque etiam intercurrentes varias actiones in ea adferre licuerit.

Scriptura rude initium.

§. 804. Paulo post gentes quæpiam cultiores, velut Ægyptii scripturæ hujus naturalem valorem cum significationibus, ad arbitrium delectis permiscuerunt, id est figuras animalium delegerunt, certis

Scriptura Ægyptiorum hieroglyphica.

certis notis adfectas (*q*), quas arcano, & mysteriis pleno sensu sunt interpretati. Pyramides Ægypti hisce characteribus hieroglyphicis conscripta fuerunt (*r*), atque ad eorum intelligentiam obtinendam *Pythagoras*, *Orpheus*, *Plato* &c. eo olim sunt profecti (*s*). Illæ figuræ hieroglyphicæ dicuntur *scriptura cogitationum*, quod una earum plurium idearum complexum significet neque prolocutionem vocabulorum, sed idearum intelligentiam respiciat.

Sinensium Characteres. §. 805. Tum a Sinensibus alii characteres inducti sunt, nullam habentes neque cum rebus significatis, neque cum vocibus affinitatem. Quilibet horum characterum ideam aliquam indicat; ideoque cum idearum maximus sit numerus, plurimos etiam esse oportebat ejusmodi characteres, qui omnes ex simplicissimis formulis componuntur, linea nimirum recta & curva, atque punctis diversimode interjectis (*t*). Originariæ litteræ, seu radices eis sunt 214, hæ rursum diversimode invicem combinatæ, reddunt 80000. characteres Sinenses, mysteriis involutos; sic *Tsai* eis significat *calamitatem*, componitur ex littera *mien*, quæ *domum:* & littera *ho*, quæ *ignem* significat; cum præcipuarum calamitatum una sit, videre domum incendio depasci. Quanta confusio! nil simile composito, & litteris componentibus. Doctissimi vix tertiam, aut quartam partem litterarum callent (*u*).

Phœnicum scriptura. §. 806. Phœnices porro, veterum primi, perhibentur invenisse litteras, ad certum sonum adstrictas; quamvis consonantes duntaxat haberent, & vocales in iis intelligerentur, secundum variam consonantium compositionem, indigenis usitatam. Hos characteres a *Phœnicibus* alii plerique orientales populi *Chaldæi*, *Hebræi*, *Syri*, *Arabes* paucis mutatis assumpserunt (*x*).

§. 807.

(*q*) *Vide Dissertat. præviam num. V.*

(*r*) *Hieroglyphyca idem sunt, quod sacræ imagines, derivantur ab* ἱερὸς *sacer*, & γλυφὴ *incisio.*

(*s*) *Manethon apud Eusebium in Chronico.*

(*t*) *Memoire de l'Academ. des Inscript. Tom. VI. pag. 619.*

(*u*) *Du Halde description de la Chine.*

(*x*) *Vide Waltonum, Lightfootum, Calmetum &c. Interpunctiones, seu vocales hebræorum, ad quintum Christi sæculum referendas esse censet peritissimi critici; cum antea solæ consonantes sonum vocabulorum notarent, eratque pro hoc summe necessaria oralis patrum traditio.*

§. 807. Græci tandem vagum consonantium valorem, adjectis vocalibus ad certos sonos revocarunt (*y*). Hos variæ gentes sub secutæ sunt, *Etrusci*, *Pœni*, *Romani*, *Runi* &c. litteris duntaxat paulo aliter efformatis, atque ad suam indolem, & dialectum inflexis (*z*). Populi qui magnis imperiis paruerunt, veluti *Itali*, *Galli* &c. prius literarum & scripturæ usu claruerunt, ob imperii diffusionem, & communionem maximam cum exteris gentibus; at vero privati populi tardius eo pervenerunt, & parcius usi sunt (*a*). *Græcorum scriptura.*

§. 808.

(*y*) *Plinius Lib. VII. cap.* 56. *Herodotus, Diodorus siculus.*

(*z*) *Leonardus Wirstlin monachus S. Udalrici Germanus apud* Pezium Tom. I. Anecdot. *centum scripturarum variarum nomina & specimina edidit, quæ ab XI. sæculo ad sua usque tempora obtinuerunt. Difficilius eæ leguntur, quæ 4 sæculis antiquiores sunt, easque* Mabillonius *in* Re diplomatica, *&* Charpentier *in* Alphabeto Tironiano *eruditissime interpretati sunt. Hermannus Hugo etiam in* Crenii Analectis Philologico-critico-historicis *viginti quatuor variarum nationum characteres recenset. Mexicani antequam Hispanorum parerent imperio* (Balthasar Bonifacio in hist. Ind. occident, *&* Freret Traitè historique & Crit. des principaux signes Tom. 2. cap. 24.) *scripturas penitus ignorarunt, librarios tamen habuerunt, atque archiva, superiorum temporum seriem referentia, idque modo prorsus exotico: nempe in funiculos colore varios & nodis invicem scite commissos conferunt, quidquid in republica accidit, memoria dignum: quo anno, & tempore regum aliquis obierit diem: quo alter suffectus sit: quæ prælia institerint, & quo sint marte peracta &c. Hæc archiva, seu potius funiculorum manipuli custodiebantur a viris, ingenio & memoria valentibus, aptisque, si ratio urgeret, præterita tempora expedite, copioseque enarrare.*

(*a*) *Videatur Georg. Hikes. de vetustis septentrionalium scripturis.*

Quod multi pertendunt, scribendi artem a Deo esse primis mortalibus inspiratam, id mihi simile vero non videtur; quomodo enim antiquissimi Ægyptii derelicta patrum suorum facili consuetudine ad alterum difficilius scripturæ genus, quod hieroglyphicum dicitur, abiissent? cumque cæteræ omnes artes fætus sint industriæ posteriorum temporum, cur, aut quo argumento scriptura eximitur? præsertim dum in hieroglyphicis ordo ipsius naturæ se prodit, e rudibus ad perfectiora contendentis. Neque etiam autumo Moysen, quod Jacqueloto *Existence de Dieu, &* Bourgueto *placuit, hujus artificii auctorem extitisse; nam si tabulæ illæ, ex Sinai allatæ, primum extitissent specimen scripturæ, quomodo Israëlitæ ignotissimam disciplinam subito percepissent? quomodo neque Moyses neque alii ullum signum prodidissent admirationis?*

Directio varia litterarum.

§. 808. Quædam gentes ſcripturam duxerunt a dextra in ſiniſtram, veluti *Chaldæi*, *Hebræi* &c. quem ductum ipſa litterarum formatio videtur poſtulare: veteres græci pariter a dextra ſiniſtram verſus ſcripſerunt, lineamque ad finem perductam paulo infra ex ſiniſtra proſecuti ſunt in dextram, quod ſcribendi genus βουςροφηδὸν *a boum arantium* converſione vocitarunt (*b*). Alii deorſum ſcribunt in lineis veluti *Sinenſes* & *Japonenſes*. Septentrionales antiqui populi teſte *Zuingero* & *Olao Magno* (*c*) & deorſum & ſurſum ſcripſerunt, ita ut ſcriptura in lineis ſpiralibus rediret.

§. 809. Hanc ſcripturam, ſi ultima tempora repetimus, lapideis ligneisque tabulis fuiſſe inſculptam docemur ex legum tabulis, a Moyſe allatis, quem morem alii etiam populi frequentaverunt, præſertim dum publica monimenta conderent; *Maupertuis* certo teſtatur, ſe in Lapponia characteres, prorſus incognitos, lapidique inciſos reperiſſe (*d*), in quibus populi illi patrum ſuorum vetuſtiſſimorum deliteſcere ſcientiam aſſeverant. *Solon* leges ſuas in tabulis ligneis deſcripſit (*e*). Poſt diluvium in plumbo ſcriptum fuiſſe docemur ex Jobi hiſtoria (*f*). *Montfaucon* ait, ſe vidiſſe antiquiſſimum codicem, ignotis literis in plumbis tabulis deſcriptum (*g*). *Dio Caſſius* refert literas, a conſ. *Hirtio* in plumbi lamina deſcriptas (*h*). Romani *leges XII. Tabb.* æri inciderunt. Alii tabulis eburneis uſi ſunt: alii papyro, ſeu cortice arborum: alii in charta, non linea hodierna, ſed ex caule fruticis Ægyptiaci confecta, ſcripſerunt (*i*). *Ulpianus* ait (*k*): *Librorum appellatione continentur omnia volumina, ſive in charta, ſive in membrana ſint, ſive in quavis alia materia; ſed, etſi in phylira, aut in tilia (ut nonnulli conficiunt) aut in quo alio corio: idem erit dicendum. Quid ſi in codicibus*

(*b*) *Pauſanias lib.* 5. *cap.* 17. *narrat, Olympiæ in templo Junonis Argivæ fuiſſe arcam cedrinam, hunc ſcripturæ modum referentem.*

(*c*) *Apud Holmium de ſcriptura cap.* 5. *v.* 6.

(*d*) *Voyage au Nord.*

(*e*) *Aul. Gell. Noct. Attic. lib.* 2. *cap.* 12.

(*f*) *Jobi cap.* 19. *v.* 24.

(*g*) *Palæographiæ græc lib.* 2. *cap.* 8.

(*h*) *Dio Caſſius lib.* 46.

(*i*) *Leo allatius in animadverſ. ad monum. Etruſc.*

(*k*) *Ulpianus leg.* 52. *ff de leg. & fid.*

bus ſint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis? &c. Cum autem folia, nec cera, neque creta, aut gypſo ſuperinducta fuerunt, tum ſcriptores ſtili loco penicillis utebantur.

§. 810. Mos erat olim, initia librorum auro, argento, purpura, aut minio efformare, & funeſtum omnino reputabatur, ſi liber quispiam hiſce initiis careret: *nec titulus minio, nec cedro charta notetur* (*l*). *Liquor ad ſcribendum.*

§. 811. His tandem progreſſibus exculta ſcriptura maximum commodum attulit, & mutuo gentium commercio, & præſertim ſtudiis diſciplinarum; intima quippe cogitatio, literis mandata, diu multumque a poſteris potuit examinari, an id, quod ſcriptoris animus moliebatur, recte, graviterque aut expreſſum ſit, aut etiam intellectum? quæ deliberatio ſolis vocibus, ſubito elabentibus, & ad dicentis vultum plerumque exigi ſolitis, impendi nequit; hinc recte Horatius: *ſcribendi recte ſapere eſt & principium, & fons* (*m*). *Beneficium ſcripturæ.*

§. 812. Nonnulli ſcripturam pro portento habuerunt (*): cum Hiſpani detecta America ſedes in eam transtuliſſent, contigit, ut mercator quidam alteri per Americanum mancipium fructus lectiſſimos ſubmitteret, ſchedamque, fructus recenſentem adjungeret, una cum fructibus reddendam. Mancipium illud, ut omnem ſcripturæ vim ignorabat, fructus illos ſuo derelictos arbitrio exiſtimavit, neque mercatorem alterum, tanto itinere abjunctum, poſſe commonefieri de fructuum numero, quidquid in allatis deſideraretur; magnam itaque eorum partem abſumpſit; ut autem ad terminum appulit, atque a mercatore, ſchedam inſpiciente, fructuum eſt poſtulatus, negavit liberrime eſſe ſubreptos, ratus increpationem ex infelicitate conditionis ſuæ fluere, non ex cognitione delicti; tum vero ſevere caſtigatus ſuſpicari cœpit, ne forte huic ſchedulæ inſuerit mens, & peregrina loquendi ratio, ut furtum aperiret; itaque ſecundo miſſus cum fructibus, & ſchedula, cum a fructibus denuo tenta- *Hiſtoria mancipii Americani.*

Yy 2

(*l*) *Ovid. Triſt. Eleg. I.*
(*m*) *Vide Bern. Lamy de arte loq. Lib. I. cap. 6.*
(*) *Voſſius in libro de Anagnoſtica.*

tentaretur, versutiam schedulæ obducturus, eam interim inter silvestres latebras abjecit, atque pro solito fructus manducavit; tum ad mercatorem appulsus, fatuus ille in sinum sibi risit, quod astum invenisset garrulam chartam eludendi, vapulavit nihilominus secundo, incassum negans contra schedulæ testimonium; quem accusandi modum acerbius tulit ipsis verberibus; cogitavit quippe, schedulæ illi inesse vim occulta inspiciendi, humana majorem. Ex quo scripturæ dignitas, & admirabile inventum abunde colligitur.

CAPUT II.

De Re Diplomatica.

Ars diplomatica. §. 813. *Ars Diplomatica* versatur in temporum cognitione, quibus diplomata, seu patentes literæ emanerunt; atque etiam regulas suppeditat vera a falsis, & supposititiis discernendi. Multi quippe veterum, jacturæ perditorum diplomatum occurrere, aut gratias, & privilegia principum certis familiis conciliare volentes, nova procuderunt in fraudem posteritatis. De ejuscemodi impostura queritur *Innocentio II.* Episcopus Catalaunensis, antea Abbas S. Medardi, circa annum 1140: fuisse nimirum unum e suis monachis, nomine *Guernonem*, qui moribundus palam edixit, se falsarium fuisse, & multa privilegia, quæ Ecclesiis describere solebat, Apostolico nomine se falso muniisse, pœnitens, ac lacrymans confessus est. Quod factum *Warthon* ex originali epistola narrat (*n*).

Auctores studii diplomatici. §. 814. Post dimidium sæculum XVII. hocce studium ferventius excoli cœpit a præstantibus quibusdam viris: *Conringio*, *Ludewigio*, *Petito*, *Papebrochio*, *Germone* (*o*), *Justo Fontanino*, *Godefrido Abbate Gottwicensi*, *Scipione Maffejo Hergotto*, novissimo Historiographo Domus Austriacæ, & quem primo loco nominare oppor-

(*n*) *Anglia sacra.*

(*o*) *Germon pertendit, nullas suppetere notas genuina monumenta a falsis discernendi; sed insigniter refutatus est a Mabillonio & Coutant, Lazarinio, Maranta &c. & Mabillonii fundamenta superiora evaserunt.*

opportebat, *Joanne Mabillonio*, qui rem diplomaticam summo studio ad methodum, certasque regulas revocarunt, quarum præcipuæ sunt

§. 815. I. *Sint ad manus genuina diplomata illorum principum, quorum nomen referunt dubia diplomata, ut mutua illorum comparatione securius judicium eruatur.* *Regula prima.*

Verumtamen hæc regula id pro fundamento habet, quod controvertitur; ubinam, dum dubia sunt omnia, certum vadem accipiemus? *Papebrochius* certo diploma Dagoberti regis pro Abbatia S. Maximi probat: *Mabillonius* id ipsum reprobat; cuinam horum fides habeatur? Sed neque scripturæ similitudo sententiam in securo collocabit. Sæpius scribæ ejusdem temporis & regni vario charactere sunt usi: non raro falsarii characteres examussim imitati sunt. Anxietas imitandi quandoque fefellit falsarios, ut characteres effingerent, sola scribendi libertate ab originaria manu alienos. Igitur hac regula cautissime utendum.

§. 816. II. *Stili quoquo sæculo & regno obtinentis ratio habeatur. Plerique principes suum incipiendi, & finiendi diplomata tenuerunt morem; ex quo servato sinceritas elucebit.* *Secunda regula.*

Sed nunquid varii succedentes sub eodem principe præfecti diplomatum stilum mutare potuerunt? aut scribæ alii ab antecessoris sui orthographia abire? præsertim postquam gentium migratio alienigenas multos administrandis publicis muneribus intrusit; hinc neque stili, neque orthographiæ inconstantia falsitatem diplomatis probabit, si modo aliæ sinceritatis notæ ibidem contineantur. Veteribus utique sat erat diplomata sua probe intelligi, neque providebant ex stilo aut orthographia variata posteris scrupulos inductum iri.

§. 817. III. *Probe examinetur tempus adscriptorum diplomatum, & chronologiæ calculus ineatur.* *Regula tertia.*

Falsarii siquidem, cum plerumque melius valeant manus dexteritate quam cognitione chronologica principum, sæpius illorum

 princi-

principum nomen diplomati inſcripſerunt, qui eo tempore aut nondum rerum potiti ſunt, aut omnino e vivis jam exceſſerunt, quod præcipuum erit falſi indicium. Juvabit tamen diligenter advertiſſe, plures principes, antequam ſoli imperarent, fuiſſe in regni conſortium adſcitos; quorum anni quandoque ab inito conſortio, paſſim vèro ab uſurpata ſolius poteſtate numerabantur. Quorum notitia ad peculiare ſtudium pertinet.

Regula quarta. §. 818. IV. *Attendatur, an æra, aut ſupputatione temporis uſitata notentur diplomata.*

Ante ſæculum undecimum non erat moris annos æræ chriſtianæ diplomatibus indere. Imperatorum *Indictio* (*p*) initium cæpit a 24 Sept. quo die *Maxentius* a *Conſtantino* Anno 313 victus, & chriſtiana religio in libertatem vindicata eſt. Pontificum indictio incepit die 25. Decemb. nempe a nativitate Chriſti. Hæ primum in concilio Conſtantienſi uſurpata eſt.

Regula quinta. §. 819. V. *Conferantur ſtudioſe diplomata cum hiſtoriis particularibus & moribus illarum gentium, & regum, a quibus olim data fuiſſe pertenduntur.*

Vaſtam hæc regula eruditionem poſtulat, & exquiſitam notitiam temporum anteactorum; non enim mores agendi eodem in populo iidem ſemper viguerunt, neque de tempore ſatis convenit, quo conſuetudines avitas aliquando interruperint, aut denuo aſſumpſerint aliquamdiu neglectas. Sæpe idem regnum, aut provincia dominatum ſuum vario decernendi more in ſuis partibus diſtinxit. Quæ omnia niſi quis habuerit plane perſpecta, ille temere utique de diplomatum fide judicabit; ut proinde vel ex hoc ſolo capite liqueat, quanti laboris, & eruditionis ſit, rei diplomaticæ arbitrum ſe conſtituiſſe.

§. 820.

(*p*) *Indictio eſt revolutio quindecim annorum, hæc abrogatis olympiadibus ſubſtituta eſt.*

§. 820. VI. *Monogrammata & subscriptiones principum, aut cancellariorum, seu logothetarum* (q) *severe examinentur.* *Regula sexta.*

Præsertim si gratiæ, aut privilegia illo diplomate contineantur; lucri enim irrequieta cupido adeo humanas actiones omni tempore fraudibus implicuit, ut magna sinceritatis nota censeri debeat, nullum habendi, vel aquirendi vestigium manifestasse.

§. 821. VII. *Sigilla* (r) *diplomatum diligenter recognoscantur:* *Regula septima.*

(q) *Logotheta sic dictus* ἀπὸ τῦ λόγυ καὶ τίθημι *id est: a ponenda ratione, eo quod discutiendis, & conscribendis rationibus præessent, erantque duplicis ordinis: profani, & ecclesiastici.*

(r) *Olim annuli diplomatibus imprimebantur, deinde cum effigies regum in magnitudinem excrevissent, relicto annuli nomine, appellata sunt sigilla. Aliud apud veteres erat sigillum* majus, *quod &* authenticum, *&* commune *dicebatur: aliud sigillum* secretum. *Sigilla majora plerumque filo serico tabulis, seu literis patentibus appendebantur, horum usum vix ante sæculi undecimi finem fuisse dicit Peirescius, & Mabillonius. Hergot in Genealogia augustæ gentis Habspurgicæ profert sigillum pensile Alberti Habspurgici ex ineunte sæculo duodecimo. Burtonus Tom. I. hist. Angl. scribit, ineunte sæculo undecimo Anglis omne sigillorum genus fuisse incognitum. Fere semper in sigillis equites effecti erant. Ecclesiasticorum sigilla referebant præsulum imagines. Ceræ plerumque imprimebantur sigilla, regum quidem ceræ albæ olim, hodie flavæ, ut testatur du Cange, nonnunquam ceræ viridi, quod rem in perpetuo vigore permansuram denotaret. Magistratuum & communitatum ceræ rubræ. Episcopi & Abbates nonnunquam proprio sigillo utebantur, nonnunquam sigillo capituli, aut monasterii. Abbates autem ut proprio sigillo gauderent, necessum erat Romani Pontificis auctoritatem accedere, ut colligitur ex literis Clementis IV, anno* 1265. *exaratis. Cum sigillum quovis casu amitteretur, tum coram judice protestabantur contra fidem eorum diplomatum, quæ eodem sigillo insignita essent prodituræ. Certo S. Bernardus epist.* 84. *ad Eugenium Papam queritur: literas suo nomine fuisse dispersas falso apposito sigillo, hacque de causa se esse adactum, ut novo sigillo uteretur. Sigillum summa cura apud sigillarios, seu cancellarios asservabatur, quodque in solennibus cærimoniis collo appensum gestabant, ut colligitur ex Aurea Bulla Caroli IV. cap.* 7. *idemque testatur Balsamon de Carto phylace magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ.* Sigillum secretum *literis clausis apponebatur ad discrimen sigilli majoris: ejusmodi sigillis impressi fuere equites, aut figuræ exoticæ pro libitu eorum, quorum erant sigilla, ait du Cange. Sigillum secretum Romani Pontificis, quo in privatis epistolis utitur, dicitur* sigillum piscatoris, *quia S. Petrus in eo effictus est, retia laxans. Pontificum sigilla, seu bullas deinde in plumbo expressas fuisse, discimus ex Luitprando:* hæc domnum

Papam

tur: an genuina ſint, integra & incorrupta? an vero potius ex alienis inſtrumentis malo dolo aſſuta? (*s*).

Cum enim manus facile effingi poſſet, inſculpta eſt ſigillis teſſera, ſeu effigies, quam falſarii non facile imitarentur; certo *Titus* tanta valebat ſcribendi dexteritate, ut *cum amanuenſibus ſuis per ludum, jocumque certaret imitari chirographa, quæcunque vidiſſet, profitereturque ſæpe, ſe magnum falſarium eſſe potuiſſe* (*t*).

Regula octava. §. 822. VIII. *Juverit & materiam ſuper qua mos erat diplomata exarare, bene examinaſſe.*

Diplomata non tantum in membrana ſeu Pergamena, itemque piſcis corio, ſed etiam in papyro, arboris cortice, exarata fuiſſe, teſtatur *Mabillonius* contra *Papebrocbium*, qui eam negat aliquando adhibitam fuiſſe ad ſcribenda diplomata (*u*).

Regula nona. §. 823. IX. *Videndum, quo atramenti genere diploma ſit exaratum.*

Communis uſus erat atramenti nigri, quod poſt longiora tempora pauliſper flaveſcit. Videatur Caneparius in tractatu de *atramentis*. Imperatores, eorundemque cancellarii rubro atramento etiam ſubſcripſerunt. Id etiam indulſit *Michaël Angelus* filio ſuo *Andronico*, hac tamen cum clauſula, ut ſolus imperator menſes & indictiones ſubjungeret. *Mabillonius* refert diploma in Pergamena, literis aureis deſcriptum.

§. 824.

Papam nullis narrantibus feciſſe crederemus, niſi literæ fidem admitterent, quæ plumbo ſignatæ, ejus nominis characteres monſtrant. lib. 6. cap. 6. *Erat hic ſcriptor ſæculi X. Imperatores etiam ſigilla aurea appendebant; hinc Bulla aurea.*

(*s*) *In quibusdam chartis authenticis, ex quibus primaria ſigilla amiſſa, aut comminuta exciderant, alia nonnunquam ex aliis avulſa, impoſita fuerunt. Sed cum aliquando illi deceptores ſigilli ſuppoſiti inſcriptionem legere, aut diſcernere non valerent; accidit, ut quæ erant exempli cauſa Ludovici Pii, aut Caroli Calvi ſigilla, Caroli M. diplomatibus inepte aptata ſint. Vid. Mabillonius de re diplomatica Lib. II. cap.* 19. *num.* 9.

(*t*) *Suetonius in Tito num.* 3.

(*u*) *Mabillonius de re diplom. Lib. I. cap.* 8. *num.* 4.

§. 824. Quid ex regulis his, mature graviterque expensis resultet, nisi summa cautio, res diplomaticas, in ancipiti positas, definiendi. Lucrum & habendi cupido plerumque hoc chaos invexerunt; & mirandum sane est, a monachis vetustis, qui paupertatis amplexu quarumcunque rerum possessioni miserunt nuncium, nec ulla etiam aut familiæ aut posterorum suorum obstringebantur sollicitudine, ab eis inquam, cæco aquirendi amore abreptis plura falsa fuisse diplomata subtrusa, cum fere nunquam animadversum sit, illustres familias, aut communitates civium, rarius etiam privatos sæculares homines ejuscemodi supposititia instrumenta procudisse, ait *Abbas Langlet du Fresnoy* (x). Gravissimas pœnas & supplicia veteratoribus olim inflicta, recenset *Mabillonius* (y). *Præcipui suppositores.*

CAPUT III.

De Resolutione occultarum scripturarum.

§. 825. Pleræque artes pro arbitrio delegerunt signa, quibus res, seu notiones sibi peculiares significarent; sic *Grammatici*, *Arithmetistæ*, *Algebraici*, *Astronomi*, *Chemici*, *Pharmacopœi*, *Jurisconsulti*, *Musici* &c. adscribunt characteres, ignotos imperitis harum artium. *Characteres ignoti.*

§. 826. Ars abbreviandi, ad promptitudinem & compendium inventa (z), etiam ad occultas scripturas pertinet: ejuscemodi abbreviationes in græcis & latinis libris, atque inscriptionibus lapidalibus ubertim recurrunt. *Ars abbreviandi.*

§. 827. Alia est occulta scribendi ratio, quæ communibus quidem literis utitur, permutatis tamen, atque ad alium valorem translatis, aut etiam numeros vulgares, adhibet loco literarum. Vocatur *Literæ permutatæ.*

(x) *Encyclopedie §. Diplomatique.*
(y) *De Re Diplomatica Lib. I. cap. 6. §. 3.*
(z) *Hinc dicitur* βραχυγράφια *abbreviatio, aut* ταχυγράφια *velox scriptio.*

tur στγανόγραφία, aut κρύπτογραφία, eſtque jam olim ab antiquiſſimis populis græcis & latinis culta (*a*).

Tironis notæ.

§. 828. Apud Latinos quidem *Ennius* mille & centum notas cryptographicas invenit; tum *Tullius Tiro*, libertus Ciceronis, pluras adjunxit & modum ſcribendi invenit; ac tandem *Perſannius*, & *Philargyrus*, & *Aquila* liberti Mecænatis numerum harum notarum ita auxerunt, ut plurimi hac ſcriptura uterentur (*b*), non in profanis duntaxat negociis, ſed & in eccleſiaſticis monumentis. Acta martyrum certo citiſſime, ut peragebantur, conſcripta fuerunt notis Tironianis, & illi qui ſcribebant, ab his notis vocati ſunt *Notarii*. Inde harum notarum cognitio tota intercidit (*c*), donec tandem *Gruterus* magnam partem earum declaravit (*d*), & nuper *Abbas Carpantier* Alphabetum Tironianum amplius illuſtravit.

§. 829.

(*a*) *Guilletus nuper Lacedæmonum cryptographiam depinxit, ſeu potius divinavit hoc modo: in ſcytalis, ſeu duobus cylindris ligneis ejusdem longitudinis & diametri conſiſtebat negocium: horum unum primores civitatis retinuerunt, alterum dederunt imperatori, contra hoſtes abeunti; porro cum a Magiſtratu imperatori quidpiam ſignificandum eſſet, prælonga faſcia ex pergamena circumducebatur cylindro, atque in ea deſcribebatur mandatum; tum reſolutam pergamenam, ſcripturæ chaos referentem, nulli legibilem, ad imperatorem transmiſerunt, qui in ea, ſuo cylindro circumducta, totum ſcripturæ genus in ſymetriam redegit, & juſſa magiſtratus excepit.*

(*b*) *Aul. Gell. Noct. Att. lib.* 17. *cap.* 9. *ſcribit:* Libri ſunt epiſtolarum C. Cæſaris ad C. Oppium, & Balbum Cornelium, qui res ejus abſentis curabant. In his epiſtolis, quibusdam in locis inveniuntur literæ ſingulares, ſine coagmentis ſyllabarum, quas tu putes poſitas incondite; nam verba ex his literis confici nulla poſſunt; erat autem conventum inter eos clandeſtinum de commutando ſitu literarum. *Idem refert Dio Caſſ. lib.* 40. *Suetonius in Cæſar. cap.* 56. Si qua occultis perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt: ſic ſtructo literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis perveſtigare, & perſequi vellet, quartam elementorum literam id eſt d pro a, & perinde reliquas commutet. *Idem Suetonius in Auguſt. Cap.* 88. *dicit: Auguſtum ſcripſiſſe b pro a, & c pro b, & omnes literas hoc modo transpoſuiſſe; loco x autem poſuiſſe duplex AA.*

(*c*) *Refert Cardinal. Bembus Lib.* 5. *epiſt.* 8. *a Julio II. Papa multos eruditos fuiſſe etiam præmiis inductos; ut harum notarum intelligentiam perveſtigarent; ſed oleum illi operamque omnes perdiderunt. Et Juſtus Lipſius Centur.* 1. *ad Belgas, epiſt.* 27 *fatetur, poſtquam & ipſe incaſſum ſtuduiſſet:* exoleverunt illæ, & fuiſſe magis, quam quid, & qua facie fuerint, ſcimus.

(*d*) *Notæ Tironis ſigna ſunt exotica, quorum unum totam vocem, & quan-*

§. 829. Hoc loco *paradigma cryptographicum* reſolvetur, literis communibus, ſed permutatis ſcriptum, ut ſi quando ejuſcemodi ſpecimen occurrat, liceat tentare illius lectionem, etiam non habita clavi.

§. 830. Requiruntur ad ejuſcemodi perveſtigationem tres præcipue conditiones. 1mo. Perfecta cognitio linguæ, quæ cryptographo continetur; incredibile enim videtur, quod de *Vieta* proditum eſt: occultas ſcripturas etiam in ignota lingua poſſe reſolvi. 2do. Fiat catologus ſingularum literarum, ibidem occurrentium, & adſcribatur, quoties earum quælibet aut in toto ſcripto, aut in uno ſolum folio recurrat. 3tio. Intendatur animus in linguæ, de qua agitur, proprietatem, quænam ibidem literæ frequentius recurrere ſoleant, qui articuli, quæ conjunctiones? hic apud Germanos litera 𝔇 frequentiſſima eſt, ob articulos der, die, das omni ſubſtantivo adjunctos: apud Gallos litera e, præſertim in exitu vocum, & conjunctio *que:* apud Latinos ſæpius redeunt literæ vocales, quam apud Germanos &c. *Cryptographiæ conditiones.*

§. 831. Sit itaque hoc paradigma crytographicum perveſtigandum (*e*), quod eſt in latina lingua: *Paradigma.*

a b c d e f g b i k f l m k g n e k d g e i b e
k f b c e e f i c l a b f c g f g o i n e b b f
b b i c e i k f f m f p i m f b i a b c q i
b c b i e i e a c g b f b c b g p i g b g r
b k d g b i k f s m k b i t e f m.

Reperiatur literarum ſingularum numerus:

f	14	*g*	10	*m*	5	*n*	2	*r*	1
i	14	*c*	9	*a*	4	*p*	2	*s*	1
b	12	*b*	8	*d*	3	*o*	1	*t*	1
e	11	*k*	8	*l*	2	*q*	1		

Zz 2 Tom

quandoque etiam totam propoſitionem manifeſtat. Hæc ſigna exhibentur a Jano Grutero in fine operis ſui: de Inſcriptionibus antiquis.

(*e*) *Graveſandius in ſua ad Philoſophiam introductione hoc paradigma poſuit, cujus combinationem adferemus.*

Tum revideatur textus, & notentur loca quæpiam insigniora, veluti *g b i k f* bis reperitur, quibus superponatur litera B & M. *i k f* notentur litera F, & *b e k f* litera C, quæ quandam conformitatem invicem referunt cum B & M, ut probabile sit, in his quatuor locis voces terminari, quod appositis punctis indicetur. Cæteris etiam literis superponantur majusculæ sine discrimine:

A . B
a b c d e f   *g b i k f:*   *l m k g n e k d g e i*
C D
b e k f: *b c e e f i c l a b*   *f c g f g*   *o i n e b*
E F G H
b f b b i c e   *i k f:*   *f m f*   *p i m f b i*   a b c
I K L
q i b c b i e i e   *a c*   *g b f b c b g p*   *i*   *g b g r b k d*
M
g b i k f: *s m k b i t e f m.*

§. 832. Jam vero apud Latinos frequenter occurrunt voces, in quarum ultimis tribus literis sola antepenultima differt v. g. *amant*, *docent*, *legunt* &c. quæ etiam plerumque vocalis est, ideoque probabiliter conjicio in B, M, C *i* & *e* esse vocales.

§. 833. Quoniam in G *f m f* initium vocis est, igitur *m* aut *f* est vocalis; nunquam enim tres consonantes continuo se consequuntur, quarum duæ sint eædem, & probabile est, quod *f* vocalis sit, cum *f* sæpius recurrat quam *m*. *m* ergo erit consonans.

§. 834. Exinde digredior in k, video *g b f b c b g*, & siquidem *f* vocalis est, erit *b* consonans eadem de causa, quæ mox allata est, & *c* erit itidem vocalis in *b c b*. In L *g b g r b* est *b* consonans, *g* itaque erit vocalis, & *r* erit consonans, siquidem in toto contextu semel tantum occurrit.

§. 835. Hac ratione ita constitutis literis reperio, omnes literas in D *f c g f g* vocales esse debere; cum hoc autem esse nequeat, Latinis

tinis namque nulla vox eſt quinque literarum, tantummodo vocalium; igitur conjectura ſuperior fefellit, & *f*, *c*, *g* pro vocalibus haberi nequeunt, eritque probabiliter *f* conſonans *m* autem vocalis, & *b* cònſonans. In K *g b f b c b g* ter recurrit *b*, & unica ſolum litera interjecta; huic autem analogæ plures voces latinæ habentur, nempe *edere*, *legere*, *emere*, *amara*, *ſi tibi* &c. quoniam vero vocalis *e* multo eſt frequentior aliis, hinc probabiliter infero *b* eſſe vocalem *e*, & *c* eſſe veroſimiliter *r*.

e r e
§. 836. In I *q i b c b i e i e*. at *i* & *e* eſſe vocales nequeunt, ut ſupra (§. 832.) divinatum eſt, cum tot vocales penes ſe non conſiſtant, niſi forte in conſonantes tranſeant, ut *j* & *v*. Tento itaque *v* ponendo pro *i*, & *i* pro *e*. *u e r u e r e v i v i*
Sic fiet *i a b c q i b c b i e i e a c*
quod legetur: *uterque revivit;* deficientes quippe literæ a linguæ perito facile ſubſtituuntur. Itaque conjicio *a* eſſe *t*, & *q* eſſe *q*.

e u r i u
§. 837. E & F *b f b b i c e i k f* citra multam difficultatem legetur *eſuriunt;* itaque *b* eſt *s*, & *k* eſt *n*, & *f* eſt *t:* atqui ſuperius conjiciebatur *a* eſſe *t* (§. 836.); quid horum videtur eſſe probabilius? hoc nempe: ut *f* ſit *t*; etenim frequentius recurrit *f* quam *a* in hoc paradigmate; apud Latinos autem *t* eſt frequentiſſimum; igitur probabilius *f* eſt *t*, reſtatque de novo inquirendum in *a* & *q*, quæ duæ literæ videbantur jam ſupra eſſe enodatæ.

§. 838. Rurſum *m* eſſe vocalem deprehenſum fuit (§. 833.), & præterea vocales *a*, *i*, *u* jam ſunt conſtitutæ; igitur cum quinque duntaxat ſint vocales, neceſſum eſt, ut *m*, vel *a*, vel *o* ſignificet.

itaque G & H *f m f* *p i m s b i*
legetur vel *t o t* *u o t s u*
vel *t a t* *u a t s u*

nemini non apparet *o* eſſe præeligendum, hinc lego: *tot quot ſunt:* atque ita *m* eſt *o*, & *p* eſt *q*.

§. 839. Ad hæc corrigi debet error, ſupra commiſſus legendo *uterque revivit*, & ſubſtituetur: *tot quot ſuper uere vivi*; ubi aperte

 vox

vox truncata apparet, quæ completur legendo *ſuperfuere*; atque ita *a* eſt *p*, & *q* eſt *t*.

§. 840. Reditur itaque ad primas cryptographi literas, quæ juxta ſuſceptam enodationem ſic leguntur *per it ſunt*; quæ lacunæ facile a linguæ perito explentur ut legatur: *perdita ſunt*: igitur *d* eſt *ɔ*, & *g* eſt *a*.

§. 841. Poſtquam hac ratione omnes fere literæ ad ſuam ſignificationem revocatæ ſunt, adſcribitur totum ordine, & ſuppletur una alterave facile ex contextu, & frequenti recurſu; quin imo deteguntur etiam errores, qui in ipſum cryptographum ſcribarum vitio irrepſerunt; veluti in hoc paradigmate *Mindaius*, qui ſcribi debuiſſet *Mindarus*. Textus enodatus eſt, ut ſequitur:

> *Perdita ſunt bona: Mindarus interiit: urbs ſtrata humi eſt: eſuriunt tot quot ſuperfuere vivi: præterea quæ agenda ſunt conſulito.*

Pulchra ſane ars, & utiliſſima perveſtigatio, quæ etiam bellorum tempore, dum occultis ejuſcemodi ſcripturis præcipuæ machinationes atque inſidiæ peraguntur, patriæ perneceſſaria eſt, & publico emolumento, ideoque etiam ſtipendiis principum ſuſtentari conſuevit.

§. 842. *Cl. Walliſius* plura & varia cryptographiæ ſpecimina adfert (*f*). Videatur etiam *alphabetum ſecretum* Cardinalis Richelii (*g*). Item *Characteres Palmyrienſes*, quos nuper in publicum emiſit Abbas *Barthelemus*. Nec non *Ars deciſratoria Breithaupt*, in qua prævia eſt Diſſertatio, de variis modis ſcribendi per ciſras.

(*f*) *In literis Tom. III. ſuorum operum.*

(*g*) *Eſpion du grand Seigneur lettre 77.*

LIBER

LIBER III.

De Ratione recte intelligendi.

§. 843. Bene admodum & ſapienter veteres cenſuerunt, vitam, qua nihil dulcius natura dedit mortalibus, & literas eodem debere precio æſtimari, ſiquidem illius locum & dignitatem hæ excipiunt; ut & illi inſignes viri ex ultima hominum memoria hodiedum inter nos honorifice cenſeantur, quorum ſcripta ad nos pervenerunt; & miſerrima omnino foret mortalium conditio, niſi ſcriptis illis monumentis adjuvaretur: ſine his langueret cura rei familiaris, dum ignoraretur, qua ratione familiarum jura tueri opporteat, atque juxta majorum inſtituta liberos educare: ſine his periclitaretur publica ſalus, & neſciretur, quæ ſint leges Reipublicæ, quæ fœdera cum exteris gentibus, & conventiones olim initæ: his ſublatis periiſſet omne ſcientiarum inſtitutum, quas antiqui literis conſignatas ad nos tranſmiſerunt; ſed neque hoc ſolum: ipſa etiam ſanctiſſima religio divinis Scripturis continetur, ad quas tum in credendis myſteriis, tum in cæteris Chriſtianorum officiis tanquam ad ſacram anchoram confugere opporteat.

Quæ emolumenta mortalibus præſtiterint literarum monumenta?

§. 844. Latent nos hodiedum plures, ſingularesque eventus temporum, longiſſime anteactorum, veluti: *quo portento, quove tempore maximi terrarum tractus a continente ſeu per inundationes, ſeu per terræ motus prærupti, inſulas effecerint? quo ſpacio pontus exæſtuans occupaverit littora, aut ab iiſdem receſſerit? quo ſæculo novi exorti ſint montes, flammas eructare cæperint, aut deſtiterint? quo curſu cometarum corpora abſolverint orbitam ſuam, aut ſtrages*

Quæ damna a deperditis literis?

inter astra ediderint? quo cultu vitæ, & moribus usi sint vetustissimi incolæ nostrarum regionum? &c. quæ tamen omnia hodie cum incredibili rei literariæ progressu sciremus, si felices commentarii iis de rebus ad nostram ætatem essent devoluti.

Quæ referantur ad veram auctorum intelligentiam?

§. 845. In illis nihilominus auctorum reliquiis, quæ sæculorum edacitati superstites, ad nostras manus pervenerunt, cum maxima sapientiæ pars, & officiorum institutio contineatur, tradetur hac tandem parte modus, & regula auctorum quorumcunque scripta, seu ex alia in aliam linguam transferendi, seu juxta saniorem criticen intelligendi, & illustrandi commentariis, seu demum quæcunque monumenta utiliter legendi, ac depellendi criminationes, & iniquas animadversiones a præclaris scriptoribus, quas pseudo critici iis intulerunt; quibus certo omnibus recte intelligendi facultas continetur.

CAPUT I.

De Hermeneutica, seu genuina interpretandi facultate.

Quid sit Hermeneutica?

§. 846. Hermeneutica (a), seu interpretandi facultas docet signa, verba & sententias, quibus auctores quique cogitationes suas indiderunt, ea cum claritate dexteritateque exponere, ac interpretari, ut de eorum mente certi reddamur. Quod quidem duplici præcipue modo fieri consuevit: aut simplici *conversione* alicujus auctoris in aliam linguam: aut *illustratione* ejusdem variis commentariis, glossematis, paraphrasibus aut scholiis; quorum primum dicitur *interpretatio:* alterum *commentatio.* Regulæ pro justa interpretatione sunt sequentes:

Prima regula ad justam interpretationem cognitio linguarum.

§. 847. *Prima Regula:* sit interpres utriusque linguæ, & illius *ex qua*, & alterius, *in quam* auctor convertitur, apprime peritus, stilumque in ea multum, & frequenter exerceat, ut nempe promptitudinem sibi adjungat, libere, eleganter, & concinne, quidquid animus

(a) *Hermeneutica derivatur a græca voce* ἑρμηνεύειν, *quæ significat interpretari.*

animus ſuggerit, & loquendi, & ſcribendi, atque etiam implicatas notiones, ſeu idiotiſmos, uſus beneficio prompte evolvendi, ſentiet nihilominus, utut linguam utramque egregie hauſerit, ſe non raro ſacrum inter & ſaxum hærere, quod linguæ ipſæ ſibi ſatis non reſpondeant, & vocum egeſtas interpretantis ſpiritum intercipiat. Si autem rem moleſtam, & tormento ſimilem dixit Cicero, *alieno ſtomacho, non ſuo ſcribere*; quid dicendum de illo interprete erit, qui neceſſariis ſubſidiis deſtitutus ſit, & difficultâtum obices, quos linguæ objiciunt, ne advertat quidem? ferendusne ſit interpres ſine ſtomacho, qui cum in *Xenophontis Lib. 6. Hiſtor. Græc.* legeret, Anarchiam inter Athenienſes principes interceſſiſſe toto illo tempore, quo 30 tyranni imperitarunt; regnaſſe illo tempore regem *Anarchiam* libere convertit, cum interpretari debuiſſet, *interregnum* ſine ullo legitimo principatu tum interceſſiſſe; ἀναρχία quippe interregnum ſignificat? *Anarchia male explicata.*

§. 848. *Secunda.* Neceſſum comprimis fuerit interpreti, non modo ſermonem auctoris & doctrinam familiarem ſibi reddere ac domeſticam, ſed etiam ingenium illius, mores, religionem, aſtutiam habere exploratam; hæc enim ab auctore ſemper & ubique in opus ſuum tanquam in fœtum ſanguis & ſpiritus diffunduntur, & ut plurimum verborum obſcuritatem ambiguitatemque dirimere conſueverunt. Sed neque acutas elocutiones, argumenta ardua, comparationes &c. aſſequetur interpres, niſi in eadem facultate, e qua illa deprompta ſunt, & artificio, ſubjectam materiam conſimiliter veſtiendi, fuerit egregie ſubactus. Nulla deterior poteſt auctori, magnis ingenii & doctrinæ viribus conſpicuo, accedere ſors, quam ſi delabatur in manus interpretis, præter verborum cognitionem omnia doctrinæ arcana ignorantis; omnia enim perdet, & convellet funditus in auctoris & lectoris perniciem. *Indoles etiam auctoris cognoſci debet.*

§. 849. *Parmenides*, & poſt eum *Plato* in *Timæo* conſtituit tria omnium principia, nempe primum: τὸ ὂν, αἴτιον ἁπάντων, *Ens, omnium cauſam:* ſecundum λογὸν *rationem:* tertium denique ψύχην κοσμȢ *animam, ſeu ſpiritum mundi.* Eundemque ſequitur e veſtigio *Philo* ſummus Platonicus *de opificio Mundi* vocans λογὸν *rationem,* *Platonicorum & Evangelii apparens conſenſio.*

 ſeu

seu imaginem Dei, imo & πρεσβύτατον τῶν αγγέλων, καὶ τῦ ὄντος πρωτότοκον ὑιον *antiquissimum Angelorum, & primogenitum entis.* &c. *S. Joannes* 1. capite Evangelii sui, & alibi itidem hac voce λογὸς utitur ad *verbum* nempe Christum significandum; Jam vero nisi quis in Platonis doctrina bene versatus sit, vehementer earum vocum interpretatione prolabetur, existimans, a Platone per λογὸν idem, quod ab Evangelista significari, quod pravum est, & falsissimum, cum eadem vox a variis, juxta suæ sectæ placita, in varium & distinctissimum sensum distrahatur (*b*).

Germanorum & Græcorum Dii male confusi. §. 850. Qui veterum Germanorum res condiderunt, cum comperissent, Deos, ab illis olim cultos, & prærogativis, & gestorum insignibus multum accedere ad Græcorum deitates, nihil ultra solliciti, Græcorum Deorum *Apollinis*, *Veneris* &c. nomina Germanorum Diis indiderunt; quo autem jure boni interpretes religionem Germanorum, quibus omni externo commercio interclusis, Græcorum res nunquam innotuerunt, cum ea quæ Græcorum fuit, tam liberaliter, seu inepte potius confundere potuerunt? quasi vero a gloria græci nominis Germanorum idololatria quandam excusationis, aut decoris speciem obtineret (*c*).

Tertia regula interpretantium. §. 851. *Tertia.* Non liceat sensum quempiam attribuere auctori, quem interpres, librum de eo argumento scripturus protulisset. Auctoris mens adferenda est, non interpretis: alteque defigenda animo est illa *Clerici* sententia: *oportet veluti nostrarum opinionum oblivisci, & quærere, quid veteres illi magistri senserint, non quod sentire debuisse nobis videntur, ut saperent* (*d*). Sit etiam eruditio inter-

(*b*) *Vide Joan. Clerici Artem Critic. Tom. III. Epist.* 8.

(*c*) *J'aurois peine a me persuader, que les fables ingenieuses des Grecs, Minerve, Venus & Apollon eussent etè connues en Allemagne du tems du paganisme: mais nos profonds etymologistes ne s'embarrassent pas des vrai semblances; ils croyent ennoblir leur mythologie, en donant a leurs Dieux des origines Grecques, ou Romains; comme si le nom de ces peuples pouvoit rendre l'idolatrie plus respectable, & que l'extravagance des grecs valût mieux, que celle des Allemans.* Frederique le Roi de Prusse. Memoire pour servir a l'histoire de Brandebourg. Art. de la superstition, & de la religion.

(*d*) *Artis Criticæ Part. II. Sect.* 2. *Cap.* 2.

interpretis ipso auctore multo præstantior, multoque sublimior, in eo totam illius vim opportet profundere, ut id, quod e suo interpretantis cerebro profluit, solum auctorem oleat: noveritque totam mercedem suam sitam esse in opera, bene utiliterque collocata, non in plebeculæ rumoribus, quemadmodum & virtus suum sibi pretium est; neque enim ostentandi ingenii, sed utilitatis & subsidii causa interpretationes, quæ cognitionum terminos amplificant, suscipiuntur.

§. 852. *Quarta.* Æquitatem præcipue, & candorem sibi interpres comites adsciscat, dum tali amico officium impenditur, cum quo velit & sermonis & doctrinæ conformitate in unum veluti hominem coalescere; tanti fœderis vinculum jure deposcit, ut optimus & convenientissimus auctori sensus adjudicetur, quemadmodum sibi ipsi quilibet æquissimus est; & profecto iniquissimum foret, officii obtentu proditorem agere, qui imposturas cudat, falsa & indigna assuat, & legentium expectatione petulanter abutatur; in quo nuper deliquisse intuemur gallicum interpretem vitæ *Pauli Sarpii.* Refert siquidem P. *Fulgentius* in vita italica ejusdem *Sarpii:* Condæum principem, Venetias appulsum, in domo Angeli Contarenii amice *Sarpio* collocutum, tandem sermonem ad Hugonottos convertisse; tum scite *Sarpius* oblatam provinciam, de qua princeps ille mentem *Sarpii* intelligere cupiebat, declinans, genitorum suorum Patris & avi recoluit illustrem memoriam; e qua digressione princeps, sagaci mente præditus, facile, quidnam *Sarpius* vellet, intellexit; nempe quam nollet Hugonottorum res a se contingi *(e)*. Quod interpres gallicus mala fide convertit hoc modo: Condæum principem transtulisse sermonem ad Hugonottos, & de eorum rebus, quæ sit mens *Sarpii*, experiri voluisse; tum *Sarpius* in laudes Patris, & avi sui, præstantissimorum principum, qui ipsi Hugonotti erant, late excurrens, tacitum argumentum protulit sagaci principi, quæ sua esset de iisdem sententia; nempe a se Hugonottorum res impense commendari

Quarta regula interpretandi.

Iniqua criminatio in Paulum Sarpium.

(*e*) *Il biasimo de gl' Ugonothi, senza toccar scintilla di dottrina, lo divertì con singular desterità, introducendo la memoria del valor e prudenza del padre, & avo del principe medesimo, il quale come capacissimo ben s'avvidde quelle che significasse.*

mendari (f). Possitne homini, hoc in casu immerenti, nequius odium conflari?

Quinta regula vult retineri significationem vocum.

§. 853. *Quinta.* Verborum significatio, quæ communi usu recepta est, ab interprete retineri debet; censendusque est auctor voces suas, quas publico communicavit, pariter ad eum usum accommodasse; nisi forte auctor aperte velit voces suas ad aliam significationem transferri: aut nisi auctoris tempore alius vocibus valor, quam qui hodie obtinet, constitisset; quorum plurima exempla Cl. *du Cange* in *Glossarium latinitatis medii ævi* congessit. In singulis artibus technicæ voces reperiuntur, quas illarum professores diverso a vulgi sensu intellectas volunt: vocibus *regulus*, *luna*, *notatio* &c. aliam chemici, quam quæ illis primum imposita est, affingunt notionem: aliam notionem quidam veteres voci *magus*, aliam subsequens ætas indidit (§. 723.).

du Cange laudatur.

Sexta regula.

§. 854. *Sexta.* Quod si auctor palam præcepit, qua peculiari ratione voces suas, & loquendi formulas intellectas cupiat, tum interpres voluntatem auctoris ubivis intrepide sequatur; *quilibet enim optimus interpres suorum verborum est;* nisi compertum sit, auctorem in quopiam singulari loco non respexisse ad priores suas notiones; aut eas illo loco valere omnino non voluisse.

Septima regula.

§. 855. *Septima.* Auctores plerumque mentem suam, & scopum operis innuunt in titulis, & præfationibus; igitur si anceps quæpiam occurrat locutio, ea, si possit, juxta generalem scopum, & præfationem operis dirimatur; nisi palam, id eo loco fieri non oportere, eluceat.

Alia vocum alia sensus est claritas.

§. 856. Alia est claritas, vel obscuritas *vocum;* alia claritas, vel obscuritas *sensus.* Sensus obscuritas negocium magis arduum facessit interpreti, quam obscuritas vocum. Non raro voces ambiguæ ex cohæsione totius sententiæ capiunt lucem; sensus autem obscu-

(f) *Quant a ce que disoit M. le prince au desavantage des Huguenots, sans toucher aucune chose de la doctrine; Fra Paulo le divertit fort adroitement, en le faisant souvenir, que son Pere, & son Ayeul, qui avoient eté si sages, & si vaillant, etoiet de ce parti.*

obſcuritas etiam in ſumma vocum claritate difficilius tollitur, & emendatur.

§. 857. *Octava.* Ut autem ex obſcura ſententia literalis ſenſus, qui cæterorum ſenſuum præcipuus eſt, eruatur (*g*), non parum juverit recurrere ad verſiones, ſi quæ jam factæ ſint, in alias linguas affines: ſic verſio S. Scripturæ *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, &c. lumen non modicum affundunt interpreti ad intelligendam literam, & originalem textum hæbræum; præſertim ſi ſciatur, vocem aliquam, aut loquendi formulam ex alia in aliam linguam commigraſſe. *Octava regula.*

§. 858. *Nona.* Eſt & illud interpretanti perutile in dubiis, ut attendantur loca parallela, id eſt ſententiæ & propoſitiones in eodem opere, quæ quadam ſimilitudine, & ſenſus communione invicem devinciuntur; auctor certo, qui uno in loco ſententiam ſuam diſtincte protulit, in altero loco, dum dubie de eadem re agit, ad priorem ſententiam eſt revocandus; cenſetur quippe ſibi in eadem re indivulſe conſtare; & licet ſemper non ſit *homonymia* ſeu verborum identitas; eſt tamen *ſynonymia*, id eſt: identitas ſenſus. *Nona regula.*

§. 859. *Decima.* Nunquam ad allegoricam, & impropriam interpretationem, tanquam genuinum ſcopum auctoris abire conceſſum *Decima regula.*

Aaa 3 ſit,

(*g*) *Alia eſt* interpretatio literalis, *quæ ſenſum juxta literam, & verborum valorem eruit; & hæc primo quæri debet ceu convenientiſſima; quilibet enim auctor cenſetur tantum dicere voluiſſe, quantum verba ſonant, alia eſt* interpretatio allegorica, *quæ ex impropria, & tralatitia vocum ſignificatione ſenſum producit; ſic vis ſolis in menſe Aprili ſuccreſcens allegorice ſignificatur per* taurum, *validis cornibus terram fodicantem, cum prius debiliora arietis cornua præceſſerint. In interpretatione ſacræ ſcripturæ, vult S. Auguſtinus ſemper retineri ſenſum literalem, niſi ex eo abſurdum aliquod ſequatur, & tum poterit ad allegoricum ſenſum interpres divertere; veluti Leo de tribu Juda, eſt* Chriſtus. *Alia eſt interpretatio* myſtica *ſeu* anagoica, *quæ ex vocibus, aliud ſignificantibus, myſterio, & res cæleſtes perſequitur; ſic ex inſeperabili vinculo matrimonii interpretantur myſtici* unionem Chriſti cum ſua Eccleſia. *Alia demum eſt interpretatio* accommodatitia, *quæ voces in alio longe ſenſu ab auctore adhibitas, transferunt ad alterius rei illuſtrationem, idque ob verborum vel thematis ſimilitudinem. Hic ſenſus, utut veroſimilis ſit, eſt tamen reipſa falſus, & a concionatoribus non raro adusque exceſſum colitur; ſic elogium illud:* mediator Dei & hominum, *quod S. Paulus Chriſto dat, nuperus concionator alicui ſancto applicavit.* *Senſus literalis, Allegoricus, accomodatitius.*

ſit, dum textus citra inconveniens queat in literali ſenſu explicari; niſi auctor ſibi præfixerit in verbis luſus allegoricos ſectari (§. 266.).

Undecima regula.

§. 860. *Undecima.* Porro ut mens, & ideæ auctoris penitus intelligantur, opus eſt conditiones eas ac circumſtantias, quas ipſe auctor notioni ſuæ adjunxit, cum illa idea in unum pariter conferre; ſic cum *Confucius* Sinenſium Philoſophus docuerit: actiones morales, id eſt virtutes & vitia non eſſe veras virtutes neque vitia, niſi eorundem exercitium acceſſerit: cum *Hauksbeè* in experimentis electricis aſſerat: lucem electricam ſolo affrictu vitri excitari; ſi quis ſinceram notionem virtutis a *Confucio*, aut lucis electricæ ab *Hauksbeè* traditæ, velit aſſequi, eum opportebit virtutem cum exercitio, & lucem electricam cum affrictu conjunctam concipere.

Confucii idea de virtute.

§. 861. Hæc quidem de juſta interpretatione in univerſum præcipiuntur; nunc peculiaria quæpiam monita libet ſubjungere, reſpicientia peculiares materias librorum convertendorum, quam nempe pro argumenti varietate, varietatem quoque & modum recipiat interpretatio. Et primo quidem quod ad interpretationem divinorum librorum, ſeu *ſcripturæ ſacræ* pertinet, illud menti interpretis conſtanter obverſari debet, quod dicit S. *Hieronymns* (*b*): in illis ipſum verborum ordinem eſſe myſterium: verbum in iis verbo enunciandum eſſe ob eminentem dignitatem antographi. Impudens, & temerarium eſt, divinam hiſtoriam humanis inventionibus expolire, quod nuper auſus eſt P. *Beruyer* in neſando opere: *Hiſtoire du peuple de Dieu.* In quo ſanctorum Patriarcharum veteris teſtamenti hiſtoriam, ceu ingenioſam fabellam, aut romanam paſtoritiam adornavit; non enim poteſt humanæ elegantiæ ſtudium non ſuccidere uberrimam divinarum ſententiarum ſimplicitatem, quæ cum in plano ſenſu fructum maximum offerat, quid detrimenti ſit, intemperantem facundiam interpretis in adſtricta converſione deperdi?

Peculiare monitum pro interpretatione S. Scripturæ.

Beruyer notatus.

§. 862. Eadem prope ſinceritate, & literali cuſtodia ſepiamus opportet *ſacros conciliorum canones*, & SS. Eccleſiæ Patrum opera, qui divinarum rerum intelligentiam, & officiorum quorumque Chriſtiano-

Monitum pro interpretatione Patrum.

(*h*) *Epiſtol.* 101. *ad Pamachium.*

ſtianorum cultum, uſitata ipſis ſacris eloquiis ſimplicitate tradiderunt; vetat quippe reverentia, miris eorum ſententiis adſuere centones pulchros, centones tamen.

§. 863. Cohibenda quoque eſt verborum & ſtyli diffuſio in interpretatione profanorum auctorum, atque eorum præcipue, qui theoreticis implexisque argumentis inſudarunt: veluti *Archimedes* Sphæræ, *Euclides* Geometriæ, *Ptolomæus* Aſtronomiæ, *Diophantus* Arithmeticæ, *Ariſtoteles* Metaphyſicæ, *Apollonius* Conicis, *Hyppocrates* Aphoriſmis medicis &c. hæc enim omnia cum aptiſſimis pauciſſimisque vocibus ad vitandam idearum confuſionem conſignata ſint, ſi interpres ea conveſtiret intemperantius, is non modo obſcuraret nexum ſublimium idearum, verum etiam jure coargueretur, gravibus rebus contra earum dignitatem adſcititios floſculos pueriliter inſeruiſſe. *Monitum pro profanis theoreticis auctoribus.*

§. 864. Sed & hiſtoricam interpretationem auctoris ſui vocibus, qua licet, adſtringere conſultum eſt; cum veritas & candor hiſtoriæ alienis illecebris corrumpatur (§. 750.); imo etiam tota facie immutetur, dum ad varium loquendi genus transponitur. *Monitum pro interpretatione hiſtoriarum.*

§. 865. Oratoribus autem, & Poëtis, quorum totum inſtitutum ad ornatum dictionis atque ad delectationem collimat, liberalior interpretatio impenditur; ſi modo varium illud dicendi genus ſenſum non labefactet, aut entheus ille ignis non frigeſcat; ſed neque poteſt verbum pro verbo reddi in qualibet aut verborum, aut ſententiarum elegantia. Idiotiſmi plerumque per anxiam interpretationem ex elegantia ſua dejiciuntur in tædium. Quod cum perſpiceret Rhetorum eloquentiſſimus *Cicero*, laxiorem ſemitam, græcos oratores interpretaturus, inivit; ſic enim ait: *converti enim ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes, inter ſe contrarias, Æſchinis, Demoſthenisque; nec converti ut interpres, ſed ut orator, ſententiis iiſdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo neceſſe habui reddere, ſed genus omnium verborum, vimque ſervavi, non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, ſed tanquam appendere* (*i*). Cujus normam alter quilibet ſecure imitabitur. *Monitum pro Oratorum & Poëtarum interpretatione.*

§. 866.

(*i*) *De optimo genere Oratorum.*

Huetii leges ad interpretandum.

§. 866. *Daniel Huetius* (*k*) ad juſtam interpretationem tria vult neceſſario accedere: nempe *religionem in exponendis ſententiis, fidem in referendis verbis, ſummam in exhibendo colore ſollicitudinem*; actumque ſine his tribus agi ab interprete; ſententiæ ſiquidem exponendæ ſunt, ut verbis includantur iisdem, verba ita conſectanda ſunt, ut ex iis effloreſcant ſententiæ; ac demum & verba, & ſententiæ ita congruere debent, ut in utriusque complexu ſapor, & color auctoris reniteat. Quibus tribus præcipit alia tria adjungi, nempe: ut *ſumma inſit in interpretatione perſpicuitas: ut elegans ſit, & concinna: ut opus vernaculum, ſeu αὐτοφυὲς, non aliena interpretatio credi poſſit.* Hæc ſex ornamenta, mutuo conſtanterque unita, interpretationem facient numeris omnibus abſolutam. Ornamenta hæc in legibus interpretandi, ſupra allatis, diſperſa & explicatius continentur. Sed jam ad alteram interpretationis partem, nempe commentandi officium accedamus.

Quid ſit commentatio?

§. 867. *Commentatio* eſt oratio, quæ auctoris cujusdam illuſtris doctrinam uberius explicat, & illuſtrat: aut latentem ſenſum ex eodem eruit: aut demum in utroque verſatur. Quod ſi auctor plano ſermone mentem ſuam dilucide aperuit; nihil opus eſt vacare commentariis; quid enim attinet res in medio poſitas, quæ ſola lectione pateſcunt, revocare ad incudem, atque colluſtrare? niſi forte in ſimplici hiſtoriâ myſteria quærere opporteat, quod ſacris libris proprium eſt.

Commentator grammaticus.

§. 868. Commentator grammaticus eſt, qui omnem operam confert ad illuſtrandam duntaxat orationem, & loquendi modum auctoris. Ejus muneris eſt, cuncta diſcutere juxta regulas Grammatices, & allatis aliorum auctorum lexicorumque ſuffragiis vocum, ſententiarumque ſtructuram & valorem tueri. Hoc commentandi genus, quando nimis evagâtur, incredibili tædio, & ſiccitate lectorem conficit, diciturque *ineptia grammaticalis.*

§. 869. Qui vero ipſi argumento, & rebus, ab auctore propoſitis, nituntur lucem affundere, eos opportet multiplici eruditionis genere

(*k*) *Huetius in commentario: de optimo genere interpretandi.*

genere præstare *historicis*, *poeticis*, *geographicis*, *philosophicis* &c. quæ deinde pro re nata thematis illustrationi apte adspergant; persæpe enim eruditi auctores, rem quampiam, longis ambagibus implexam, cursim, aut solo nomine insinuant, quam deinde interpres ab ovo repetet, atque adusque calcem perducet, ut lectorem ne desiderare quidem quid amplius patiatur. Si quis interpres & oratione simul & rebus illustrandis occupatur, ille *commentator philologicus* dicitur. *Commentator philologicus.*

§. 870. Præcipua autem cura invigilandum est commentatori, ut omnem nutum auctoris sui & colorem, & astutiam dilucide perspiciat; sine horum cognitione, dum verborum sensui duntaxat toti innituntur, prolapsi sunt non pauci interpretes, imo etiam auctorum calliditati cum veritatis jactura litaverunt. *Commentator auctoris astutiam pervideat.*

§. 871. Cum Philosophi Stoici *Seneca*, *Antoninus Imperator*, *Epictetus* &c. primis Ecclesiæ sæculis adverterent, se nequidquam contra Christianorum incrementa proficere, imo Dei Ecclesiam a mentis candore, & morum sanctitate toto orbe celebrari, conati sunt & illi, invidia atque rancore incitati, imitari doctrinam, & sententias Christianorum, ut ita ostenderent, Christianam religionem nihil habere Stoica gravitate amplius, imo potius eam ex philosophorum dictis & scriptis esse impie consarcinatam, ut mundo fucum faceret. Sic cum Christianis solenne esset, suam in Deum confidentiam testari hac formula: χάρις Θεῷ *Gratia sit Deo* (*l*). reperitur hæc pariter a Stoicis usurpata in Epicteto: τότε καὶ ἐγὼ ἡμάρτανον, νῦν δὲ οὐκέτι, χάρις τῷ Θεῷ *tunc & ego peccabam, nunc vero non item, gratia sit Deo* (*m*). A S. *Paulo* vocatur cælestis habitatio fidelium animarum πόλις Θεοῦ ἐπουράνιος *civitas Dei calestis*. Item: ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ *superna Hierosolyma* (*n*). *Antoninus* quoque in significatione Stoica vocat cælum Διὸς πόλιν *Dei civitatem*, *Stoicorum impostura detegitur.*

(*l*) 1. *Corynth.* 10. *v.* 30. *Luca* 6. *cap.* 32.

(*m*) *Epictetus Lib.* 4. *Dissertationum ab Arriano excerptarum.*

(*n*) *Hebræor.* 12. *v.* 22. *Galat.* 4. *vers.* 26.

tem, &: *ἀνθρώπους εἶναι πολίτας πόλεως τῆς ἀνωτάτης homines cives esse civitatis supernæ.* Lex Christi jubet etiam malos diligere, iisque benefacere (*o*); & *Seneca* id imitatur: *Propositum est nobis, secundum rerum naturam vivere, & Deorum exemplum sequi; si Deos imitaris, da & ingratis beneficia; nam & sceleratis sol oritur, & piratis patent maria* (*p*). De sanctissima Trinitate balbutit *Seneca: Quisquis formator universi fuit, sive ille Deus est, potens omnium, sive incorporalis ratio ingentium operum artifex, sive divinus spiritus, per omnia mundi maxima, minima, æquali intentione diffusus* (*q*). Similia in iisdem Stoicis reperiuntur de *meditatione mortis, speranda beatitudine, resurrectione promissa, mundi exustione finali* &c. quæ præstantes quosdam viros, veluti *Lipsium*, & *Huetium*, eo induxerunt, ut astutiæ paganæ immemores, putarent, Stoicam doctrinam sat commode cum Christiana religione conspirare, imo forte præstantes quosdam Stoicos *Senecam Antoninum* &c. occulte Christianam religionem fuisse professos.

Lipsii & Huetii lapsus.

Herrenhuttorum impietas.

§. 872. Nova & deterrima *Herrenhuttorum* secta (*r*) cantiones suas ecclesiasticas ea cum calliditate composuit, ut sub sanctissimorum nominum, & sententiarum, e scriptura sacra excerptarum, involucris, nefandas libidines, & passionum illicia celebrent, atque sectæ suæ, ad simplicis naturæ ductum accommodatæ, primævam innocentiam extollant.

Commentatio non sit justo vastior.

§. 873. Non liceat tamen commentatori philologico esse nimium quantum diffuso; prolixa enim *historiarum, apophthegmatum peregrino-*

(*o*) *Matthæi* 5. *vers.* 45.

(*p*) *Seneca Lib. III. de Benef. cap.* 25.

(*q*) *Seneca de consol. ad Helvidiam.*

(*r*) Herrenhutti *germanica compellatio latine sonat* pascua Domini. *Secta hæc in Silesia sedem fixit, atque a Præside suo comite* Sinzendorf *vastissime, etiam in Americam usque propagata est. Neophuti, veluti* Annanias *&* Sapphira Actor 4. *ad præsidum pedes suas opes advolvunt, nil imposterum nisi in commune habituri. Operæ cuivis distribuuntur, uti & vitæ necessaria; sorte omnia, etiam matrimonia fiunt* &c. *Vide* Bibl. Raif. Tom. XLVIII. *Id mirabile est, sectam hanc, bonorum suorum abnegatione adeo contrariam humanis cupiditatibus, asseclas obtinere potuisse. Sed, quid Fanatismus, & Enthusiasmus non possit, qui ferrum etiam & cruces pro deliciis amplexatur?*

grinorum, *geographicarum rerum* &c. de quibus auctor ne cogitavit quidem, odiosa consarcinatio auctoris mentem intercipit, aut saltem obnubilat, cum illustrare debuisset. Defectus judicii in ejuscemodi ubertate commentationis proditur, qui lectorum animos lacessit.

§. 874. Sed neque etiam eruditus commentator in argumenti illustratione novis ornamentis auctoris sui præstantiam attollat. Non pertinet ad commentandi officium auctoris eruditionem ampliare, neque etiam docere, quomodo doctius & sublimius in eo argumento versari licuisset, sed dilucidare duntaxat, quid auctor senserit, quid literis mandarit. Hunc in scopulum passim illi commentatores impingunt, qui ipsum auctorem antecellunt cognitionum præstantia, aut qui, nescio quo enthusiasmo, omnia antiqua ceu grandia & illustria intuentur. Eruditus *Josephus Scaliger* in horum reponi classe meretur; fultus enim egregio mentis acumine, & amplissima reconditæ antiquitatis cognitione, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, in quos commentatus est, vult ubique mira & insolita docere, aut ad rariora documenta alludere, quæ illis auctoribus nunquam in mentem venerunt; inde factum est, ut incitatus ille præclaris suis luminibus, plura in auctoribus correxerit, atque ad hunc suum fœcundum sensum traduxerit, quibus commentatorem abstinere opportuisset, atque ad solam auctoris sui vim ingenii, facultatesque componi. Certò a *Vossio* & *Baylio* hac de causa jure vapulat, & incusatur eruditioni suæ justo liberalius indulsisse, doctasque adspersisse auctoribus corruptelas; & quis credat, *Tibullum*, *Catullum*, *Propertium*, vel quemcunque antiquorum alterum, omne eruditionis genus, quod ipsi *Scaligero* orexim tantopere moverat, in se fuisse complexum.

Neque novis eruditionibus vacet.

Scaliger notatus.

§. 875. Qui ex ipsa verborum significatione, & orationis structura sensum fœcundat & explicat, dicitur *commentator exegeticus*. Quod commentandi munus sacris libris præcipue impenditur.

Commentator exegeticus.

§. 876. Duo adhucdum ad interpretandi institutum pertinent, nempe Paraphrasis & Analysis. *Paraphrasis* est oratio, quæ copiosius idem, quod auctor paucis expressit, eloquitur, nihil tamen ultra

Quid Paraphrasis & Analysis.

ultra mentem auctoris procedit. Ejuſcemodi Paraphraſtes fuit *Onkelos*, qui quinque libros Moyſis chaldaica Paraphraſi reddidit, quæ communiter *Thargum Onkelos* nominatur: uti & alter aliquis *Jonathas*, qui chaldaicam itidem paraphraſim in Prophetas adornavit, vulgo dictam *Thargum Jonathan* (*s*).

§. 878. *Analyſis*, ſeu reſolutio eſt operis alicujus in ſuas partes ordinata digeſtio. Sæpius auctores diſputationes, aut argumentationes ſtilo academico, & familiari ſermone retulerunt, ſuis tamen ratiocinandi regulis ſevere adſtrictas; quas deinde alii analyſtæ expoſuerunt in aperto ordine, & luce.

Hermeneutica practica multiplex. §. 879. *Hermeneutica practica* regulas generales theoreticas interpretandi peculiarium ſcientiarum auctoribus impendit. Hæc hermeneutica vel eſt *ſacra*, vel *profana*, vel *hiſtorica*, vel *philoſophica*, vel *juridica*, vel *diplomatica*, vel *aſtrologica*, vel *hieroglyphica*, vel *gentilitia*, vel *nummaria*, vel *chronologica*, vel *medica*, vel *emblematica*, vel *botanica*, vel *phyſiognomica*, vel *magica* &c. ſecundum notiones & terminos, cuique ſcientiæ peculiares.

CAPUT II.

De Arte Critica, Mendorum cauſis, & variantibus lectionibus.

Critica ars quid? §. 880. Critices nomine (*t*) intelligitur ea præclara ars, quæ profert regulas ad dijudicandum vera a falſis, recta a pravis in re literaria. Comes illa eſſe debet indivulſa cæterarum artium, & ſcientiarum, hæ quippe ſine illa nunquam

Thargum Onkelos & Jonathan. (*s*) *Neſcitur, qui auctores illi ambo* Onkelos *&* Jonathan *fuerint: nec etiam tempus, quo vixerint, eſt notum; exiſtimant quidam, eos ad tempus Chriſti eſſe referendos: quidam eos ætate S. Hieronymi faciunt juniores, propterea, quod hic eorum non meminerit, quos tamen utique, ſi extitiſſent, ob chaldaicæ verſionis ſubſidium, ſilentio non præteriiſſet. Videatur Critica ſacra* Richardi Simonii.

(*t*) *Dicitur Critica* ἀπὸ τοῦ κρίνειν *quod judicare ſignificat.*

quam ad perfectionem assurgent, erroribus oppressæ. Ignavum vulgus malevolas cavillationes & satyras molesto nomine *Criticam* appellat.

§. 881. In tres præcipue classes *Critica* dispescitur. *Prima* justam vocum intelligentiam persequitur, earumque constructionem, & refertur ad Grammaticam. *Secunda* errores & σφάλματα, quæ in libros irrepserunt, detegit, & emendat. *Tertia* vindicat germanos fœtus suis auctoribus, & ementitis atque suppositítiis scriptoribus detrahit larvam. De tertia hac Critices parte actum est superius *Lib. I. Parte II. cap. 5.* nunc *secundam* duntaxat *partem*, de causis mendorum, a quibus plerosque codices fuisse contaminatos, omnis literarum ætas quæritur (*u*), atque tandem de eorum emendatione agentem, qua licet paucissimis absolvam. *Partes Criticæ.*

§. 882. Neque profana duntaxat monumenta, sed & sacri utriusque Testamenti codices plura ejuscemodi menda, & σφάλματα subierunt (*x*), humana quippe opera per omnes hominum ætates sibi semper similis extitit, dumque olim codices illi describebantur, id ipsum, quod hodie passim, contigit, ut nempe aut ignorantia, aut neglectu, aut audacia scribarum labes quæpiam, & errores committerentur, qui deinde ex uno in alterum descriptum commigrarunt; divinæ tamen providentiæ acceptum referri debet, quod in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, & quorum duntaxat causa a Deo dati sunt, librorum puritas atque integritas usque hodie perstiterit. *Sacri codices mendosi.*

(*u*) *Cicero in epist. ad Quintum fratrem lib. 3. epist. scribit:* de latinis vero (*libris, quos sibi voluerat Quintus comparari*) quo me vertam nescio, ita mendose scribuntur, & veneunt.

(*x*) *Origenes commentar. in Matthæum pag. 381. ait:* πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορὰ, εἴτε ἀπὸ ῥᾳθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσει προστιθέντων ἢ ἀφαιρούντων. *Magna fuit exemplarium discrepantia, sive propter negligentiam quorundam librariorum, sive propter audaciam quorundam, male corrigentium, quæ scripta erant, sive etiam propter eos, qui in correctione, quæ sibi videntur addunt, aut detrahunt.*

Mendorum fontes.

§. 883. Sunt itaque quatuor præcipui mendorum fontes: 1mo *Vetustas*. 2do *Librarii*. 3tio *Critici*. 4to *Impostores*. Quorum singulorum argumenta proferre hujus est loci.

Menda ab antiquitate.

§. 884. Et quidem primo menda & lacunæ in codices ab ipsa vetustate inductæ fuerunt; eam enim sævitiem, qua sæculum edax monumenta, marmori atque æri incisa, demolitur & corrodit, etiam multo magis in chartas atque membranas exercuit. Certo qui in bibliothecis Manuscripta antiquissima perlustrant, morsus vetustatis intuentur, præsertim cum libri multo tempore aëris, humorum, tinearum aut usus injuriis patueruat, unde in multis locis enatæ sunt lacunæ & hiatus, quæ aut hodiedum perdurant, aut infelici centone sunt repletæ. *Aristotelis* & *Theophrasti* libri a Nelei hæredibus sub terram defossi, tandem longe post ab humore & blattis vitiati in lucem sunt extracti, ait *Strabo* (*y*). Legitur apud Ciceronem (*z*): *Nam civium Romanorum sanguis conjunctus existimandus est; quoniam id & salutis omnium ratio, & veritas omnium postulat.* Quis non itelligit, vocem *veritas* neque ad rem, neque ad sensum pertinere? ut omnino suspicari liceat, in vetusto exemplari tres primas literas fuisse exesas, & mansisse mutilam vocem *uritas*, quas subsequens censor male expressit per *veritas*, cum *securitas* substitui debuisset.

§. 885. Ejuscemodi lacuna in hebræo textu veteris testamenti colligitur (*a*): ויאמר קין אל-הבל אחיו: ויהי בהיותם בשדה ויקם קין אל-חבל אחיו ויהרגהו *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, & fuit in esse eos in agro, & surrexit Cain in Abel fratrem suum, & occidit eum.* Omnes aliæ versiones *Græca*, *Samaritana*, *latina* legunt: *& dixit Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur foras* (græce διέλθωμεν ἐις τὸ πεδίον) *cumque essent in agro, consurrexit* &c.; ex quo apparet in codices hebræos lacunam fuisse inductam, ut illud *exeamus in agrum* dispareret, neque scribarum aliquem ausum fuisse eam obducere reverentiæ causa. In novo testamento (*b*) docet

(*y*) *Lib. XVIII.*
(*z*) *in V contra Verrem.*

(*a*) *Genes. IV. v. 8.*
(*b*) *Mathæi I. v. 18.*

docet Evangelista *tres* esse progenitorum Christi *tessaradecades*, quarum primæ ultimus est *David*, secundæ *Jechonias*, & in tertia tessaradecade sunt tantum 13 nomina, etiam comprehenso Christo; qui defectus contra Evangelistæ promissum occurrens ortum videtur ducere ex lacuna exemplaris antiqui, quam sequentium ætatum librarii, notitia personarum destituti, reparare non potuerunt.

§. 886. At multo plura menda ab imperitis, & oscitantibus *librariis* illata sunt in codices omnis generis, quando ante inventam artem typographicam omnia dictata sunt, & descripta (*c*); Erant autem illi scribæ maximam partem rudis Minervæ, & egeni, qui operam ad lucellum traducentes, subsidia vitæ sibi inde procurarunt; hinc properanter, ut postularunt angustiæ domesticæ, egerunt, nihil de sinceritate solliciti, si modo exterior scripturæ venustas oculis blandiretur, qui communis est omnium mercenariorum scopus. Errarunt autem librarii illi præcipue. ***Menda a librariis inducta.***

§. 887. *Primo*, quod affines consimilesve voces, aut literas substituerint genuinis. Nuper quidam, incipiens lectionem divini officii: *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, cantavit *ab initio & ante sæcula croata sum*. Forte frequens de croatis cogitatio hanc corru- ***Permutatione vocum & literarum.***

(*c*) *Apud veteres monachos, cum plerique occupationibus domesticis detinerentur, plerumque juvenibus eorum demandata est provincia codicum describendorum, cujus anxium laborem, patientiam sedulitatemque alii experiri noluerunt.* Herimannus de Restaurat. S. Martini Sornacensis cap. 79. *ait:* scriptorum quoque copiam a Domino sibi datam exultabat, ita ut si claustrum ingredereris, videres plerumque 12 monachos juvenes, in cathedris sedentes, & super tabulas diligenter, & artificiose, & cum silentio scribentes. *Cui incommodo ut patres mederentur, cautum est in capitulo Aquisgranensi anno* 789: ut si opus esset Evangelium, aut Psalterium, aut Missale scribere, perfectæ ætatis homines scriberent cum diligentia. *Refert* Joannes Gerson de laud. scriptor. conf. 6. *veteres patres, lapsuum hujusmodi providos, veluti* S. Irenæum *&* Hieronymum *in fine suorum, operum, terribilem divini nominis obtestationem subjunxisse, ut scripta sua correcte transcriberentur. Gratiæ tamen haberi debent monachis, quorum cura, & custodia plurimi codices conservati fuerunt.* Fleury in discursu, præmisso Tom. XIII. Histor. Eccles. *ait: On gardoit dans les monasteres des livres de plusieurs siecles, & on en ecrivoit de nouveaux exemplaires, c'etoit un des occupations des moines; & il ne nous resteroit guéres de livres sans les bibliotheques des monasteres.*

corruptionem vocis oculo incurio ſuggeſſit. Idem & veteribus, qui dictaverunt, ſæpius accidit, præcipue cum ſcribis dictarent amuſis, dictantis lapſum non advertentibus. In *Plinio* legitur (*d*) *Viginti millia rerum, dignarum cura, ex exquiſitis auctoribus centum incluſimus triginta ſex voluminibus, abjectis rebus plurimis, quas aut ignoraverunt priores, aut poſtea invenerat vita.* Legi debet *adjectis rebus plurimis*, quas priores ignoraverunt, has enim incognitas illis abjicere non licuit. In Deuter. legitur (*e*): נפתלי שבע רצון ומלא ברכת יהוה ים ודרום ירשה *Nephthali ſatur voluntate, & plenus benedictione Domini, mare & meridiem poſſide.* At Nephthalitæ poſſederunt agros in plaga ſeptentrionali Chananææ, ideoque non deſunt, qui opinentur, olim fuiſſe in ſcriptura ים מרום *mare merom*, circa quod revera Nephthalitæ habitarunt, & deinde מ in וד converſo, perperam ſcriptum fuiſſe ים ודרום *mare & meridies.* Eadem ratione judicandum de illo Pſalmi: כארי ידי ורגלי *foderunt manus meas, & pedes meos*, græce ὤρυξαν; quod in Hebræorum codicibus legitur כארי ידי ורגלי *Sicut leo manus meæ, & pedes mei*, mutatione literæ ו in י, quæ duæ literæ frequenter invicem permutabantur. *Threnor. 2.* גדל כים שברך *Magna eſt veluti mare afflictio tua.* Septuaginta vertunt: *magnum eſt poculum* (ποτήριον) *afflictionis tuæ*, ex hæbræa voce כוס *poculum*, ם mutando in ס & י in ו.

Suppreſſione literarum. §. 888. *Secundo:* Quod quæpiam literæ abſorberentur dictantibus idioma peregrinum, ex quo deinde voces aliam ſignificationem ſuſceperunt. Itali, carentes aſpirationibus, pronunciant *ominis* pro *hominis*: in germanico geabte Stiffter pro gehabte Stiffter. Item *herba ſinaria* pro *herba aſinaria*: *ſal ignis conducit* pro *ſal lignis conducit.*

Omiſſione periodi interceptæ. §. 889. *Tertio*: Alias etiam dictantes omiſerunt periodum totam, quæ inter ſimiles voces continebatur, perplexi occurſu poſterioris vocis. Sic Jeremias (*f*): *Omnes amatores tui obliti ſunt tui, teque*

(*d*) *Lib. I. Hiſt.*
(*e*) *Deuter. Cap.* 33. *v.* 23.
(*f*) *Jerem. Cap.* 30. *v.* 14.

teque non quærent; plaga enim inimici percussi te, castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus; propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quem in locum S. *Hieronymus: quodque sequitur:* quid clamas super contritione tua &c. *in septuaginta non habetur; videlicet, quia secundo dicitur:* propter multitudinem &c. *& qui scribebant, ab initio additum putaverunt.*

§. 890. *Quarto* sæpius imperiti *glossemata*, in margine adscripta, intulerunt in seriem orationis, rati ea debere in textum inseri, quæ olim negligenter omissa, & tandem a peritiore aliquo conservata fuerint (*g*). Alii majore Zelo, & minore scientia præditi, glossemata illa, tanquam res clariores, expuncto sincero textui substituerunt. Merx hæc supposititia non agnoscitur, nisi codices cum sinceris, antiquioribus codicibus conferantur. Quod si duo codices aliquam lectionem varient, tum illa pro genuina habeatur, quæ obscurior est, & explicari indigeat, altera pro glossemate habeatur. *Glossematum intrusione.*

§. 891. *Quinto.* Quidam menda procuderunt inepta commatum interpositione; quod eo facilius fuit, quod quidam vetusti codices non distinguantur interpunctionibus, ut ex *Jani Gruteri* collectione *Inscriptionum antiquarum* docemur (*h*): alii puncta referunt *Comatum interpositione.*

(*g*) *Erasmus plurima exempla congessit in adnotationibus ad novum Testamentum. Plautus in Aulularia:*

I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Ut istuc, quod tu me oras, efficiam tibi,
Ut istuc, quod me oras, impetratum ab eo auferam.

efficiam tibi *videtur esse subtrusum.*

(*h*) *Angelus Politianus Miscellaneor. cap.* 14. *ait, volumen archetypum* Pandectarum *Justiniani Imp. in curia Florentina asservari, majoribus characteribus descriptum, sine ullis intervallorum signis. Idem cap.* 58. Sybillinos versus *sine ulla vocum distinctione fuisse consignatos. Sic etiam versioni sacræ scripturæ septuaginta interpretes nulla commata, nulla signacula interposuerunt, ut ait Flaminius Nobilius in præfat. Romanæ editioni præfixa; & Hieronymus primus fuit, qui sacros libros interpungere aggressus est. Joannes Morinus in Exercitat.* 17 *de hebræi, græcique textus sinceritate, ait, antiquos codices tam græcos, quam*

runt post singulas voces: alii post singulas periodos. *Galenus* hanc Hippocratis sententiam: οἱ ἐκστάντες ὀξέως ἐπιπυρέξαντες σὺν ἱδρῶτι φρενιτικοὶ γίνονται. *insanientes acute in febrim relapsi cum sudore phrenetici fiunt.* Dubiam & obscuram esse dicit ob commatum inconstantiam. *Ibis redibis non morieris in bello* &c. In græcis vocibus omissi accentus aliis significationibus, & erroribus occasionem dederunt: οὐ significat *non*, & οὗ *ubi* &c. Idem & causaverunt omissæ *parentheses* (*i*), *signa interrogationis*, *exclamationis* &c. Josephus respondet Pharaoni, non invenienti somniorum suorum interpretem: בלעדי אלהים יענה את שלם פרעה *Præter me respondebit Deus pacem Pharaoni* (*k*). Quæ responsio nihil ad institutum facere videtur; quod si vero adjiciatur interrogationis signum, tum responsio textui & claritati apprime convenit, quasi diceret: *an præter me veri Dei cultorem tibi hæc arcana revelabuntur?* quam interrogationis notam obliteratam, aut omissam cum septuaginta interpretes non subolerent, ut textui consulerent verterunt: ἄνευ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον φαραώ. *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni.* Ad quod tamen confugisse nulla urget ratio.

Literarum permutatione. §. 892. *Sexto.* Alia menda prodiverunt ex permutatione similium literarum. Hebræum ר simile est ד. Græcum Α & Δ. Latinum S & C pro eodem sumebantur. *Galenus* notat Οὐραὶ scriptum fuisse

quam latinos continua uncialium literarum serie sine interpunctionibus, & accentibus fuisse consignatos, seque plures ejuscemodi codices suis oculis inspexisse. Cicero lib. 3. de Oratore cap. 46. ait: clausulas atque interpuncta verborum animæ interclusio, atque angustiæ spiritus attulerunt. *Lipsius in præfat. ad Senecam dicit, interpunctionibus lucem confusæ sententiæ infundi. Tempore Hadriani Imperatoris Nicanor, Grammaticus Alexandrinus Homerum, aliosque auctores interpunctionibus distinxit; unde & nominatus fuit* στιγματίας interpunctator, *& ostendit, quantum exinde discrimen oriatur, ut est apud Suidam.*

(*i*) *Actor* 1. *v.* 19. *ait Petrus:* ὥστε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν Ἀκελδαμά, τουτέστι, χωρίον αἵματος: *quia dictus est ager ille propria illorum lingua Haceldama, id est, ager sanguinis. Ut quid hæc explicatio ejusdem per idem in eorum lingua? ideoque videtur S. Lucas, Auctor actuum Apostolorum hoc adjecisse, atque parenthesi inclusisse; quæ parenthesis tandem perierit.*

(*k*) *Genes.* 48. *v.* 16.

fuiſſe pro Θυραὶ. Romani elephantes, primum viſos, vocarunt *boves Lucas*, ſeu *Lucanas* (*l*); inde BOCLUCA pro BOSLUCA.

§. 893. *Septimo.* Innumeros errores peperit ignorantia orthographiæ. *Cicero* teſtatur (*m*), veteres latinos, cum nuſpiam adſpiratione uterentur, *pulcrum* ſcripſiſſe pro *pulchrum* &c. *Ennius* ſemper dixit *Purrum* pro *Pyrrhum* &c. ideoque *Cicero* ibidem notat: ſe uſum loquendi populo conceſſiſſe, ſcientiam ſibi reſervaſſe. Plures ejuſcemodi Metamorphoſes leguntur apud *Janum Gruterum* (*n*), *Fulvium Urſinum* (*o*) *Petrum Ciaconium* (*p*) &c. Huc quoque referri debet immutatio nominum propriorum, quæ in vulgata editione & originario textu hebræo occurrunt, veluti: *Balaam*, *Nabuchodonoſor*, *Ezechias*, *Maria*, *Samſon*, *Salomon* &c. quæ juxta hebræam originem a quibusdam leguntur: *Bileam*, *Nebucadnezar*, *Hiskia*, *Miriam*, *Schimſon*, *Schlomo* &c. cum enim tum hebraicus textus puncta, ſeu vocales non haberet, (891) eas græci interpretes pro lubitu affixerunt, quæ tandem & a latinis adoptatæ ſunt (*q*). *Ignoratione orthographiæ.*

Ccc 2 §. 894.

(*l*) *Cum Romani maximum, quem haberent, quadrupedem vocarent bovem, tum ubi in Lucania vidiſſent magnos elephantes, eos boves Lucas nominarunt.*

(*m*) *In Oratore cap.* 48.

(*n*) *In Inſcriptionum collect.*

(*o*) *In notis ad leges, & SC.*

(*p*) *In Interpretationibus vett. Inſcript.*

(*q*) *Orthographia vocum tum plerumque corrumpitur, cum in aliam linguam transferuntur, & accommodantur labiis exteris. Punica vox* Gadir (*ex qua* Gades, *nomen Ibericæ urbis fluxiſſe videtur*) *ſignificabat locum cinctum, & munitum, Slavis dicebatur* Grad; *hinc* Zarigrad, *Cæſaris civitas:* Novigrad *nova civitas:* Belgrad *alba civitas* &c. *Pomerani dicunt* Gard; *unde nomina ſuarum civitatum* Belgard, Stargard &c. *Poloni* Grod, *unde* Novogrod *nova civitas*, Grodek *parva civitas &c. Moſcovitæ* Gorod; *hinc* Bielogorod *alba civitas*, Waſilogorod *Baſilii civitas &c. Bohemi juxta dialectum ſuam aſpirantem* Hrad; *hinc* Welehrad *magna civitas*, Hradiſch *parva civitas &c. Styriæ civitas, quæ hodie* Petovium *dicitur, variis nominibus olim fuit compellata:* Poetovio, Petavio, Pitabio, Patavio &c.; *ſcriptores quidam imperiti ſæculo priore, cum* S. Victorinum *epiſcopum Petabionenſem, vel Pitabionenſem legerent in hiſtor. eccl. eum nihil anxii epiſcopum Pictavienſem in Galliis conſtituerunt, pro quo etiam publice habitus fuit; donec Launoyus Tom. II. parte I. pag. 634. emunctæ naris cenſor, temporum fabulam denudavit, & proſtratis imperitorum vindiciis, eundem ſanctum germanis ſuis indigenis Styro-Petovienſibus reſtituit.*

Male audiendo. §. 894. *Octavo.* Subrepsere & alia menda in codices, dum scribæ alio intenti, aut perperam audiverunt, aut data opera voces synonimas substituerunt, aut demum, cum sententia prolixior tædium ingereret, eam in compendium redegerunt. *Clericus* ex antiquorum monumentis plura ejuscemodi specimina profert (*r*).

Abbreviationum usu. §. 895. *Nono.* Denique scribæ, variis pro suo quisque delectu abbreviationibus utentes, aliis imperitis errores obtruserunt. *Montfaucon* (*s*) plurimas ejuscemodi abbreviationes, veteribus usitatas, congerit, veluti Ιλημ pro Ἱερουσαλήμ, δαδ pro δαβιδ, Ιαβ pro Ιακωβ &c.; unde natum fuisse videtur σφάλμα Actor. 7. vers. 16. ubi dicitur *Abraham emisse sepulchrum a filiis Hemmor*, cum tamen *Genes.* 33. v. 19. dicatur Jacob illud emisse; utique ex eo lapsu, quod quidam abbreviationem IAB, deleta prima litera, pro initio vocis *Abraham* usurparent. Majora menda prodierunt, dum scribæ literis uterentur pro numeris more orientalium populorum, atque in translatione alicujus codicis literis exteris suas, alium numerum valentes, substituerunt, unde maximum chaos in Chronologiam sæpe inductum fuit, cujus insigne argumentum extat in celebri illo discrimine annorum Patriarcharum veterum; chronologia quippe hebræi textus originalis maxime abludit a Canonica Interpretatione græcorum septuaginta interpretum (*t*). *Justinianus Imp.* sedulo ejusmodi abbreviationum errores præcavit (*u*). Atque ex his allatis veterum scribarum culpis facile reliquæ intelligi poterunt.

Menda a criticis invecta. §. 896. Nunc ad errores, quos ipsi critici in libros induxerunt, provehitur oratio. Pudendum utique, & indignum venia videtur, eos

(*r*) *Art. Critic. Part. III. Sect.* 1. *cap.* 8.

(*s*) *In Bibliographia græca.*

(*t*) *Anni Patriarcharum antediluvianorum numerantur in hebræo & vulgata* 1656; *in græco* 2242. *Post diluvium usque ad Abrahamum in hebræo & vulgata* 292; *in græco* 1171. *adeoque differentia est* 1465 *annorum; sed quæstiones chronologicæ non pertinent ad fidem & bonos mores.*

(*u*) *Ne autem per scripturam imposterum fiat aliqua dubitatio, jubemus non per siglorum captiones, & compendiosa ænigmata, quæ multas per se, & per suum vitium antinomias induxerunt, ejusdem codicis textum conscribi, etiamsi numerus librorum significatur, aut aliud quidquam; nec enim per specialia sigla numerorum manifestari, sed per literarum consequentiam explanari concedimus.* Præfat. Digest. §. 13.

eos degeneraſſe in mendorum architectos, qui ob ſtudium, ad illos deſtruendos ſuſceptum, honorificam *criticorum* compellationem ſunt aſſecuti. Quod ſi tamen expendimus miſeram & exulceratam codicum depravatorum conditionem, & patientiam, atque Herculeam operam primorum criticorum, qui vitioſa exemplaria, in peregrino plerumque idiomate deſcripta, cum nulla jam eſſet genuinam auctorum mentem explorandi ratio, repurgare nihilominus ſuſceperunt, poſt maximam temporum, & morum revolutionem; hæc, inquam, omnia ſi æquius attendimus, non erit, quod tantopere eorum aut imperitiæ, aut audaciæ indignemur. Difficultas negocii imperitiam quodammodo excuſare debet, & temeritatem incredibilis perturbatio. Si qua clariore luce & Critices, & antiquorum codicum hodie perſruimur, illis eam utique debemus, qui, hoc ut auro potiremur, in fodinis miſeri contabuerunt. Ideoque ſi quis vellet merita primorum criticorum definire ex hodierna provectæ Critices facilitate, & noſtro, qui ſedulitate veterum fruimur, otio; næ! ille non modo injurius foret beneficis hominibus, ſed etiam ignorare ſe fateretur, quo loco vindicati plerique codices hodie ſint, quo fuerint olim. Et amabo! ſi primi agriculturæ auctores afficiuntur divinis honoribus, utut ipſa agricultura hodie abjectis ruſticis nullam peculiarem confert prærogativam; cur auctores primi critici, dum hodie poſt obtentum emendatorum codicum finem ſtudii totius dignitas veluti elanguit, meritorum ſuorum gratiis privarentur?

§. 897. Errarunt autem boni illi critici aut *omittendo*, aut *ſupplendo*, quod locus ipſe, & frequens corrigendi conſuetudo urgebat, voces, verſus, & ſtrophas integras, ut *Hieronymus* teſtatur (*x*); qui errores deinde collatione cum emendatis codicibus tolli debebant. Alii grammaticas cenſuras liberius intulerunt; ſic *Ciceronis* locum: *hanc ſibi rem ſperant præſidio futurum* (*y*), quidam male correxit, ponendo *futuram;* cum tamen illud mendum non ſit, & *Aul. Gellius* in antiquiſſimo codice legerit *futurum* (*z*). In altero *Ciceronis* loco: *quum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam, ac ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis* (*a*) quidam inperite *Omiſſione aut ſuppletione.*

Ccc 3

(*x*) *Commentar. in cap.* 3. *Math.*
(*y*) *Orat. V. in Verrem.*
(*z*) *Noct. Attic. cap.* 7.
(*a*) *In Orat. pro Lege Manil.*

rite ſubſtituit *poteſtate* &c. qui errores, ut dictum eſt, inſpectione emendatorum codicum eliminari debent.

Menda ab impoſtoribus. §. 898. Jam ad impoſtorum menda deveniemus. Intelligitur autem *impoſtorum* nomine illud falſariorum genus, quod malo, aut inepto Zelo incitatum, lacinias auctoribus aſſuit, ut nempe in iisdem cauſæ ſuæ reponat patrocinium. Nonnunquam patriæ, aut familiæ ſtudium ejuſcemodi corruptelarum ſuppeditavit anſam; frequenter odium exterorum, ſæpiſſime religionis delectus. Hæretici quidam, quorum perverſam doctrinam orthodoxi convellebant funditus teſtimonio ſacrarum literarum, ut his ſe anguſtiis ſubducerent, & magis converterent tela in ipſos orthodoxos, impie ſacros codices interpolarunt. Alii bene mereri de orthodoxa religione, illiusque veritates attollere præpoſtere volentes, indiderunt fictiones ſacris monumentis; quod non tam Zelus, quam impietas dici debet, & plus obeſt, quam prosit religioni; nam cum hæreticis tandem innotuit, orthodoxos hujusmodi dolis vacare, aperte eos falſi coarguerunt, & nulla cæteroquin fide dignos pronunciarunt; quin imo majori hodie conſtat labore, pias illas fraudes, quam apertas calumnias ex veterum monumentis reſecuiſſe. Libet unius alteriusve ſpecimen proferre. *Origenes* ait Joſephum Flavium in ſua hiſtoria hæc habere: *ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ᾽ ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου χριστοῦ. ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν* (*b*). *Hæc autem contigerunt Judæis in ultionem Jacobi Juſti, qui erat frater Jeſu, dicti Chriſti; quoniam eum, cum juſtiſſimus eſſet, Judæi interfecerunt.* Idem refert *Euſebius* (*c*) & *Hieronymus* (*d*); qui tamen locus in Joſephi exemplaribus hodie non extat: unde viri quidam docti ſuſpicati ſunt (*e*), *Joſephum* fuiſſe Judæorum malitia mutilatum. Verumtamen quomodo Judæis integrum fuiſſet, omnia Joſephi exemplaria mutilare, præſertim cum jam inter Chriſtianorum manus tot codices haberentur? ideoque vero ſimilius eſt: *Origenem* incidiſſe in codicem pii cujusdam falſarii, quem deinde & *Euſebius* & *Hieronymus*,

(*b*) *In caput* 13. *Matth.*

(*c*) *Hiſt. Eccl. lib.* 2. *cap.* 23.

(*d*) *In catalogo ſcriptor. Eccleſiaſt.*

(*e*) *Daniel Huetius demonſtrat. Evangel. Prop.* 3. *§.* 10.

nymus, ne inſpecto quidem alio exemplari, fuerint ſecuti; & quis ſibi perſuadeat, Joſephum, hominem Judæum, toto pectore a Chriſtianis ſacris abhorrentem, tam inſigne encomium texuiſſe Chriſti diſcipulo, & refudiſſe excidium Urbis Jeroſolymæ in necem, Jacobo iniquiſſime illatam? nunquid ſi hac mente fuiſſet comparatus, magis attribuiſſet hanc everſionem cædi Chriſti magiſtri? cujus tamen ne quidem meminit. Alibi (*f*) reperitur: *περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, καὶ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν οὐδὲ ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατήρ μου μόνος. De die illa, & bora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, neque filius, ſed Pater meus ſolus.* Ita etiam legit *Chryſoſtomus;* at alii codices non habent οὐδὲ ὁ υἱὸς, & videtur hoc ab Arianis eſſe ſubintruſum, ut oſtenderent, filium non eſſe ejuſdem cum patre naturæ &c.

§. 899. Dari *variantes lectiones* non tantum in verſionibus præcipuis ſcripturæ, ſed etiam in ipſo originali textu hebræo veteris, & græco novi Teſtamenti, fatentur omnes ſcripturarum periti, ipſi etiam Hebræorum doctores *Maſoretha*, qui eas in veteris Teſtamenti ſcripturis occurrentes, diligenter adnotarunt (*g*). Hæ variantes lectiones librorum ſacrorum auctoritatem nullatenus labefactant; in rebus quippe omnibus, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, omnes codices conveniunt; hæc enim doctrina non hic & illic ſparſim per ſcripturam traditur, ſed ut ſanguis per venas, & arterias ubique traducitur per totum corpus, ita quoque & illa per totam ſcripturæ compagem late diſtribuitur; adeoque lectio varians, in uno alterove loco occurrens, veritatem dogmatum, ubique diffuſorum, perdere non poterit, niſi tota ſcriptura ſacra corrumperetur, quam *Variantes lectiones.*

(*f*) *Matthæi 24. v. 36.*

(*g*) *Maſorethæ dicuntur a voce* מסר tradere, *unde &* Maſora, *&* Maſorethæ, *qui traditam a majoribus doctrinam veluti de manu in manum transmiſerunt. Hi, ut ſcriptura ab omni errore, & corruptione immunis cuſtodiretur, omnes cujusque libri literas, voces & verſus conſignarunt, & variantes lectiones, a variis anteceſſoribus agnitas, in margine adnotarunt per duas haſce voces* קרי *(ſcribitur etiam abbreviata* 'ק) *quæ* lectum, *&* כתיב *quæ* ſcriptum *ſignificat. Per primam notam* keri *ſignificabant vocem, in margine adſcriptam, eſſe legendam pro ea, quæ eſt in textu; & per alteram* Kethib *intelligitur vox in textu, cui ſubſtitui debeat vox in margine adſcripta, ut tamen puncta vocis, in textu poſitæ, retineantur.*

quam tamen ſpeciali Dei privilegio corruptam non eſſe, variantes lectiones manifeſtant. In rebus, ad fidem non pertinentibus, veluti Chronologicis, minus officiunt, quin imo ſæpius manuducunt ad conciliandas antilogias apparentes in ſcripturis. *Paralip. Lib. 2. Cap. 22. v. 2.* dicitur Ochozias Rex Juda fuiſſe 42 annorum, cum regnare cæpit; *& Regum Lib. 2. cap. 22. v. 8.* dicitur idem rex tum habuiſſe annos 22. Varians lectio totam hanc antilogiam in ſe recipit, & indicat, errorem in Paralipomenis ſcribæ cujusdam incuria eſſe admiſſum.

Quæ varians lectio præferenda? §. 900. Inter variantes lectiones ejusdem loci illa præferri debet cæteris, quæ cum antecedentibus & conſequentibus, & cum parallelis locis conſentit, cum bonæ notæ codicibus in idem recidit, atque antiquiorum Eccleſiæ Patrum confirmatione munitur. Quæ omnia ad ſequentes canones reducuntur.

Primus Canon. §. 901. Primus: *Variantes lectiones, quæ ex antiquioribus codicibus eruuntur, cæteris paribus præferri debent illis, quæ colliguntur ex recentioribus.* Veritas enim, ait *Waltonus* (*h*), eſt antiquior errore. Quo codices antiquiores, & auctoribus ſuis propiores ſunt, eo rarius & minus cenſentur deſcriptionum viciſſitudines incurriſſe.

Secundus. §. 902. Secundus: *Si varians lectio congruit pluribus, & melioris notæ codicibus, ea utique potior erit illis aliis, quæ paucioribus, & minoris notæ codicibus conformantur.* Tunc enim licebit illud *Tertulliani* (*i*) uſurpare: *Quod apud multos unum reperitur, non eſt erratum, ſed traditum.*

Tertius. §. 903. Tertius: *Quæ varians lectio cæteris paribus ſenſum clariorem, magisque cohærentem inducit, anteponenda eſt lectionibus aliis ejusdem auctoritatis.* Primi quippe auctores cenſentur mentem ſuam quam optime expoſuiſſe. Quod ſi varians quæpiam lectio, attentis his canonibus, cæteris æquivaleat, tum utramlibet eorum licebit deligere.

§. 904.

(*h*) *Præfat. ad Bibl. Polyglotta.* (*i*) *De Præſcript.*

§. 904. Variantes lectiones igitur, e scribarum aut imperitia, aut incuria plerumque enatæ, ex antiquis, receptisque codicibus, aut etiam antiquis versionibus desumi debent; si enim antiqua celebris conversio in aliam linguam locum quempiam aliter refert, ac in originali habetur, utique argumentum est, jam ante illam conversionem fuisse originalis textus lectionem variantem, quem ille celeber interpres amplexatus sit (*k*). Ex mera tamen conjectura, aut licentia hodie procudere novas variantes lectiones vetitum est (*l*); ita quippe porta late panderetur ingeniis luxuriantibus depravandi scripturam; & in quemvis sensum convertendi. Notatu digna est illa *Guilielmii* sententia (*m*): *ego vero sic censeo, in editione auctorum summa religione cavendum, ne supponatur antiquæ & receptæ lectioni commentitia, & nostra. Tanaquillus Faber*, criticus cæteroquin emunctæ naris, vel ob id solum a cordatis viris vapulat, quod emendationes codicum deprompserit ex ingenio suo. Idem & tentavit magnus Jurisconsultus *Jacobus Gothofredus* (*n*). *Unde desumantur variantes lectiones.*

§. 905. Jam vero libet *Critices* historiam, variamque illius fortunam paucis verbis commemorare; & originem illius quidem quod attinet, videtur ea in ultimas ætates ad initium cujusque scripturæ, seu hieroglyphicæ, seu literalis esse referenda; semper quippe homines, quademumcunque ratione scribentes, erroribus, varia animi passione, aut ignorantia natis, obnoxii fuerunt, quos deinde alii sagaciores corrigerent. *Aristotelis* ætate critices studium conspicua in luce fuit; Alexander quippe, ut ait *Plutarchus* (*o*), cum *Iliadem Homeri* *Historia Critices.*

(*k*) *Arati phænomena, quæ hodie extant, variant ab iis, quæ Cicero olim juvenis in latinum transtulit. Exod.* 21. *v.* 8. *dicitur de serva* אשר לא יעדה *qui non desponsavit eam; sed septuaginta græce, & Hieronymus latine verterunt: quæ sibi desponsata fuerat; quippe in eorum codice videtur* לו *pro* לא *positum fuisse.*

(*l*) *Quia* κάμηλος *significat & camelum animal, & funem nauticum, aliquis textum Matth.* 19. *v.* 24. εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν. *facilius est camelum per foramen acus transire; vertit: facilius est funem nauticum per acus foramen transire.*

(*m*) *In Plautinis quæstionibus.*

(*n*) *Sola conjectura ductus* 1. *Coryuth.* 11. *v.* 10. *pro* ἐξουσίαν *posuit* ἐξυβίαν *tegmen capitis.*

(*o*) *In vita illius.*

Homeri ſuſpiceret, ceu viaticum bellicæ virtutis, illam, ab Ariſtotele prius emendatam, ſecum deferre ſtatuit, gentibus bella illaturus. Sed & ante Ariſtotelem præclaros extitiſſe criticos, evincit *Clericus*.

Ariſtarchus criticus. §. 906. Centum annis ante Chriſtum natum vixit *Ariſtarchus* Samoſatenus, criticorum, ſi quis alter, celeberrimus, qui libros novem adornavit pro emendatione *Iliadis* & *Odyſſeæ*. Ab eo deinde alii ſeveri librorum cenſores dicti ſunt *Ariſtarchi*. Sed & hic rurſum aliorum virgulam perſenſit; refert quippe *Alatius* (*p*), *Ptolomæum* Samoſatenum complures confixiſſe Ariſtarchi errores. Lynceos veterum Hebræorum criticos *Maſorethas* ſupra (899) indicavi. Neque etiam defuere ſui priſcis Romanis præclari critici: *Cicero*, *Valerius Probus*, qui tempore Hadriani Imp. repurgavit quam plurimos codices, ut *Suetonius* teſtatur (*q*). Ut proinde bene cenſeatur Critica ipſam cæteræ eruditionis ætatem egiſſe, quandoque florentius quandoque remiſſius.

Criticæ interitus. §. 907. Tandem chriſtiano ſæculo V, VI. & ſubſequentibus, cum barbari ſuis e latebris excurrentes peſſumeunte Occidentis imperio, celebres provincias permiſcerent horrore & prædationibus, optimæ omnes diſciplinæ, & *Critica* comprimis in ſummum diſcrimen adductæ ſunt; quando nempe præſtantium auctorum ſcripta fuerunt prortita, & bibliothecæ mirificæ, incendiis involutæ, periverunt, ipſique etiam homines perpetuis exagitati bellis animum ſuum penitus avocaverunt a ſtudiis, & lectitatione claſſicorum auctorum, ſi paucos quoſpiam viros Eccleſiaſticos, & monachos excipias, hosque ipſos rudem ſatis & incultam Minervam ſecutos, utut cæteroquin in religionis negocio avitæ patrum traditioni fideliter inhæſerint. Certò Papa *Agatho* in epiſtola, ad patres ſexti concilii generalis data Ao. 687, quam *Harduinus* refert (*r*), id abunde confirmat; *mittere quippe ſe*, ait, *legatos, non ab eruditione, & optimarum artium ſtudiis commendatos, unde enim hominibus, in medio barbarorum miſere collocatis, & quotidiano labore manuum famem mortemque*

(*p*) *Ex Suida in vita Homeri.*
(*q*) *De Illuſtribus Grammaticis.*
(*r*) *Tom. III. Concil pag.* 1075.

temque propulsantibus, eam sibi obtinere licuisset? qui tamen rara cordis simplicitate, & candore, religionem, a patribus traditam custodiant &c. *Gregorius* Turonensis, septimi sæculi scriptor, dum ingenue confitetur suam in literis politioribus imperitiam, rem, suppressa etiam propria confessione, omnium eruditorum oculis patentem, ne suboluit quidem culpam suam alteram, omni stili barbarie deteriorem: quod omni critica destitutus inconcinne digesserit historiam, sine judicio, sine delectu consarcinatam, rebusque etiam ludicris, ac fabulis intertextam: verbosius quandoque extulerit inanes eventus: aliorum rursus dignitatem suppresserit parcitate: credulus ubique præter modum, & mirabilium amator.

§. 908. Et revera Grammatices, puriorisque stili incuria pessimas consecutiones traxit; si enim inter loquendi, & cogitandi rationem mirifica & perpetua est conspiratio (§. 743), facile fuit hominibus, barbara & Solœca loquentibus, ad confusas, & alienas a vero ideas delabi, quarum tandem fallaciarum consuetudine pededentim labefactati, claritatem nec perciperent, nec æstimarent, quin imo, ut passim ad pejora devolvimur, etiam fabulas, & vulgaria commenta pro sinceris eventibus haberent. Ecce! quam sublesta tanti literarum lapsus initia. Sed neglectus, & conculcatio veterum auctorum hanc & *Grammatices*, & tersi sermonis, & *Logices*, & *Historiæ*, & *Physices* aliarumque disciplinarum, quarum methodum & præstantiam antiqui tradiderunt (618), deformitatem invexit, & *Critices* comprimis, cujus lumina ad recte de rebus judicandum, ad reprobandum, quidquid spurium, aut ineptum est, ex unita cognitione aliarum facultatum tanquam nobilior succus exprimuntur. Quid mirum deinde sit, quod obscuris illis sæculis vix ullus animum appulerit ad scribendum, aut si pauci quidam e multis appulerunt, eorum scripta *barbarie*, *anili credulitate*, *ineptiis*, *superstitionibus*, *Astrologia judiciaria*, *subtrusis revelationibus*, *& apparitionibus* late scateant (*s*); ut prætercam consecrationem, & nundinas *miraculorum*, in illius temporis socordia adeo celebres, quæ tamen *Apostolus* (*t*), ne inconsulta miraculorum affirmatione falsum testimonium

Grammatica neglecta lapsum dedit aliis disciplinis.

 addu-

(*s*) *Vide discursum præmissum Tom. XIII. Histor. Eccl. Fleury num. VI.*

(*t*) 1 *Corynth.* 15. *v.* 15.

adducatur contra Deum ipſum, ſevere exigi jubet ad rationis & religionis leges.

Mala educatio Criticæ adverſatur.

§. 909. Hiſce miſerabilibus & temporum & hominum fatis nimium quantum contaminata omnis educatio juventutis, homines etiam præſtanti ingenio a natura donatos præcipitavit in hanc ſæculi corruptelam, & proletarias ſordes. *Beda*, *Alcuinus Flaccus*, *Hincmarus* &c. omne volentes complecti eruditionis genus, in nullo ſapuerunt.

Critices imperitia homines excæcat.

§. 910. Hæreticis illæ tenebræ Critices fuerunt peridoneæ ad ſubtrudendum ſpurias ſuas merces. Sed & Catholicis inde patuit occaſio exercendi præpoſterum Zelum, veritati, & hujus cauſa etiam religioni ſemper adverſantem. In feſtis & translationibus ſanctorum, quæ nono ſæculo erant frequentiſſimæ, cum acta illius ſancti, ad concionem publicam proferenda non ſuppeterent, ſubito procuderunt nova, ſimillima equidem rumori publico, &, ut populi indoles, ac pietas nutriretur, etiam quam mirabiliſſima (*u*). Nemo patentes ſuppoſitionis notas vidit ſæculo nono in illa celebri *donatione Conſtantini*. *Hincmarus* ipſe, cæteris perſpicacior, non advertit ſpuriam labem in *Decretalibus epiſtolis* ſummorum Pontificum, quatuor primorum ſæculorum, quamvis illæ palam inveherent novam diſciplinam, primis illis temporibus inuſitatam, & medii etiam ævi conſuetudines inclinantem (*x*). Minus cognoverunt rudiores Vandali *Symbolum*, a *Vigilio* Tapſenſi, ut ipſe confitetur, ſubtruſum ſub *Athanaſii* nomine, ut nempe arianas aures proniores in ſuam doctrinam redderet &c.

§. 911.

(*u*) *Vide Fleury ibidem.*

(*x*) *Inſigne veſtigium mutatæ diſciplinæ veteris recurrit in eo, quod cum primis Eccleſiæ ſæculis auſtera pænitentia imponeretur peccatoribus* (Vide Gregorii III. epiſt. 2. ad Leonem Imp. præfixam Concilio Nicæno II. apud Harduinum Tom. 4. pag. 11.) *in diaconias, & alia pia Eccleſiæ loca recluſis; ſæculo ſeptimo omnis illa pænitentiæ auſteritas commutata ſis in pergrinationes Romam, Hieroſolymam &c.; genius ſæculi, otiis & venationibus aſſuetus multum etiam contribuit. Atque ita derelictis officiis epiſcopi, monachi, laici indecoras circumvagationes pro pietate habuerunt.*

§. 911. Nec multo digniore loco *Critices* peritia in Oriente fuit; testantur id tot opera, quæ S. *Clementi*, *Ignatio Antiocheno*, *Chrysostomo*, & præsertim *Dionysio Areopagitæ* falso adscripta fuere; de quibus videndus est *Caveus* de scriptoribus Eccl: *Etiam in Oriente exulat Critica.*

§. 912. Sæculo nono quamvis *Carolus* M. egregie conatus sit excutere squalorem literarum, *Critica* tamen parum incrementi tum cœpit, propterea quod aliarum prius disciplinarum instauratio, cui rude sæculum subito non fuit par, ad illius obtinenda lumina requireretur; donec tandem sæculo XIV, & XV. stabilior pax, qua sola Musæ nutriuntur, sedatos hominum animos ad jucundiora otia traduxisset; tum quippe correctarum linguarum amor, & hujus occasione antiquitatis studium, monumentorumque veterum perquisitio, atque curiositas succrevit. Eruta tum sunt e tenebris multa præclara exemplaria (y), aut magno pretio redempta, & novus legendi amor helucum seu veternum jacenti sæculo tandem eripuit. *Pax tandem Criticam reduxit.*

§. 913. Porro quæ lecta fuerunt ab attentis hominibus, ea in discursum adducebantur: discursus dubia, & antilogias prodidit: inde lites: inde appellatum est ad ipsas veterum monumentorum tabulas. Quod si exemplaria pugnarent invicem, sollicite inquisitum: quodnam eorum *genuinum?* quod *mendis infectum*, aut *interpolatum? an sincerus illius auctoris fœtus sit, cujus fert nomen? an illius temporis stilum referat? an mores? an indolem, illa ætate obtinentem? an coætanei illius meminerint?* &c. Vide Libri I. Part. II. Cap. 5. *Lectio auctorum fructuosa.*

§. 914. Ipsi detecti errores in quibusdam codicibus tandem retinuerunt homines a prono assensu, & nimia credulitate. *Grammatica* fidele auxilium præbuit: *Logica* justo ratiocinio difficultates dispulit, cæteræ disciplinæ instauratæ faces præluxerunt, ut *Critica* tandem suis e cineribus rediviva, clariori, quam unquam alias, luce frui cœperit in præstantissimis sæculi XIV, XV. & præsertim XVI. & XVII. hominibus, quorum immortales labores obsoletam litera- *Critices summa elevatio.*

Ddd 3 rum

(y) *Anno* 1137 *cum Lotharius Imperator bello premeret Apuliam, casu ibidem inventum est latinum exemplar Pandectarum Justiniani Imp. antiquitate & injuriis prope exesum, quod Lotharius opera Irnerii JCti repurgatum atque restitutum in universitatibus publice prælegi jussit.*

rum antiquitatem, ad nativum candorem revocatam, feræ posteritati transmiserunt. Horum nomina, in omni disciplinarum genere conspicua, legesis in *Morerio*, *Possevino*, *Caveo*, *Bailleto*, *Baylio* &c. Et hæc de historia Critices dicenda erant.

CAPUT III.

De Cabala, ejusdemque inanitate.

Cabala quid? §. 915. Cabala Hebræis idem sonat, quod *receptio* (z), & communiter usurpatur pro *traditione;* dividunt quippe legem in *scriptam*, & a majoribus *traditam*. Hanc traditam rursum trifariam dividunt: *Prima* consistit in mystico sensu, & arcana interpretatione sacræ scripturæ, quam veteres Patriarchæ elicuerint (a). *Secunda* vi arcani sensus scripturæ elicit mirabilia, veluti *somnia interpretari: curare morbos: Angelis, dæmonibus, soli & astris dominari: subvertere urbes: terræ motus excitare: placare tempestates* &c. *Tertia* Arcanos scripturæ sensus scrutatur varia combinatione, immutatione vel transpositione literarum. Hoc tertium *Cabalæ* genus rursus in tres partes dispescitur. Prima vocatur *Gamatria;* altera *Notaricon:* tertia *Themura.*

Gamatria. §. 916. *Gamatria* (b) est Arithmetica supputatio literarum, &, ut mysterium eliciatur, aliarum literarum pro eodem numero substitutio

(z) a קבל *recepit. Tradunt judæi in Libro Jetziræ: Adamo post peccatum, in quampiam consolationem, ab Angelo Raziele mysteria tradita fuisse, quando promissum accepit venturi Messiæ in nomine Tetragrammato. Inter Christianos ante* Picum Mirandulanum *ne audita quidem fuit vox Cabala; & cum primum increbuit, putarunt plerique, quod Hottingerus refert, Cabalæ nomine significari sagam veneficam, aut hæreticum atrocem, Christi doctrinæ adversantem.* Picum *secuti mox sunt* Joannes Reuchlinus, Paulus Riccius *medicus Maximiliani Imp. & alii Theosophi Cabalistæ.*

(a) *Lib.* 4. *Esdræ cap.* 14. *v.* 3. revelatus sum, & locutus sum Moysi, & memoravi ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem, & præcepi ei dicens: hæc in palam facies verba, & hæc abscondes. *Liber hic non quidem est canonicus, attamen antiquissimus.*

(b) *Dicitur sic a Geometria.*

ſtitutio (*c*). Sic loco בראשית ברא *In principio creavit* ſubſtituunt æquivalentes literas בראש השנה נברא *In principio anni creatus eſt*. Pro יבא שלה *Veniet ſchilo* legunt משיח *Meſſias*. Pro vocibus אלהי נכר *Deus alienus* legunt blaspheme ישו *Jeſu* noſtrum redemptorem &c.

§. 917. *Notaricon* compendio efformat voces, ut quælibet litera *Notari-*
vocem ſignificet. Sic vox מכבי *Macbabæi* deſumpta eſt ex initialibus *con.*
literis מי כמוך באלהים יהוה *Quis ſicut tu inter Deos Domine? Exod. 15. v. 11.* Huc referunt varia ænigmata, & captiunculas (*d*).

§. 918. *Themura* novum alphabetum conſtituit ea ratione, ut *Themu-*
pro prima litera aſſumat ultimam, pro ſecunda penultimam &c. & *ra.*
viciſſim, donec literæ ante, & retro euntes conveniant. Hoc artificio volunt *Jeremiam* Cap. 25. uſurpaſſe *Seſach* pro *Babel* &c. *Apoſtolus Paulus* videtur etiam aliquando hunc anagrammatiſmum adhibuiſſe, cum dicit: *omnis eſt inter regnum & mortem*, quod patebit vocem מלכות *regnum* examinanti. Triplicis hujus *cabalæ* ſtudium lippientes Judæi in ſcripturis unice perſequuntur, adeo ut *Elias* Levita in *Thisbi* eam etiam *ſcientiam ſanctorum*, vulgo, & exteris occultandam, audeat appellare.

§. 819.

(*c*) Hic eſt valor arithmeticus literarum:

10	9	8	7	6	5	4	3	2	1
י	ט	ח	ז	ו	ה	ד	ג	ב	א
100	90	80	70	60	50	40	30	20	
ק	צ	פ	ע	ס	נ	מ	ל	כ	
						400	300	200	
						ת	ש	ר	

Quinque literæ finales

900	800	700	600	500
ם	ן	ף	ץ	ך

(*d*) *Sic ludunt, mem clauſum & apertum duas eſſe ſorores, & quærunt ſpurco ænigmate: ubinam in ſcriptura reperiatur, quod Noëmus has inter duas ſorores recubuerit? hebraice doctus intelliget.*

שתי אחיות הן
אחת בעולה
ואחת בתולה
נח מצא חן
וישקב בין שתיהן

Eſt ultimus verſus cap. 6. Geneſeos.

Cabala tradit res humanas, nihil divinum.

§. 919. Non eo inficias, pios quospiam ſenſus poſſe ex verbis, & literis S. ſcripturæ elici: ſæpe etiam interpretes profanam eruditionem ſacris eloquiis laudabiliter ac modeſte adſpergunt; verumtamen ejusmodi explicationes, & applicationes ſemper manent humanum opus, neque unquam ad dignitatem divini verbi poſſunt aſſurgere; adeoque nihil ſperetur ex illis humano majus. Nunquid, qui linguæ cujusdam bene peritus eſt, facile poterit voces in varia *anagrammata*, & *metamorphoſes*, etiam oppoſitas, diſſolvere; an igitur arti, in utramvis partem pro indolis fertilitate volubili, & fallaci, liceat arcanam divinamque virtutem attribuere? Senſus divinorum eloquiorum certus, & invariabilis eſt: voces autem & literæ ſunt ex hominum arbitrio conſtitutæ: an igitur quispiam tam demens eſſe poſſit, ut ex fortuita hominum inventione divinorum eloquiorum vim dignitatemque eruendam putet? Certo *Kircherum* (*e*), cabalam eximie deprædicantem, *Parkerus* episcopus Oxonienſis nuper verbis male accepit, & miratus eſt, quomodo homo prudens artem, rabbinorum deliriis enatam, & nugaciſſimam tam impenſe voluerit perſequi, atque aliorum ſtudiis commendare?

Pythagorea.

§. 920. Alia eſt cabala *Pythagorea*, quæ in latinarum aut græcarum literarum valore atque permutatione verſatur, eſtque ejusdem furfuris cum hebræa.

Cabalæ vulgaris confutatio.

§. 921. Aliæ præterea ſunt *cabalæ*, quæ ex *Aſtrologia*, & *domibus cæleſtibus*, aut ex *Arithmeticæ* operationibus arcana eruere, & prognoſticare docet, quæ tamen, cum mera figmenta ſint, & ad interpretandi artem nullo pacto pertineant, conſulto a me prætereuntur. Id unum de earum inanitate attuliſſe juverit, quod omnis arithmeticæ operatio conſequatur neceſſario e ſuis regulis: quodque motus quilibet aſtrorum, & poſitio etiam neceſſaria ſit, ex conſtantibus naturæ legibus fluens; quomodo igitur eventus ſpontaneos, atque ad arbitrium mutabiles imperiti cabaliſtæ divinant ex rebus neceſſariis, toto ordine diverſis? quomodo effectuum cauſas, non modo non ſufficientes, quales tamen ſemper eſſe debent, ſed nulla etiam ratione invicem connexas, ſtulte decernunt?

CAPUT

(*e*) *Oedip. Tom. II. claſſe 4.*

CAPUT IV.

Quo consilio, & qua moderatione opporteat legere, examinare, & censuram ferre in aliorum opera.

§. 922. Quamdiu eruditus aliquis scientiam suam intra se retinet, solus sui ipsius arbiter est, ac censor: ut primum autem eam literis, ac typo descriptam profert in publicum, omnium eam submittit lectorum suorum judicio, atque auctoritati. Hæc potestas, ex scriptorum humanitate lectoribus adveniens, bene indicat, auctorum sortem semper esse sorte censorum duriorem; hinc multi severi critici, ne & ipsi vapulent, nihil sui operis in lucem emittunt. *Auctorum sors.*

§. 923. Queri tamen scriptoribus non licet, injuriam sibi a censorum libertate inferri; siquidem sponte huic se discrimini objecerunt: nemo eos coëgit scribere. Merito Romanum consulem *A. Posthumium Albinum*, qui Romanam historiam condidit, *Varro* ludificavit (*f*), quod veniam stili & errorum sibi dari petat, ut qui, latinus cum esset, græca lingua scripserit; nullius enim imperio ad scribendum, quod ingenii vires non ferebant, adactus est: cur culpam deprecari maluit, qua carere licuisset? *Scriptores se sponte exponunt censuris.*

§. 924. Lectores tamen ob datam sibi facultatem non petulciant. Barbarum est humanitatem atque beneficia injuriis accumulare. Præcipue autem ad sequentes *canones* lector quilibet utiliter respiciet: *Lectoribus adsit humanitas.*

§. 925. I. Accedatur ad lectionem animo vacuo & docili, non autem stimulo carpendi, & inveniendi errores. Animus malevolentia laborans res etiam indifferentes, & in medio positas esse vitia auctoris dicet. Multa aguntur in familiari cum amicis consortio, sine ullius offensæ nota, quæ inter malevolos aperta esse simultatis indicia censerentur. Si alia est auctori, alia lectori cogitandi ratio, displi- *Bono animo accedatur ad legendum.*

(*f*) *Aul. Gellius Noct. Attic. Lib. XI. cap.* 8.

displicebunt lectori omnia, etiamsi mentem lectoris superent dignitate. Quibusdam dissimilitudo cogitandi sufficiens est argumentum contradicendi: homo agrestis, in pulcherrimum hortum ingressus, omnia carpet, quod horrentis silvæ imaginem non offerant.

Scopus auctoris quæratur.

§. 926. II. Id discere ex auctore quisquis velit, quod ille scribendo præcipue docere instituit; alias miserabiliter in aurifodinis occupabitur ferro colligendo. Hoc malo corripiuntur, qui classicos auctores *Platonem*, *Ciceronem* &c. perpetuo legunt, & juventuti obtrudunt solius latinitatis addiscendæ causa. Perpetuo in lingua occupati nihil aut parum advertunt de elegantia mentis, in qua auctores potissimum excelluerunt. Exinde uberrimi fiunt verborum, & pauperrimi sententiarum, & idearum; quin imo perdunt gustum percipiendi elegantias mentis, quas auctores illi pulchro verborum ambitu incluserunt, fiuntque pictores, qui abundant pulcherrimis coloribus, & ignorant officium delineandi.

Lector præjudicia deponat.

§. 927. III. Cum liber legitur novi argumenti, quod adversatur receptæ, communique sententiæ, judicium paulisper suspendendum est; inveteratæ siquidem opinionis præjudicium, & novitatis species non patiuntur omnem argumenti vim subito inclarescere. Plurima primo intuitu condemnantur, quæ deinde solertior indagatio probat. Opportet interim existimare, dum inusitata audiuntur, etiam nostro sæculo licere paradoxa proferre, & defendere, ut ita præceps condemnatio coerceatur.

Scriptor sequitur suam indolem.

§. 928. IV. Serio expendatur: methodum cogitandi & scribendi sequi ingenium, temperamentum, educationem ac professionem scriptoris. Aliis encomiis celebrabit historiam cujusdam principis *scriptor monasticus:* aliis scriptor *politicus*, aliis *militaris* &c. Sint sibi in eodem itinere comites *botanicus*, *antiquarius*, *physicus*, *historicus:* describent singuli suæ tantum artis objecta, & itinerarium idem cum seipso vix conspirabit.

Invidia theologica coërceatur.

§. 929. V. Supprimat etiam censor nimium acumen theologicum, cum de fidei mysteriis non agitur. Nihil deterius invidia theologorum. Sæpius sancta & innocens religio ad alendas passiones

nes condemnatur (*g*). Si libri boni & eruditi, queritur Cl. *Montesquieu*, acerrima bile, & accusatione impetuntur, qua ratione procedendum erit contra ludicros libros, & nefarios. Nullum erit inter utrumque discrimen, & judicandi æquitas interibit (§. 673).

§. 930. VI. Auctores, qui cæteroquin per totum opus sanam doctrinam, candorem, atque ratiocinii rectitudinem spirant. nunquam incusari debent erroris, aut malæ fidei, ob unum alterumve æquivocum, obscurumque locum; in possessione enim sunt, & dubiæ suspiciones nequeunt apertis testimoniis sine injuria anteponi. *Cartesius* a multis argutulis atheismi accusatus est, e quo tamen multi eruditi, probique viri gravissima argumenta deprompserunt pro Dei existentia. *Ex uno loco non judicatur totum opus.*

§. 931. VII. Attendatur diligenter, an id, quod in scriptore occurrit, data duntaxat occasione, an vero ex proposito, & scopo operis afferatur? quæ ex rerum nexu obiter, & fortuito attinguntur, alio longe schemate apparent, quam si auctor de iisdem data opera egisset. Male incusaretur ille contemptus, qui naturam, & vires pyrii pulveris describens, & simul auctorem illius *Rogerium Bacconem*, vel *Bertholdum nigrum* cursim insinuans, prolixa eis encomia non texuerit. Et neque etiam opportet in re, fortuito allata, esse diffusum. *Fortuito allata dissimulentur.*

§. 932. VIII. Præprimis autem observare opportet in lectione auctorum, eos ante motam controversiam aliter scripsisse, quam scripsissent, vel scriptum fuerit post eam agitatam & decisam; hinc ex eorum scriptis sententiam controversiæ plerumque ferre non licet; non enim eis tum venit in mentem, prodituros homines, qui ex sua, nihil ejusmodi cogitantium, doctrina voculas venaturi essent ad odiosam sententiam defendendam. Hoc punctum criticum maximopere attendi debet ab iis, qui fidei controversiis vacant (*h*). *Auctoris mens ante controversiam.*

(*g*) Une querelle theologique devient bientôt uue guerre, dans la quelle on se peut fortifier de trouppes auxiliaires, qui souvent n'entendent rien à la question, & n'en font pas moins animeès sans savoir pourquoi. *Histoire de l'Acad. Royal. de Sciences l'Annè* 1754. *Eloge de Mr. Wolff.*

(*h*) *Sæculo Christi nono surrexit quidam monachus* Gotteschalcus, *qui pravam*

Scriptoris mens eruatur e vocibus. §. 933. IX. Mens ſcriptoris e verbis ſuis propriis eruatur, & errant omnino illi, qui derelicta verborum ſignificatione, genuinum auctoris ſenſum eruere tentant ex indiciis, aliunde oblatis; cum tamen auctor ſolas voces, animi ſui teſtes conſtituerit. Pejus agunt illi, qui ideas vocibus indunt, ab auctoris mente omnino alienas (§. 848.).

Lector caveat nimium Zelum. §. 934. X. Non ferat lector cenſuram in auctorem ſeu *politicum*, ſeu *moralem*, ſeu *theologicum* pro magnitudine ſui Zeli, ſed pro ratione virium ſuarum, & æquitate cauſæ. Ridiculus eſt Zelus ſine ſcientia, & paſſim affert vindicias, cauſæ non tam proficuas, quam pernicioſas; cauſa autem male defenſa evadit infirmior, quam ſi defenſa prorſus non fuiſſet. Porro Zelus, ſcientia deſtitutus, multa putat obeſſe argumento, quæ revera non obſunt (§. 457). Ignavi lectores vitio dant hiſtoricis, nævos principum & præſulum deſcripſiſſe, dum tamen hiſtoricus non a diſſimulatione, aut palpo, ſed a ſinceritate commendatur. Laudabile eſt, vitia agnoſcere: iniquum, ea, ceu res abjectæ curæ, diſſimulare, & palliando poſteritatem fallere, præcipue dum ſuſceptum munus jubet hiſtoriam ex ipſis factis, non ſuo e cerebro depromere.

Conſpectus generalis præmittatur. §. 935. XI. Cum liber vaſtæ, abſtruſæque eruditionis legitur, proderit primo totum illius conſpectum ſibi ponere ob oculos, & doctrinæ ambages generalibus lineis effingere, ut cognita auctoris ſemita atque ſcopo, res particulares promptius liceat exigere ad totius ſymetriam. Tum accedatur ad lectionem ordinatam & attentam. Si qui obices intellectum remorentur, ne eos tranſiliat, ſed tenaci ſtudio eorum ſenſum aſſequi curet; antecedentium quippe ignoratio inducit obſcuritatem ſubſequentium; niſi forte res quæpiam non pertineat ad inſtitutum. Abſoluta lectio operis repetatur tamdiu, donec penitus inclareſcat.

§. 936.

pravam doctrinam de Prædeſtinatione *conſarcinavit, atque ad illius patrocinium Patrum quorundam auctoritatem detorſit, propterea quod hi nihil ſubſecuturæ hæreſeos ſubolentes minus definitive ſcripſerint, neque proprias voces adhibuerint, neoinventæ hæreſis robur ſuccidentes.*

§. 936. XII. Ut autem probe & perſpicue auctor intelligatur, opportet noſſe vulgares cerimonias, opiniones atque ſententias, quas auctor non niſi obiter, ceu res notiſſimas, attingit. Sic ut intelligatur illud: *non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta*. Sciendum eſt, olim judicia habita fuiſſe ad portas civitatis; quaſi diceretur: *non cadet cauſa cum adverſariis ſuis* &c. *Lector noſcat vulgares ſententias.*

§. 937. XIII. Duo librorum genera diſtinguere attinet: *alterum*, quod animi cauſa legitur, & delectat: *alterum*, quod in ſeveriori ratiocinio, & acuta diſputatione verſatur. Illius omnem amœnitatem, & ſtyli facetias paginæ quædam lectæ exhibent, hujus energiam & valorem non advertes, niſi ad umbilicum perduxeris lectionem. Qui unum alterumve *Plauti* locum legerit, habebit lepores comicos illius, & Eutrapeliam ſubito exploratam. Qui *Lockii* librum legerit *de intellectu humano*, neſciet illius vim, niſi totum abſolvat. *Thema libri diſtinguendum.*

§. 938. XIV. Mature diſcernatur labes quæpiam ſæculi, & ubique recepta, a labe peculiari ſcriptoris. Maxima ingenia, quæ barbaris ſæculis viderunt lucem, temporum ruditate citra culpam ſuam contaminata fuerunt; hinc condemnari debet illorum criticorum ferocia (*i*), qui puri latini ſermonis enthuſiaſmo correpti, ſcriptores ſæculi octavi, noni, decimi &c. quibus latina lingua egit ferream ætatem, penitus contemnunt, cauſantes, nihil in eis opera dignum reperiri: quaſi vero res geſtas ſuorum temporum, omnemque diſciplinam, & religionem non licuiſſet ſcribere etiam barbaro ſermone. Res ipſas primum, quibus inſtruamur, in ſcriptoribus quærere opportet, ad quas lingua, ceu inſtrumentum proferendi, non omnia confert. Perſæpe etiam in rudi ſermone plus candoris atque ſinceritatis, quam in phalarato continetur. Quod ſi ſcriptores illi in ſcientiarum omnium, & *latinitatis* & *critices* languore, aniles fabulas & ruditatem ſtili ſuis monumentis intruſerunt, erit hoc ipſo utilis eorum lectio, ut ad lumen hodiernum veteres illæ maculæ detegantur, atque præter cognitionem genuinorum eventuum etiam *Alia labes ſæculi, alia ſcriptoris.*

(*i*) *Laurent. Valla. Angelus Politianus. Platina* &c.

etiam hodiernæ *latinitatis* & *critices* præstantia intelligatur. Quod certo, si quis intelligit, multum ille ex illis barbaris scriptoribus didicit.

Censores librorum. §. 939. XV. Quos publica auctoritas librorum censores jussit, si male officio suo fungantur, gravissima damna in Rempublicam invehunt, dum aut nimia austeritate, & inhumana virgula aliorum animi avertuntur a scribendo, & legendo utilia: aut nimia lenitate, & conniventia libri, qui mores & doctrinam irreparabili cum jactura corrumpunt, in omnium manus admittuntur, quos nativis tenebris involvi opportuisset.

Prohibitio non semper efficax. §. 940. XVI. Hic diligenter advertendum est: eam esse nostris temporibus legendi intemperantiam, & proterviam renitendi mandatis, ut libri, aut ecclesiastica, aut civili censura notati, atque inter prohibitos rejecti, ardentissime undique conquirantur, & legantur, qui alioquin, nisi prohibiti fuissent, vix ullius desiderium acuissent. Quin imo factum fuisse nuper accepimus, auctorem quempiam, aut vanitatis malo, aut lucri cupidine inductum, libro suo erroneam doctrinam inspersisse, ob quam ille totus prohibitus citius & carius hominibus, vetita ambientibus, venderetur. Itaque, spectata sæculi perversi indole, existimo non adeo absterreri homines a lectione librorum malorum prohibitione & censuris, quam oppositione alterius operis præclari & castigati, super eodem themate compositi sublimiori cum ingenio & eruditione. Certo cum *Pomponatii liber.* *Pomponatius* venenatum librum conscripsisset *de animorum mortalitate*, *Augustinus Niphus* excitatus Leonis X. liberalitate & munificentia præstantiorem librum *de animorum immortalitate* emisit, cujus elegantia, pondere & eruditione allecti homines sua sponte respuerunt fœtum *Pomponatii* debiliorem. Atque utinam! Mecænatum liberalitate & hodie ejuscemodi præstantia talenta incitentur ad confodiendos monstrosos partus nostrorum temporum præsertim in *Metaphysica*, in qua effractis reverentiæ repagulis scioli multi in aliorum perniciem petulciunt.

§. 941.

§. 941. XVII. Præcipua autem prærogativa censorum esse debet solida atque diffusa eruditio, ne uno aliquo cognitionis genere aspersus omnibus aliis insultet. Possitne quidpiam magis indecens esse & ignavum, quam ut vires periclitetur gravissimorum theologorum purus grammaticus, qui non nisi ad voculas hærere novit, atque reconditum illarum sensum elabi sinit? aut ut geographicis, aut chronologicis criteriis peritissimus medicus divexetur? *Censores oportet esse eruditos.*

§. 942. XVIII. Sit præterea censor animi constantia, & judicio invariabili præditus, etsi censura ferenda esset in librum, armis & exercitu stipatum. Intueatur frequenter in constantiam *Philoxenis* poëtæ, viventis in aula *Dionysii* junioris, ut est apud *Athenæum* Dipnosophistam, qui nunquam induci potuit, ut inficetos & miserabiles versus *Dionysii* calculo suo probaret, quamvis non ignoraret, rem se facturum tyranno gratissimam. *Dionysius* inde offensus poëtam in carcerem, dictum *Carras*, conjici præcepit. Pauco tempore interjecto eliberatus poëta, rursumque a tyranno de valore ineptissimi carminis interrogatus, cujus ut primum *Dionysius* lectionem finiit, ultro *Philoxenes* reabduci *Carras* postulavit, squalorem carceris assentationi & renuenti animo anteponens. *Censor constantis animi sit.* *Philoxenes.*

CAPUT V.

De usu & abusu criticæ disciplinæ.

§. 943. Critica in largiori sensu hic accipitur, quo non modo agit de librorum emendatione, sed etiam de quibusque rebus, & sententiarum valore judicat, atque per omnia artium & scientiarum genera dominatur. Hoc in sensu *Critica* omnibus facultatibus supereminet jure quodam suo; siquidem definit prætoria auctoritate, quidquid in aliis recte & convenienter: quidquid perperam & invita Minerva fuerit adductum. Ob inepti- *Critica omnes facultates complectitur.*

ineptitudinem, aut malitiam criticorum fit, ut usus critices non raro in abusum deflectat.

Prudentia critico necessaria.

§. 944. Præ cæteris prærogativis critico primum accedere debet sana & minime vulgaris *prudentia*, quæ ex rerum, loci, temporis, personarum &c. circumstantiis acute dispiciat, quidnam virgula feriendum sit? quid prætereundum? quousque in censorio munere progredi liceat? ubi contrahenda vela? Quis non derideat *Antonium Julianum*, veterem scriptorem, qui, ut est apud *Gellium* (*k*), maximo pretio libros comparavit, ut edoceretur, an legi debeat apud *Ennium quadrupes eques*, quod communiter *quadrupes equus* scribebatur? Nihil indignius, nihil intollerabilius est, quam elati supercilii censor, communi sensu destitutus.

Exemplum in censura Lokii.

§. 945. Si quis *Lokio* indignaretur, propterea, quod modum & rationem, qua objecta quæque sensibilia mechanicis legibus percipiuntur, neglexerit ubertim explicare, dum *lucem*, *sonos*, *odores*, *sapores* &c. simplices esse ideas, simplicique in sensus appulsu percipi, nec definiri commode posse asseruit; ille certo criterium proferret imprudentissimum, cum *Lokius* eo loco (*l*) provinciam duntaxat susceperit idearum distinguendarum, & mechanicas perceptionum evolutiones, ex objectis in sensuum organa redeuntes, ad alias facultates rejecerit. Contra vero prudentem censuram ille inureret Logicæ vulgarium scholasticorum, quæ solenni more quamplurimas *definitiones*, *divisiones*, *argumentationes* delineatis formulis adducit, in quarum formularum periodis omnis doctorum & discipulorum industria conquiescit, haud secus, ac si in præjudicatis his scholarum nominibus totum cogitandi mysterium contineretur. *Logica* non debet consenescere in voculis, sed in omni *definitione*, *divisione*, *propositione* &c. novos aperire campos meditandi, atque mentis extensionem adcurare; Quod nisi fiat, nunquam Logicæ finis obtinetur.

§. 946.

(*k*) *Noct. Attic. Lib.* 18. *cap.* 5. (*l*) *De intellectu Lib.* 2. *cap.* 2.

§. 946. Ad bonum præterea usum *Critices* requiritur animus ad justitiam & æquitatem erectus, qui suum cuivis auctori meritum attribuat, & eadem cum æquitate alios tueatur, qua ipsemet si librum quempiam edidisset haberi ab aliis vellet. *Harduinum*, qui præstantissimam Plinii editionem, præclaris notis illustratam vulgavit, male verbis accepit *de la Croze*, quod in præfatione hujus operis Cl. *Salmasium*, primum Plinii in Solinianis Exercitationibus illustratorem, acerbius traduxerit, ut nempe lectorem animis afflaret contemptum *Salmasii* quo minus hujus lectione illustrati, quæ *Harduinus* ipse ex eo multa & præclara in suum opus decerpserit, edocerentur. *Justitia Criticæ necessaria.*

§. 947. Meliori jure fortassis reprehenderetur ille scriptor, qui data opera rebus chronologicis, & historicis intentus, doceret: primæ monarchiæ *Assyriæ* expugnatæ, ordine secundam *Medorum* monarchiam illico successisse: tum vero in Cyro, Medos cum Persis uniente, monarchiam *Persarum:* tandemque *Græcorum:* quam demum serie ultima *Romanorum* monarchia exceperit. Immerito equidem & imperite scriptor ille hoc assereret, cum scire debuisset: Medos, Assyriis olim subjectos, duce Arbace dominatus jugum excussisse (*m*), & florente adhucdum Assyriorum imperio sub *Theglathphalassar*, *Salmanassar*, *Senacherib*, *Nabuchodonosor* &c. ipsos etiam Medos nominis & imperii fama fuisse inclitos (*n*); donec tandem Cyrus, Medorum viribus auctus, *Assyriam* illam monarchiam extinxerit in *Sardanapalo*, eamque ad *Persas* & *Medos* transtulerit. Interim græci scriptores florentis imperii Assyrii, etiam post subductos Medos, non meminerunt, quia nempe intenti duntaxat erant in gloriam vicinorum Medorum, utut non adæquantem majestatem Assyriam, longius dissitam. Adeoque expirans imperium Assyrium non dedit originem Medorum monar- *Exemplum in quatuor monarchiis.*

(*m*) *Auctor est Herodotus Lib.* 10. *Cap.* 96. *annos plus quadraginta effluxisse, ab obtenta Medorum libertate, usque ad primum illorum regem Dejocem.*

(*n*) *Herodotus Lib.* 1. *Xenophon Cyropædiæ* 5 & 6, & *Bossuet Discours sur l'histoire Universelle Parte I.*

monarchiæ, & hæc non poterit secunda monarchia dici, nisi in sensu, mox exposito.

Exemplum injustæ censuræ.

§. 948. Læditur autem ut plurimum justitia a scriptoribus, dum judicium ferunt de re, sibi non sat explorata, & cujus claram ideam nunquam habuerunt. Sic injuriam ille censor inferret ultimæ profanæ antiquitati, qui eam fictionum nundinatricem, nihil nisi fabulas sapuisse existimaret, propterea quod superstites ex illis ultimis temporibus libri *Homerus*, *Hesiodus*, *Orpheus* &c. nil nisi fabulas & poëtarum lusus oleant (*o*). Ineptum hoc utique foret judicium, ex antiquitatis, & monumentorum, ad ejus cognitionem pertinentium, ignoratione profectum; fabulæ enim non fuerunt sola ultimæ antiquitatis eruditio (*p*); hæ sunt inventæ posteriori tempore variis occasionibus & causis, ut nempe earum sub involucris poëtæ græci sublimem & reconditam veterum doctrinam de rebus *moralibus* & *physicis* &c. jucundius adornarent; quemadmodum id ipsum agere soliti sunt Ægyptii ope *hieroglyphicorum* & *symbolorum:* & Hebræi, Syri, aliique orientales populi ope *parabolarum* (*q*); & sicut fere hodiedum chymicos audimus, experimenta sui fornacis superinducere nominibus poëticarum metamorphoseon; quis hac de causa dicat, primam chymicorum eruditionem fuisse, poëticas transformationes? cum certum sit, primis, genuinisque illorum tentaminibus hunc poëticum ornatum posteriori tempore accrevisse. Cæterum ostendit *Verulamius* (*r*), fabulis veterum, veluti de *Fama* & *Gygantibus:* de *Jove* & *Mercurio* &c. multo sublimiorem, digniоremque includi sensum, ad lectissimam plurimarum rerum explicationem, quam vulgo putetur; fabularum quippe harum virtus & decor periit, dum homines quidam imperiti, nec

(*o*) *Ultima ætas communiter dicitur fabulosa; hanc excepit heroum ætas, ultima est hominum.*

(*p*) Verulamius in Præfat. Tract. de Sapientia veterum ait: *Antiquitatem primævam oblivio & silentium involvit. Silentia antiquitatis poëtarum fabulæ exceperunt. Fabulis tandem successere scripta, quæ habemus, adeo, ut antiquitatis penetralia & recessus a sequentium sæculorum memoria, & evidentia tanquam velo fabularum discreta & separata sint, quod se interposuit, & objecit medium inter ea, quæ perierunt, & ea, quæ extant.*

(*q*) *Itaque* Hieroglyphicorum, Symbolorum, Parabolarum & Fabularum *unum est idemque fundamentum.*

(*r*) *Idem Ibidem.*

nec supra communes locos erecti, earum sensum ad vulgaria, & generalia applicaverunt, altiorem doctrinam ignorantes.

§. 949. Denique bonus usus critices sine *charitate* & *modestia* fieri nequit. In ipsis sanctorum Patrum libris errores quandoque occurrunt (*s*), ii dissimulandi non sunt, attamen reverenter id agi debet, præsertim dum facilis est excusandi ratio, ne judicium privatum judicio universalis Ecclesiæ, Patres singulari cultu & veneratione suspicientis, adversetur. Quidquid sincere & candide auctores in commodum legentium attulerunt, consimili illis animo excipiendum est, nisi non modo christiana charitate, sed ipsa etiam humanitate velimus excidere. Et quis deinde rectum putet esse criterium, quod nec sani quidem hominis refert vestigium? *Charitas Critico necessaria.*

§. 950. Tres igitur virtutes *Prudentia*, *Justitia*, & *Charitas* salutarem reddent *Critices* usum; hæ autem si deficiant, non tam *usus*, quam *abusus* Critices apparebit, qui criticum in chaos errorum, atque perversitatis præcipitet. Omnis protervitas *irreligionis*, *scepticismi*, *arrogantiæ* &c. ex mala Critica profluxit. Et hæc de *Ratione cogitandi*, *loquendi* & *intelligendi* attulisse interim sufficiat. *Abusus Critices.*

(*s*) *Muratorius de Moderat. Ingenior. Lib. 2. cap. 4.*

F I N I S.

INDEX

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM,

Quæ

In hiſce tribus libris continentur.

Primus

Numerus paginam, ſecundus paragraphos

notat.

A.

Hu-

Ma-

Reve-

ERRATA GRAVIORA.

Pag.	*lin.*	*errata*	*legenda.*
8	23	*tam*	*tum*
9	31	*Aristoteles libros*	*Aristotelis libros.*
11	17	senerint	senserint
12	ult.	*acrometria*	*Aerometria*
14	19	*prædeuntis*	*prodeuntis*
14	34	*hic esse*	*sic esse*
17	22	*petulantium*	*petulantiam*
18	18	*dicit, enim*	*, dicit enim*
19	8	ἐπίϛαμοι	ἱερίϛαμοι
19	13	*eos præcipue*	*eo præcipue*
20	14	colliciti	solliciti
28	1	fictus	fœtus
32	12	ipsas. Leges	ipsas leges
33	28	minime *inadæquatis*	minime uti *inadæquatis*
33	34	perfectas	imperfectas
42	19	ideo	id

Pag.

Pag.	*lin.*	*errata*	*legenda.*
43	19	cognoſcere	cognoſceret.
57	35	*parci*	*porci*
59	37	*incitatur*	*incitatus*
66	7	aliud præter	aliud retinent præter
72	20	loquantur aliter	loquantur, aut non loquantur aliter.
79	30.	ſuperindi	ſuperindui
96	25	addatur	: *aliquis homo eſt rationalis*
98	12	ſiquidem	hi quidem
104	22	totum imaginationis	totam imaginationis
110	20	proprie	propriæ
122	33	aſtrum	œſtrum.
136	4	Innone	Junone
138	9	*creditur*	*creditus*
141	3	Νίγραπται	Γέγραπται
144	7	probabilius	probabilis
147	14	Tabula	Fabula
148	1	malitiam	militiam
209	25	hic	hoc
212	15	larga	large
230	30	aſtro	œſtro
233	1	Allus	Aliàs
233	ult.	Cypriacorum	Cyriacorum.
235	7	*per*	*pes*
253	23	*de*	*te*
280	28	*Ritbeluis*	*Richelius.*
288	22	atque illius	atque ad illius
292	14	muſculorum	maſculorum
298	28	*balanier*	*balancer*
310	25	montalibus	mortalibus
330	18	*græcæ*	*latinæ*
337	25	ac quam patres	ac patres
372	11	*notatio*	*rotatio*
399	ult.	900 800 700 600 500 ם ן ף ץ ך	900 800 700 600 500 ץ ף ן ם ך
409	9	lectorem	lectorum

Minores errores lector benevolus corriget.